PHARMACOPŒA GANDAVENSIS

NOBILISSIMI SENATUS

JUSSU RENOVATA.



G A N D A V I

Typis JUDOCI BEGYN, Typographi Civitatis jurati, viâ dictâ *Breydelſtege* ſub ſigno Angeli.

M. DCC. LXXXVI.

NOBILISSIMIS

AMPLISSIMISQUE

DOMINIS

HUJUS URBIS MODERATORIBUS

VIGILANTISSIMIS

SUMMO PRÆTORI

D. PHILIPPO FERDINANDO VICECOMITI VILAIN XIIII.,

PRIMI SUBSELLII CONSULI

D. CAROLO ADRIANO HUBERTO BARONI LE BAILLY DE MARLOOP,

EJUSDEM SUBSELLII SCABINIS

D. AMANDO BENEDICTO SCHOORMAN,

D. CORNELIO CARPENTIER, FLANDRIÆ THESAURARIO,

D. GEORGIO ADOLPHO D'OLISY, TOPARCHÆ DE NOTAX,

D. FERDINANDO EMANUELI VAN HOOBROUCK, TOPARCHÆ D'AXELWALLE,

D. JOANNI FRANCISCO DE KERCHOVE, TOPARCHÆ DE DENTERGHEM,

D. FRANCISCO BERNARDO LE JEUNE D'ALLEGEERSHECQUE, EQUITI,

D. GUILLIELMO PYCKE,

D. JOSEPHO SEBASTIANO D'HANE DE STUYVENBERGHE,

D. JOANNI BAPTISTÆ DE LOOSE,

D. BRUNONI DE HEERE TEN BROUCKE,

D. ADRIANO JACOBO GOETHALS,

D. PETRO JOANNI LUDOVICO STAUTHAMER,

EJUSDEM SUBSELLII A CONSILIIS

D. JOANNI FERDINANDO ROHAERT,

D. JACOBO PHILIPPO DE WULF,

D. CAROLO DIERICX, EQUITI AURATO,

EJUSDEM SUBSELLII A SECRETIS

D. PHILIPPO GOBERT,

D. CAROLO GOETHALS,

D. AMBROSIO ROOMAN,

D. JOANNI IGNATIO VAN DER BEKE,

PRÆTORI

D. PHILIPPO JOANNI MAURICIO DE HEEMS, COMITI DE SEVEREN,

SECUNDI SUBSELLII CONSULI

D. LUDOVICO EMANUELI VAN ROCKOLFING, TOPARCHÆ DE NAZARETH, VOMELBEKE &c.,

EJUSDEM SUBSELLII SCABINIS

D. ANTONIO TRIEST,

D. JACOBO JOSEPHO DOMINICO ENGEL,

D. JOANNI FRANCISCO SCHOORMAN,

D. ANTONIO VAN DE WOESTYNE,

D. JOANNI FRANCISCO DE LOOSE,

D. LIVINO DU BOIS, DICTO VAN DEN BOSSCHE,

D. PETRO LUDOVICO BARONI DE HAVESKERCKE,

D. CAROLO FRANCISCO VAN DER BEKE, J. U. L.,

D. JACOBO GUILLIELMO MEYER, J. U. L.,

D. FRANCISCO GUILLIELMO DE NAEYER, J. U L.,

D. JOANNI CAROLO AUDENROGGHE,

D. DIONYSIO PAPELEU,

EJUSDEM SUBSELLII A CONSILIIS

D. JOANNI PHILIPPO ROELANDTS,

EJUSDEM SUBSELLII A SECRETIS

D. JOANNI BAPTISTÆ PAPEIANS DE MORCHOVE,

D. STEPHANO JOANNI MAELCAMP, TOPARCHÆ D'OPSTAELE,

D. LUDOVICO IGNATIO CATULLE,

D. JOANNI BERNARDO MOREL,

D. JACOBO FRANCISCO VAN YPERSELE,

THESAURARIO

D. DIONYSIO PAPELEU,

OPERUM PUBLICORUM PRÆFECTO

D. LUDOVICO T'KINT,

QUÆSTORI EXAGOGICO

D. JOSEPHO BERNARDO BLOMME,

Quorum omnium solerti cura, prudenti Consilio, invicta virtute res Gandavenses crescunt & civium salus servatur, felicitatem perpetuam apprecantur, atque hos suos labores, utpote eorum jussu susceptos & sub eorum auspicio tutos, devotissimo animo dedicant

P. C. DE BRABANT M. L.
J. B. COPPENS Pharmacopœus.

JUDICIUM FACULTATIS MEDICÆ LOVANIENSIS.

Facultas Medica Lovanienſis, ab AMPLISSIMIS NOBILISSIMISQUE VIRIS SENATUS GANDAVENSIS rogata, ut quid de nova oppidi ſui Pharmacopœa ſentiat, exponat, hanc accuratius examinandam commiſit Clariſſimo Domino VOUNCK Materiæ Medicæ & antehac Chemiæ Profeſſori, nec non Expertiſſimo Viro, Chemiæ Profeſſori VAN BOUCHAUTE. Horum relatione perpenſa, cœterorumque in eadem Facultate Profeſſorum, qui attentè opus pervolverunt, opinione audita, declarandum decrevit, prout declarat, primam Pharmacopœæ partem, ſeu *Materiam Medicam*, cœteras, quæ in Belgio huc uſque prodierunt, facilè antercellere; nec ſtili dumtaxat nitore, atque ad captum Pharmacopœorum noſtrorum accommodato, plurimum commendandam; ſed & Auctorem ejus, præjudiciorum errorumque, qui in Medicinam ac præſertim *Materiam Medicam* irrepſerunt, eique ſummoperè nocuerunt, hoſtem eſſe infenſiſſimum, eòque adniti, ut ſana ubique principia inculcet. Pauca quidem hinc inde deſiderantur, quæ utiliter proſſus fuiſſent inſerta; at leves hi defectus per plura egregia, omni encomio digniſſima, abundè compenſantur. Cœterum hæc Pharmacopœæ pars referta eſt talibus ac tantis, quæ Medicum eruditum, *Materiæ Medicæ* peritiſſimum, ac practicum oculatiſſimum comprobent.

Quod ad alteram Pharmacopœæ partem attinet, hæc tum circa varia Medicamina Compoſita verſatur, tum operationes Chemicas complectitur.

Quod priora ſpectat, neque hæc, quæ in hoc opere deſcribuntur, neque ea, quæ ab aliis Auctoribus in ſuis Pharmacopœis extolluntur, approbanda judicamus; cum firmiter nobis perſuaſum ſit, vix quidquam eſſe, quod in progreſſum Medicinæ ceſſurum ſit magis, quam ſi pleraque, ſi non omnia, Compoſita ex Pharmaceuticis officinis rejiciantur, atque ex libris expungantur.

Operationes vero Chemicas, quando vix tales in libris huc uſque editis reperire licet, quarum collectio nulla emendatione egeat; ægrè admodum Pharmacopœos adſtringi poſſe arbitramur, ut hanc vel illam Pharmacopœam in operando ad amuſſim ſequantur.

Datum Lovanii hâc 27. Auguſti 1786.

Signatum erat VAN LEEMPOEL *Medicinæ Doctor & Profeſſor, atque hoc tempore Facultatis Medicæ Decanus.*

APPROBATIO COLLEGII MEDICI.

Infràſcripti Collegii Medici Director ejuſdemque Aſſeſſores, Lectâ Pharmacopœorum ad id Commiſſorum Approbatione, Declaramus, Pharmacopœæ Gandenſis Nobilissimi Senatus juſſu Renovata Materiem Medicam magno labore, acri Judicio Conſcriptam, adque ſanæ critices regulas Exaratam fore : in parte verò Pharmaceutico-Chemica, nobiliorum præſtantiorumque Compoſitorum (rejecta inutilium effœtorumque farragine) ſelectum non minùs, quam concinnandi elegantiam eorumque virium doctam & conciſam enumerationem elucere : quare, ut typîs mandetur, omninò id opus dignum judicamus.

Datum in Collegio hâc 5ta Martii 1787.

G. A. D'OLISY, Toparcha de Notax.
J. SOMERS, *M. L. Aſſeſſ.*
A. D. GOORMACHTIGH, *Pharm. Aſſ.*
L. B. VERSCHRAEGHEN, *Chir. Penſionat.*
J. JACOBS, *Chirurg. Penſionatus.*

Pharmacopæi à Collegio ſelecti.

G. VAN DEN HAUTE, *Pharm.*
J. DE VOS, *Pharm.*

Signatum erat

J. DE BEVER, *Pharm. & Collegii Aſſeſſor, Loco Actuarii abſentis, ad id a Collegio ſpecialiter Commiſſus.*

APPROBATIO tum Pharmacopœorum Assessorum Collegii Medici Gandensis, cùm Coadjutorum a Collegio denominatorum.

Infrâscripti Collegii Medici Assessores ejusdemque Coadjutores à NOBILISSIMO SENATU GANDENSI per litteras decimi septimi Februarii hujus anni Commissi ad revisionem & correctionem dispensatorii Pharmaceutici Gandensis, testamur maxima cum circumspectione, & attentione, ut rei gravitas exigebat, in id opus incubuisse; nec non locupletem Materiæ Medicæ ac Pharmaciæ thesaurum omni laude mutatum, dignum, utilem, ac necessarium arti incumbentibus judicasse: quare ut typis mandetur, dignum judicavimus.

Laborem itaque nostrum, nullo neglecto tempore, qualiscumque sit, vestro pratrocinio suscipere dignemini, illisque favere, qui pro vestra omnium, VIRI NOBILISSIMI ORNATISSIMIQUE, salute Ardentissima fundent vota & qui benevolentiæ ac tutelæ vestræ se comdantes indesinenter palamque erunt.

Vestri obedientissimi ac deditissimi Famuli
signatum erat J. DE BEVER *Pharmacopœus & ejusdem Colleg. Assessor*,
A. D. GOORMACHTIGH *Pharm.*,
G. VAN DEN HAUTE *Pharm.*, &
J. DE VOS *Pharm.*

Datum in Collegio Medico anno post Christum natum 1787. *die* 3.*tia* *Martii.*



PHARMACOPŒA GANDAVENSIS.



PROŒMIUM.



Ubſtantiæ, quas tria Naturæ regna, Animale, Vegetabile & Minerale largiuntur, & quibus Medicus utitur, ut ſanitatem præſentem tueatur, & perditam reſtituat, *Medicamenta ſimplicia* vocantur.

Horum Catalogus MATERIEM MEDICAM conſtituit, atque ea *cognoſcere*, ad Medici præſcriptum & mentem *ſeligere*, *præparare*, & *miſcere* docet ARS PHARMACEUTICA.

Solet paſſim dividi hæc Ars in Galenicam & Chemicam: ſecundùm hujus diviſionis fautores ſola poſterior corporum Syntheſim & Analyſim ſibi vindicat: ſed hanc diſtinctionem is facilè hodie rejiciet, qui noverit in ſimpliciſſimis præparationibus Pharmaceuticis, quas

Galenicas olim vocabant, plerumque præparandi corporis Analysim & Chemicas Leges esse considerandas; ita ut tota Ars Pharmaceutica, ut hodierno tempore excolitur, Chemiæ pars debeat haberi, quam nemo nisi Chemicam Artem probè edoctus cum Bonorum existimatione, & in Ægrorum commodum, valet exercere.

Minùs incongruè itaque, quamvis, re propiùs perspecta, non distinctis etiam satis bene limitibus, Ars Pharmaceutica dividitur in *speculativam* & *practicam*. Utramque callere Pharmacopœus, illam saltem Medicus debet; ni velit turpiter sæpe, & quandoque in Ægri damnum in præscribendis Formulis errare.

Ulteriùs exspatiari, & in hoc opere Pharmaceutica Generaliora Principia edocere, ut aliquibus aliarum Regionum Pharmacopœarum Editoribus visum est, supervacaneum arbitramur: extant etenim hodiedum de hac Materia CELEBRIUM VIRORUM Opera, quæ Cordatos Pharmacopœos confidimus adituros.



MATERIES MEDICA.

Pinus Sylvestris Lin.

ABIETIS RESINA. *De Harſt van den Denneboom, Maſtboom, Sperreboom.*

Eſt terebinthinaceus humor ex hujus arboris vulneratis tædis manans in aqua ad conſiſtentiam ſiccam coctus.

ABROTANI MARIS Folia. *Averuit, Averoone-Kruid.* arthemisia Abro[...]

Soli ferè externo uſui, tamquam antiſeptica, jam dicata: fortis, non omnino ingrati, ſunt odoris: guſtus nauſeoſi, amari, ſtimulantis: omnis vis optimè extrahitur Spiritu Vini rectificato: exſiccationem patitur abſque magna virium jactura.

ABSYNTHII VULGARIS, ſeu MAJORIS Folia. *De Bladeren van gemeenen Alſem.* arthemisia absijnthium

Quamvis hæc planta meritò Stomachica audiat, & mucoſæ Diatheſi optimè medeatur, ob gravem viroſum fœtorem paucior eſt ejus uſus. Hunc tamen longa aſſervatione, ut etiam protractiori coctione, ſine amaritiei jactura, penitùs amittit.

ABSYNTHII ROMANI, ſeu MINORIS Folia & Summitates. *De Bladeren ende Toppen van Roomſchen Alſem.* arthemisia pontica

Vulgari, odore & ſapore, minus eſt ingratum: paſſim *Abſynthium maritimum* illi in Officinis ſubſtituitur.

ACACIÆ SUCCUS inſpiſſatus. *Het verdikte Sap van Acacia.*
mimosa nilotica

Acacia vera, Acacia foliis ſcorpioidis Arbor eſt magna, ramoſa, aculeis inſtructa, numeroſa in Ægypto: ex hujus immaturis fructibus contuſis, additâ aquâ, ſuccus elicitur, qui inſpiſſatus, & in maſſulas tenuibus veſicis incluſas coactus, ad nos transfertur: fuſci

ſubnigricantis exteriùs eſt coloris, ruſi interiùs: ſaporis eſt fortiter acerbi, non penitus ingrati· firmioris eſt conſiſtentiæ, non friabilis: ore retentus liqueſcit, totus tandem ſolvitur: quod idem fit in Aqua: nihil illi eripit Spiritus Vini rectificatiſſimus.

Ex Pruni ſylveſtris immaturis fructibus eodem modo ſuccus extrahitur: is ex Germania ſub eadem forma allatus *Acacia noſtras* ſeu *germanica* vocatur, & Acaciæ veræ paſſim ſubſtituitur: differunt, quod germanica ſit durior, ponderoſior, coloris nigrioris, & ſaporis magis acidi.

ACETOSÆ VULGARIS ſive OXALIDIS Folia. *De Bladeren van gemeene Zurkel ofte Zuuring.* rumex acetosa

ACETOSELLÆ ſive LUJULÆ Folia. *De Bladeren van Koekoek-Zurkel ofte Alleluia.* oxalis acetosella.

Utraque ſpecies largitur Sal eſſentiale acidum, quod ſub titulo Salis Acetoſellæ proſtat in Officinis.

ACETUM. *Azyn.*

Eſt liquor acidus ſecunda fermentatione ex Vino, Cereviſia, aut aliis ſuccis vegetabilibus Vinoſis productus. Acetum Vini eſt reliquis purius & fortius: hinc perpetuus ferè ejus in Medicina uſus: ſaturat ordinariò trigeſimam quintam partem ſui ponderis Salis Tartari: conſtat, præter Aquam & mucoſum Magma, Spiritibus Ardentibus, acido Vini fixiori, & Vini Tartaro. Omnia Metalla, ſi Aurum, Argentum, & Platinam exceperis, rodit & diſſolvit.

ACONITI CÆRULEI, ſeu NAPELLI Folia. *De Bladeren van Moniks-kapkens ofte Wolfswortel.* aconitum cammarum.

Nuper hanc plantam in uſus medicatos primus introducere auſus eſt ILLUSTRISSIMUS STOERCK: dicitur potentiſſimè lymphæ ſpiſſitudines ſolvere, & eamdem in vaſculis minimis aponevroſiùm & ligamen-

torum hærentem ad tranſpirationem diſponere. Folia recentia, aliquo tempore guſtata, acrimoniam ſat evidentem produnt; exſiccata inſipida ſunt: in uſu eſt horum recentium ſuccus inſpiſſatus, qui ſub titulo extracti Aconiti proſtat: ſalſum, acrem præbet ſaporem; odorem viroſum: humidum ex aere attrahit. Paucis ejus granis apud varios curatæ leguntur Arthritides pertinaciſſimæ, & ad omnia alia rebelles: laudatur ad glandulas induratas, ſpinam ventoſam, amauroſim &c.

ÆS, ſeu CUPRUM. *Koper.*

Eſt Metallum imperfectum, ſed aliquibus Dotibus propiùs reliquis ad perfecta accedens: coloris eſt rubri; ſapore præditum particulari, nauſeoſo; odore proprio: ſonorum eſt, durum, ductile, & nonies ferè Aquâ ſpecificè gravius: in Æruginem, certis obſervatis non innocuam, eſt proniſſimum; ut Aqua, Oleum & Acida eam perpetuò producant.

Optima methodus pro detegendo hoc Metallo, etiam in parciſſima quantitate in liquore aliquo diſſoluto, eſt admixtio Alkali volatilis: hoc enim viridem Æruginis colorem mutat in cœruleum.

ÆTITES, LAPIS AQUILÆ. *De Arend-Steen.*

Ita perperam vocatus, quod in Aquilæ Nido inveniri creditus ſit. Lapis eſt tophaceus, variæ magnitudinis & formæ, coloris ordinariò fuſci, variis conſtans lamellis facilè ſeparabilibus: reperitur in pleriſque ferri fodinis, & ferri ochra ejus cruſtas conſtituit: intùs plerumque cavus eſt, & argillaceum nucleum, qui *callimus* vocatur, & efformationis baſis eſt, continet: hic exſiccatione contractus, liber jam & mobilis, agitato rudiùs lapide ſonum edit.

Vires olim laudatiſſimæ: re jam propiùs & ſine præjudicio perſpecta, minus ad Materiem Medicam credimus pertinere.

AGARICUS, ſeu FUNGUS LARICIS. *De Zwam van den Lorkboom.*

Fungus arboreus, & vera planta paraſita eſt, Larici jam ſeneſcenti

Boletus Laricis Linné

accrescens, non inorganica hujus Arboris excrescentia, ut olim creditum: formæ subrotundæ est: pugnum magnitudine æquat; modò major est, & ad capitis infantilis magnitudinem excrescit. Substantia intus levis, alba, friabilis: extùs cortex durior, cinereus, aut subrufus, qui plerumque ablatus, dum ad nos transfertur. Odoris ferè nullius est: saporis primò subdulcis, postea amaricantis & acris. Vis purgans in resina consistit, atque Spiritu Vini diluto optimè extrahitur: sola Aqua fit extractum nullius valoris. Optimus e Tartaria adfertur, crescit etiam in Galliæ Delphinatu & aliis Regionibus, quarum Sylvæ Larices habent.

AGARICUS QUERCINUS, seu PEDIS EQUINI FACIE. *Zwam van den Eikenboom. Amadou.* Boletus ungulatus. Bulliard.
agaric de chêne. astringent.

Boletus, & fungus igniarius etiam vocatur, quia levi attactu ignem concipit, & accenditur: Quercubus præcipuè accrescit: Laricis Agarico longè ponderosior est: superficie dura, inæquali, coloris fusci: partim lignea, fibrosa; partim molli constat substantia: colligitur mense Augusto, vel Septembri: tum totus Agaricus bene exsiccatus malleo contunditur, ut pars durior, lignosior redigatur in pulverem, à quo frictione inter manus purgatur, & remanet pars mollior, quæ servatur in usum.

Immediatè vasi sanguinem fundenti applicatus celebre stypticum jam salutatur, cui tamen soli in magnorum vasorum vulneribus non fidendum; particulari enim virtute styptica non videtur pollere, sed agere, ut linteum carptum, spongia & similia.

AGNI CASTI Semen. *Het Zaad van den Kuischboom.*

Vitex Foliis angustioribus, seu Agnus Castus in Italia, & terris meridionalibus ad Amnium Ripas abundat, hic in Hortis colitur: capsulas indè recipimus sphæricas, parvas, quatuor seminibus oblongis fœtas: coloris sunt cinerei; saporis subadstringentis, parumper aromatici, & ad cardamomum accedentis.

Virtute antaphrodisiaca pollere olim creditum est, & hinc nomen recepit.

AGRIMONIÆ Folia. *De Bladeren van Agrimonie ofte Boelkenskruid.*
agrimonia eupatoria

ALCANNÆ, seu ANCHUSÆ RADIX. *De Wortel van roode Ossen-Tonge.* anchusa tinctoria

ALCHIMILLÆ Folia. *De Bladeren van Leeuwen-Klauw, ofte onzer lieve Vrouwe Mantel.*

ALCIS UNGULA. *Elands-Klauw.*

Alce animal quadrupes est, è genere Cervorum, ruminans, corniferum, magnitudine Equo non multum inferius, habitans in Moscovia, Polonia, & aliis Regionibus septemtrionalibus: Ungulæ ejus sunt bifidæ, nigræ, & figura proximè ad Bovinas accedunt; ab his tamen differunt nigredine & quod rasæ nullum fœtorem spargant.

Superstitiosi & nimis creduli rerum naturalium Scriptores tradiderunt hoc animal Epilepticis morbis subjectum, sinistrâ Ungulâ ad caput pone aures ductâ, confestim ab insultu liberari: acsi convulsum pro libitu id facere posset. Ex hac relatione, utut ridicula, nata tamen præjudicata opinio, quæ celebres etiam Medicos longo tempore detinuit, & commendatus, tam externus, quam internus hujus Ungulæ, præcipuè sinistræ, tamquam specifici antepileptici, usus: sed propiori indagine constat non solùm vim nullam ad hunc morbum possidere; sed neque animal huic morbo subjectum esse.

ALKEKENGI, seu HALICACABI Fructus. *Kricken van over de Zee.*
Physalis alkekengi. coqueret.

Fructus hi seu Baccæ Cerasis quoad figuram, magnitudinem, & colorem non absimiles saporem habent acidum, leviter vinosum, & non amarescunt (quod plerique Scriptores volunt) si prudenter cavetur, dum ex amarissimo calice desumuntur, ne ab eodem contingantur.

ALOË. *Aloë.*

Eſt ſuccus ex foliis plantæ ejusdem nominis, partim ſponte ſtillans, partim expreſſus, & calore ſolis, vel leni igne inſpiſſatus. Tres ſpecies inferiùs annotandæ in Officinis proſtant, quæ id commune habent, quod eadem ferè virtute purgante gaudeant; quod nobis afferantur in maſſis duris, fragilibus; quod ſaporis ſint intenſè amari, calidi, nauſeoſi: odoris proprii, adverſi: coloris, ſi fruſta integra conſiderentur, ſubfuſco-rubentis, vel fuſco-nigricantis; flavi verò dum in pulverem redacta ſunt.

Variata parùm pro diverſa ſpecie proportione, vix unam quartam partem ſui ponderis Reſinæ continent; reliqua pars Gummea eſt; optimè tamen ſolvuntur in Spiritu Vini rectificato; dein in Spiritu Vini: ferè totæ etiam ſolvuntur in Aqua ebulliente; ſed, refrigerato menſtruo, multum Reſinæ ſubſidet: Reſina hæc nullum ferè præbet ſaporem, aut odorem; nulla pollet vi purgante: gummoſa tamen pars à reſinoſa ſeparata mitiùs purgat; ſed id unicè mutationi à calore inductæ videtur tribuendum.

Aliqui Autores ſcribunt omnes tres ſpecies ex una eademque planta extrahi, & non differre niſi puritate ſucci; dum alii cuilibet ſpeciei ſuam plantam, & patriam tribuunt.

ALOË SOCOTRINA. *Socotrynſchen Aloë.*

Ita vocata, quia ex Inſula Socotora in Mare Indico ad Arabiam felicem ſita pellibus, aut veſicis involuta adfertur. Dicitur obtineri ex *Aloë Succotrina anguſtifolia ſpinoſa Flore purpureo, ſeu perfoliata dicta.* Reliquis eſt purior; hinc ordinariò in uſu: in lamellas fracta ſplendens, pellucida eſt; hinc lucida etiam vocatur: reliquis odoris minùs nauſeoſi eſt, fermè myrrathi: in pulverem trita ſubluteum, croceum, ac ferè aureum colorem præbet: hieme friabilis, æſtate parum lentior eſt, & digitis ſubacta molleſcit: magis gummoſa eſt, quam hepatica; minùs quam caballina.

ALOË

ALOË HEPATICA. *Gemeene, ofte leverkleurigen Aloë.*

Dicitur ex *Aloë vera vulgari* obtineri: optima ex Insulis Barbadensibus advehitur: coloris obscurioris; odoris fortioris, magis nauseosi, & minùs aromatici est, quam Socotrina; etiam magis sicca est, & texturæ firmioris: præfertur in usu externo, quia plus resinæ, à qua vis vulneraria pendet, possidet, quam Socotrina.

ALOË CABALLINA. *Stinkende, ofte Peirden-Aloë.*

Hepaticæ plurimis notis similis; ab ea tamen forti, & fœdo odore facilè distinguenda: obtinetur ex *Aloë guineënsi vulgari simili, sed tota maculata*: aliis duabus speciebus est ponderosior, crassior, & impurior. Aliqui eam ita à sordibus norunt repurgare, ut difficulter etiam à Socotrina possit distingui; prodit tamen eam fœtor, à quo liberari nequit: vix ad usus Medicos adhibetur.

ALTHÆÆ Folia, Flores, Radix. *De Bladeren, Bloemen, ende Wortels van Heemst, ofte witte Maluwe.*

ALUMEN. *Aluin.*

Est Sal minerale, crystallisabile, ex acido vitriolico, & terra argillosa simul unitis ortum. Acerbum, & fortiter adstringentem saporem habet, odorem nullum. Fit ubicumque acidum vitriolicum liberum factum sese terræ argillosæ potest unire; hinc in materiis pyritosis in Suecia, Anglia, Italia &c. in aere efflorescentibus, aut calcinatis, facilè gignitur: separatur tum facto lixivio, evaporatione, crystallisatione, & sub informi massa pellucida, ponderosa, glaciei instar, ad nos transfertur: solvitur hæc duodecuplo circiter sui ponderis aquæ ebullientis, & post debitam evaporationem crystallos dat octoedras, quas ingens aquæ quantitas, & quam Chemici septem duodecimas totius ponderis dicunt constituere, ingreditur; hinc igni admotum funditur primò, ebullit, spumescit, & evaporata omni crystallisationis aqua, siccatur in massam albam, spongiosam, acrem, quæ *Alumen ustum* vocatur, & usui chirurgico inservit.

Aluminis variæ species sunt, ac primò *rupeum*, *glaciale*, seu *commune* Officinarum.

Secundò *romanum*, ita à patria dictum: coloris pallido-rosei est.

Tertiò *plumosum*, quod non in usu, & cum amianto ordinariò confunditur; quamvis generali Aluminum sapore ab eo facilè possit distingui.

AMBRA GRISEA. *Ambergrys.*

Est substantia bituminosa, levis, opaca, coloris grisei, aut cinerei; maculis albicantibus, flavescentibus, aut nigricantibus variegata: saporis non particularis; odoris suavissimi. Manu calida tractata instar ceræ mollescit; ad ignem liquescit, velut in oleum: dum bona, tota inflammabilis est: mollescit, non solvitur, in aqua ebulliente: eam tamen suavi suo odore replet: solvitur, sed difficulter, in Spiritu Vini rectificato, & oleis essentialibus.

De hujus substantiæ origine non constat inter rerum naturalium Scriptores: aliqui Balænarum productum, aut Avium excrementum asserunt, dum alii, & probabiliùs quidem, bitumen minerale credunt: id certiùs scitur ad littora Maris indici, præcipuè post magnas hujus pelagi exagitationes, aquæ supernatantem, aut jam ejectam reperiri, & in massis plùs minùsve magnis, quæ conchas, piscium spinas aliaque corpora heterogenea substantiæ suæ plerumque intermixta habent, colligi, & ad nos adferri; sed attendant Pharmacopœi à malevolis Mercatoribus variis addititiis aliquando adulterari.

AMMEOS Semen. *Het Zaad van Bisschops-Kruid.*

AMMONIACUM GUMMI. *Gom Ammoniac.*

Est succus concretus, gummeo-resinosus, qui ex India orientali in magnis frustis, parvis granis, seu lacrymis constantibus, ad nos advehitur. Planta, cui debemus, necdum satis nota, dicitur ferulacea, & ex ea incisa succus lacti similis exstillare: semina anethinis

similia cum arena aliisque recrementis ei ordinariò intermixta inveniuntur. Coloris albi hoc Gummi est; sed aeri expositum flavescit: ore retentum mollescit, albescit; saporem præbet primò subdulcem, mox amaricantem, acrem, pertinacem: recentissimum odorem habet castorei, vetus galbani: igni injectum flammam concipit. Solvitur aceto & aqua: solutio lac æmulatur, & eâ sibi relictâ, resinosa pars sensim subsidet: spiritus Vini Alcohol dissolvit fere dimidiam partem, quæ saporis ejusdem est ac Gummi ipsum, relicta parte mucilaginosa, insipida; ut tota virtus priori videatur adscribenda.

AMOMI Semen. *De Zaaden van Jerusalems-Kruid.*

AMYGDALÆ AMARÆ & DULCES. *Bittere ende zoete Amandelen.*

Sunt fructus arboris malo Persicæ similis, quæ *Amygdalus sativa* Botanicis dicitur: duplex est, solo gustu fructuum distinguenda: crescit in Sicilia, Italia, Hispania, aliisque locis calidioribus.

Amygdalæ propter oleum expressum præcipuè in Medicina notæ sunt: dulces fere dimidium sui ponderis largiuntur; amaræ longe minus, sed omnino simillimi: amarities, quæ pluribus animalibus venenosa est, & quæ Aqua, ac Spiritu Vini extrahitur, quin imo cum eisdem distillatis transit, videtur in parte mucilaginosa, & terrestri hærere.

Rejiciantur Amygdalæ graciles, rugosæ, quarum medulla flavescit, & à vermiculis excesæ. Diu asservatæ in loco præsertim calidiori etiam rancorem contrahunt, quod citissimè accidit expresso oleo: tum loco saporis subdulcis nauseosum, mordacem & non innocuum nanciscitur.

ANAGALLIDIS Folia. *De Bladeren van Guichel-Heil.*

ANETHI Folia, Semen. *De Bladeren ende Zaaden van Dil.*

ANGELICÆ Radix, Semen. *De Wortel ende Zaaden van Angelica ofte Engelwortel.*

Regionum septemtrionalium propriè incola in hortis nostris in

ufus Medicos colitur; fed quæ in Bohemia & Hifpania crefcit noftram virtute tam longè præcellit, ut Collegium Londinenfe illam folam præfcribat, quæ ex pofteriùs dicta Regione adfertur.

Radices, quarum præcipuè ufus, facilè mucidæ fiunt, & à vermiculis exeduntur: ab his vitiis dicuntur poffe defendi, fi poft debitam exficcationem Spiritui Vini ebullienti immergantur, aut ejusdem vapori exponantur.

ANIME GUMMI. *Gom van Courbaril.*

Concretum hoc hactenus perperam Gummi Anime vocatum, cum integrum ferè refinofum fit, eft productum Arboris in America meridionali crefcentis indis *Courbaril* dictæ: adfertur fub fruftis variæ magnitudinis, quæ arida funt, friabilia, aliquatenus pellucida; coloris citrini; odoris fuavis, dum accenduntur fragrantioris; faporis prima fronte nullius, mox refinofi, parum terebinthinacei.

Refina hæc difficulter, & folo ferè odore, à Gummi Copal deftingui poteft: inflammabilis eft, & tota, folis recrementis terreis relictis, folvi poteft in Spiritu Vini rectificatiffimo: aqua folvit unam decimam fextam.

ANISI Semen. *Anyszaad.*

ANISI INDICI, feu STELLATI Semen. *De Zaaden van Ster-Anys.*

ANTIMONIUM, feu STIBIUM. *Spiesglas.*

Eft fubftantia mineralis, metallica, ponderofa, friabilis, igne volatilis; nullius ferè odoris, aut faporis; coloris plumbei; exhibens interius ftrias, feu fibras fplendentes fibi mutuo fecundùm longitudinem adunatas; conftans femimetallo, regulo Antimonii dicto, & Sulphure, vulgari non abfimili, quod fere tertiam partem integræ maffæ conftituit.

Mineræ Antimonii effodiuntur in variis Europæ Regionibus: purificatur ab heterogeniis fola fufione, & vafis fufum recipientis figu-

ram conoideam ordinariò exhibet, dum ad nos transfertur: rejicitur pro usu Medico Britannicum, quod crebrò plumbi portionem sibi admixtam habet; præfertur Hungaricum, quod purius, ponderosius est, & strias majores exhibet.

APII Radices, Semen. *De Wortels ende Zaaden van Water-Eppe.*

APRI DENTES. *De Tanden van het wild Verken.*

Sunt Dentes hujus Animalis canini, magni, in arcus formam flexi, albi, toti cavi, ex maxilla inferiori desumti, quibus se tuetur, & terram pro quærenda esca vertit.

Laudabantur olim ad pleuritidem, & illorum rasura compositiones aliquas ingrediebatur, quæ in Pharmacopœis sub miracula promittente, hinc ignaros seducente titulo *pulverum pleuriticorum* hactenus prostiterunt... exulent imposterum! quis enim à substantia absorbente aliquid boni ad morbum inflammatorium expectabit?

AQUA. *Water.*

Est corpus ad minimum caloris gradum, qui ad vegetationem requiritur, mobile, fluidum: defectu istius caloris in glaciem abiens, solidum: diaphanum, insipidum, inodorum; simplex, inalterabile, facilè in vapores avolans, non compressibile, quod vegetabilia, animalia, & salina mineralia corpora tamquam elementum ingreditur.

Aquæ, ut eas nobis provida natura suppeditat, distinguuntur in *insipidas*, seu *dulces*, & *sapidas*, seu *minerales.* Dulces, quarum latissimus, & omnibus cognitus usus, vel ex terra desumimus, vel meteora nobis subministrant: hinc *fontana*, *putealis*, *fluviatilis*, *pluvialis*, *nivalis* &c. quæ omnes, cum Aqua plurimorum corporum, præcipuè salinorum, gummosorum & gelatinosorum menstruum sit, variis in decursu suo imprægnantur substantiis, & numquam puræ habentur; sed, ut tales reddantur præsertim pro usibus Chemicis distillationi debent subjici. Ex naturalibus purissima censetur pluvialis; ea scilicet quæ procedente jam imbre, in aere aperto,

procul ab hominum habitationibus, in vafis fictilibus & puris colligitur. In genere ea optima eft, quæ leviffima, cryftalli inftar pellucida, nullius odoris, aut faporis, quæ nihil ad latera vafis deponit, olera bene concoquit, faponem facilè folvit, quæque inftillato Oleo Tartari per deliquium, aut folutione argenti cum Aqua forti facta non albefcit, nihil præcipitat.

Aquæ fapidæ, feu minerales eæ propriè funt, in quibus Chemica Analyfis fubftantias fpirituofas, fulphureas, falinas, aut metallicas detegit.

Harum variæ divifiones: aut enim omni anni tempore calorem Atmofphæræ fuperant, & *thermales* dicuntur: aut non fuperant, & *frigidæ* appellantur. Diftinguuntur deinceps à contentis in acidulas, alkalinas, fulphureas, ferratas &c.

Aquarum mineralium variæ in Europa fcaturigines: duarum potiffimùm Aquæ ad nos transferuntur, & in ufu Medico funt.

AQUÆ SELTERANÆ. *Selter-Waters.*

Nomen ab Oppido in Alfatia inferiori ad Rhenum fito, ubi earum Fons eft, receperunt: adferuntur in lagenis exactiffimè obturatis, & plenis; alioquin citiffimè corrumpuntur. Præter gas fuum & aliquid terræ continent falis communis & alkali foffilis unam centefimam & vigefimam partem fui ponderis: hinc earum cum acidis effervefcentia, & leviter lixiviofus fapor: hinc etiam acido Auftero in corpore dominanti medela funt, & optime cum lacte affumuntur, cujus coagulum eadem virtute impediunt.

AQUÆ SPADANÆ. *Spa-Waters.*

È pluribus Fontibus, qui in fat noto Oppido, à quo nomen receperunt, fcaturiunt, unicus *Pouhontius* falvis viribus ad exteras Regiones transfertur. Inftituta Analyfi conftat duodecim hujus Fontis Pintas continere Grana tredecim Ferri, Grana octo Alkali vegetabilis, & Terræ partim Argillofæ, partim Calcareæ Dragmam

Contenta hæc ſoluta ſuſtinet, & Aquas has veluti viviſicat gas, ſeu magnâ quantitas aeris fixi, à quo penetrans, vividus, quaſi ſpirituoſus harum Aquarum ſapor, & vis inebrians: hinc hoc diſſlato, quod facilè & etiam liberi aeris attactu fit, evaneſcunt hæ dotes, perit vis, & decompoſita Aqua ſenſim contenta ſua præcipitat.

AQUILEGIÆ SEMEN. *De Zaaden van Akelyen.*

ARGENTINÆ, ſeu ANSERINÆ Folia. *De Bladeren van Zilverkruid, of wilde Rynvaare.*

ARGENTUM. *Zilver.*

Eſt Metallum perfectum, album, ſplendens, ſonorum, Auro durius, & parum fuſibilius, poſt idem omnium Metallorum ductiliſſimum, & undecies Aqua ſpecificè gravius.

Reperitur in America, & variis Europæ partibus vel ſub forma naturali, jam malleabile, & *nativum* audit; vel ſub Forma Mineræ. È Matricibus obtinetur, & ab addititiis liberatur Amalgamatione, Fuſione, & Cupellatione. His non obſtantibus, ut ex Officinis Metallicis adfertur, unam decimam ſextam Cupri habet. Pro vario uſu proportionem hanc ulteriori Cupellatione mutamus. Optimè ſolvitur Acido Nitri puro: Solutio hæc accerrima, & deleteria excolor eſt, ſi Argentum purum adhibetur: ex hac Evaporatione inſpiſſata fiunt *Cryſtalli Lunæ*, ex eiſque Cryſtalliſationis Aqua Fuſione orbatis fit *Lapis Infernalis*, quod unicum Argenti Præparatum in uſus proſtat. Vide in Chemicis Cryſt. Lunæ, & Lap. Infern.

ARGENTUM VIVUM, ſeu MERCURIUS. *Kwik-Zilver.*

Subſtantia hæc Mineralis, quæ & *Hydrargyrus* vocatur, ſplendens eſt, coloris argentei, fluida, Plumbum fuſum æmulans, mobiliſſima, penetrantiſſima, & maximè diviſibilis. Caloris gradu, quo Aqua ebullit, abit in nocivos Nervis Vapores. Decies quinies ferè Aqua ponderoſior eſt; hinc ſoli Auro, & Platinæ ſpecifica gravitate cedit: Frigore valde intenſo Conſiſtentiam ſolidam acquirit, &

malleabilis ſit; ut Experimentum in Muſcovia captum comprobavit. In illàm nec Aer, nec Aqua, nec utriuſque vis juncta valet; neque hactenus ulla arte decomponi potuit; ut hinc pateat mirum, & ſingulare Corpus eſſe, eſſentialibus aliquibus dotibus Metallis, & quidem perfectis, poſſe annumerari; aliis ab omnibus differre.

Omnibus Acidis, facillimè Acido Nitri, ſolvi poteſt. Omnia metalla, excepto Ferro, præcipuè Aurum & Argentum penetrat, ſolvit, & cum eis mixtum efficit, quod *Amalgama* vocatur, pro quantitate Argenti Vivi plus minus molle. Hanc vim avidi Mercatores non neglexerunt, ut hanc Subſtantiam adulterarent. Plumbum Biſmuthi intermedio ad dimidium ponderis ei addi poteſt, retenta omni fluiditate; ut etiam per denſum Corium trajici poſſit, non detecta fraude. Noſci tamen poteſt his notis. 1°. Mercurius ita ſophiſticatus ſpecificè levior eſt. 2°. Biſmuthum ſub forma Pulveris griſei ſenſim ad Superficiem aſcendit. 3°. Globuli in ſcutella fictili, plana, leviter inclinata moti Pulverem Metallicum poſt ſe relinquunt, & caudam quaſi trahunt. 4°. Dum parva quantitas in Cocleari ferreo Igni exponitur avolat Mercurius, & remanent addita metallica: hinc ergo patet optimam methodum pro depuratione hujus Subſtantiæ eſſe Diſtillationem, cui omnis, qui ad uſus medicos adhibetur, neceſſariò ſubjici debet.

Invenitur Mercurius, vel jam fluidus, *nativus* dictus, vel ſub forma Mineræ, ſulphuri præcipuè junctus, cum quo *cinnabarim* conſtituit, in Hungaria, Hiſpania &c.: magna quantitas ex indiis orientalibus adfertur.

ARISTOLOCHIÆ Radix. *De Wortel van Geboorte-Kruid.*

Plures Species paſſim in Pharmacopœis notantur: præcipuæ a figura Radicis *longa*, *rotunda*, & *tenuis* appellantur: eadem omnibus ferè Virtus amara, abſtergens: adeoque ſine damno una reliquis poteſt ſubſtitui: vires fixæ ſunt & tam Aqua, quam Alkohole Vini extrahuntur.

Creſcunt in Europa Meridionali.

ARNICÆ

ARNICÆ Folia Flores. *De Bladeren, en de Bloemen van Gembſen-Wortel ofte Scorpioen-Wortel.*

Doronicum Germanicum etiam vocatur, & revera Doronici ſpecies eſt: Folia habet utrimque tomentoſa, Plantaginis foliis non multùm diſſimilia; Parum longiora tamen, & coloris dilutioris: Flores Lutei Coloris ſunt.

Olim in Contuſionibus, ad effuſum congrumatumque Sanguinem reſolvendum, unicè adhibita; jam commendatur ad omnes morbos à ſtagnantibus ab Inertia ubicumque Humoribus productos: videtur enim addito ſtimulo Motus, & Oſcillationes Solidorum reduplicando agere: hinc ad Paralyſim, Experimentis à CELEBRI COLLINO in Noſocomio Viennenſi captis, multum inclaruit.

Flores Herbâ potentiores ſunt: à minori Doſi v. g. dragma dimidia vel dragma una tribus quatuorve unciis Aquæ vel Cereviſiæ infuſa, præcipuè in Delicatioribus, incipiendum; major enim Doſis Anxietates, Cardialgias acerbas, Nauſeas aliaque ſymptomata, larga Diureſi, Sudore, Alvi Fluxu, aut Vomitu tandem auferenda, excitaſſe viſa eſt.

ARSENICUM. *Rottekruid.*

Arſenicum officinarum, quod & *album* vocatur, invenitur nativum, vel cum aliis Subſtantiis in glebas concretum in variis Europæ partibus: ferè omne, quod ad nos transfertur, ex Cobalto præcipuè in Saxonia ſublimatione elicitur. Subſtantia eſt coloris albi, ponderoſa, fragilis, non inflammabilis, ſed fuſilis, & cum rapacitate volatilis: carbonibus ardentibus impoſita reſolvitur in fumum album, allium redolentem: ſaporis eſt primùm leviter acris, demum exedentis: omnibus Metallis, & Semimetallis ſeſe unit eaque reddit fragiliora: ſolvitur in decies quinies ſuo pondere aquæ ebullientis, dein in omni ferè liquido: acidum nitri expedit, ſe baſi ejus unit, & ſpeciem particularem ſalis neutri cum ea conſtituit.

Non obſtantibus his dotibus, quibus ſalinam potiùs indolem exhibet,

vera tamen, quamvis ab omnibus aliis diversa, calx metallica est, & phlogisto unitum Semimetallum, *regulum Arsenici* dictum constituit.

Arsenicum cum sulphure mixtum, & cum eo sublimatum corpora suppeditat, pro varia proportione sulphuris, varia, & varii coloris: dum sulphur decimam partem massæ efficit, exoritur *Arsenicum flavum*, seu *auripigmentum factitium*: duplicata hac sulphuris dosi, *Arsenicum rubrum.*

Corpora naturalia sulphure, & Arsenico constantia, & prædictis artificialibus non multùm dissimilia e terræ visceribus etiam effodiuntur: prius flavum, *auripigmentum nativum* est; posterius rubrum, græcorum *Sandaracha*, arabum *Realgar.*

Arsenicum album potentissimum corrosivum venenum est. Multiplex experientia comprobavit à minima ejus dosi assumpta summos nasci stomachi, & intestinorum cruciatus; abdomen intumescere; lividum colorem hinc indè per habitum surgere; vomitu, syncope, convulsionibus torqueri hominem, & tandem gangræna extingui: quæ symptomata brevi post haustionem hujus veneni succedentia si superat, timor tamen remanet, ne postmodum lenta tabe consumatur. Neque tutus videtur externus usus: constat etenim infelicibus experimentis non solum partes, quibus applicatur, rodere; sed & intus resumi, atque omnem tragædiam, ac si ore assumptum fuisset, posse agere.

His non obstantibus Medici extiterunt satis audaces, ut in usus medicos adhiberent: laudatur à pluribus ad profligandas febres intermittentes: commendaverunt tamquam Amuletum adversùs Pestem, & externe ad Carcinomata adhibuerunt: quod ultimum temerariis Agyrtis adhuc in usu: funesti tamen hinc indè eventus docuerunt prudentiùs omnino abstineri.

Auripigmentum & Sandaracha Arsenico albo mitiora quidem sunt; tamen suspecta.

Omnibus remedio sunt obvolventia & diluentia; ut Oleum,

Lac &c. ad ſummam quantitatem continuò & diu hauſta: Antidotum necdum notum.

ARTEMISIÆ Folia. *De Bladeren van Byvoet.*

ARI Radix. *De Wortel van Kalfsvoet.*

Plures hujus Plantæ ſpecies: pro uſu medico præfertur illa, quæ *maculis nigris* diſtinguitur: creſcit in locis ſylveſtribus, umbroſis, paludoſis: radicem præbet tuberoſam, albam, rotundam, farinaceam, magnitudinis circiter Nucis Avellanæ, odoris non particularis; ſaporis, dum recens eſt, adeo pertinaciter acris, & urentis, ut à pluribus in venenorum claſſem reponatur, & Cardialgiam, Vomitum cruentum, &c. aliquando ſcribatur excitaſſe: acredo hæc, volatilis quaſi, mora & exſiccatione ſenſim perit, donec tandem effœta, inſipida evadat: pro uſibus itaque medicis adhibenda eſt modicè exſiccata: ita in frigidis mucoſis, tam Stomachi quam aliorum viſcerum morbis, ubi exſtimulanda eſt iners fibra, & attenuandi humores, præſtans præbet remedium. Recentis Grana decem vel quindecim bis terve quotidie aſſumpta ſcribuntur Arthritides pertinaciſſimas, & inveterata Aſthmata percuraſſe.

Venenoſæ ejus acredini medela Oleum, Lac &c. Antidotum acetum dicitur.

ASARI Folia & Radix. *De Bladeren ende Wortel van Mansooren, of Haſelwortel.*

ASELLI, vide MILLEPEDES.

ASPARAGI Radix. *De Wortel van Aſpargies.*

ASPHALTUS, vide BITUMEN JUDAICUM.

ASSA FŒTIDA, ſeu ASA FŒTIDA. *Duivels-Dreck.*

Eſt ſuccus inſpiſſatus ſtillans è radice ferulæ, quæ à LINNÆO *foliolis alternatim ſinuatis, obtuſis* diſtinguitur; à KÆMPFERO *hingiſch*

umbellifera, leviſtico affinis appellatur: extra Perſiæ & Mediæ fines ſcribitur non reperiri: radix exteriùs nigricans, interiùs alba eſt; forma paſtinacæ radicem æmulatur, ſed volumine longè ſuperat: excreſcit etenim aliquando ad ulnæ longitudinem, & Femoris Humani craſſitiem: ex ejus ſummitate vulnerata Aſſa Fœtida exſtillat alba, pinguis, inſtar cremoris lactis, fœtidiſſima: tum collecta ſoli exponitur, ut condenſetur: ibi flavum, ſubfuſcum colorem induit; & magnam fœtoris partem deperdit.

Adfertur nobis in fruſtis variæ magnitudinis, è quibus pro uſibus medicis eligantur illa, quæ ſplendent, flava ſunt, & punctis albis variegata: ſaporem habet amarum, acrem, ingratum; odorem retinuit adhuc inſigniter viroſum, alliaceum, pertinacem, excretiones omnes aſſumentis inficiens, quem ætas ademptis ſimul viribus continuò minuit: ejus una tertia pars Reſina eſt; duæ reliquæ Gummi: odor & ſapor in reſina præcipuè hærent.

Reſolvens eſt, etiam extùs partibus induratis applicatum: laudatur ob vim antihelminticam: antiſpaſmodicum eſt efficaciſſimum, cui in multis caſibus nullum par, nimis ob fœtorem neglectum.

AVENA. *Haver.*

AURANTIÆ MALI Folia, Flores, Fructus. *De Bladeren, Bloemen, ende Appelen van den Oranje-Boom.*

Regionum Meridionalium indigena apud nos in hortorum ornatum, adhibita cura ut, ab hiemali frigore maturè præſervetur, frequens colitur: arbor duplex, ſolo fructu diſtinguenda: altera aurantia *dulcia, Poma Sinenſia* dicta, quorum ſuccus acido-dulcis, vinoſus, gratiſſimus; altera aurantia *amara* profert: poſterior Medicinæ præcipuè dicata eſt: ejus folia amara, aromatica nuper adverſùs convulſiones, & epilepſiam tentata ſunt, & ſcribuntur laudes commeruiſſe. Flores ſuaviſſimè fragrantes, præcipuè dum recentes ſunt, *aquam naphæ* ſuppeditant. Fructuum ſuccus refrigerans, antiſepticus: cortex nervinus, cardiacus, carminativus: ejus

odor, ſapor, & omnes dotes *flavedini* inhærent, quæ Oleum Eſſentiale tam multum continet, ut etiam inter digitos exprimi poſſit. Multæ corticum vires Aqua extrahuntur, plures Spiritu Vini rectificato.

Aurantia immatura exſiccata ſub nomine *aurantiorum curaſſavenſium* aliquibus in uſu ſunt, & tincturam ſtomachicam Pharmacopœæ Edimburgenſis ingrediuntur.

AURICULA JUDÆ. *Jooden-Oor.*

Eſt fungus membranaceus figura, & magnitudine aurem humanam referens, Sambuco præcipuè accreſcens; hinc *fungus Sambuci* etiam dictus: coloris eſt ex cinereo nigricantis; ſaporis non particularis; odoris mucidi. Aqua maceratus molleſcit, & turget inſtar Spongiæ.

Aliqui tamquam exſiccans, & adſtringens remedium externè adhibitum in Ophtalmia, & Angina utilem prædicant: alii ſcribunt eum internè datum fortiter alvum laxare, & feliciter Hydropicorum aquas educere. CLUSIUS, & poſt illum varii Authores pro ſuſpecto habent, & fungis venenatis annumerant.

Donec metus hic ſubſiſtet prudentius arbitramur omnino ab hoc remedio, ſaltem pro interno uſu, abſtinere: præcipuè quia plura alia medicamenta facilè, & tutiùs viribus, quæ ei adſcribuntur ſupplere poſſunt.

AURICULÆ MURIS, ſeu PILOSELLÆ MAJORIS REPENTIS Folia. *De Bladeren van Muiſen-Ooren.*

AURIPIGMENTUM. *Opperment, geele Rottekruid*, vide ARSENICUM.

AURUM. *Goud.*

Eſt Metallum omnium perfectiſſimum, ductiliſſimum, coloris noti, nullius ſaporis, aut odoris; nec aqua, nec aere, nec igne deſtruendum. Parum elaſticum eſt, hinc vix ſonorum. Pes cubicus

hujus Metalli continet 1326. libras, adeoque aqua vigesies ferè specificè gravius est, & omnium corporum hactenus notorum ponderosissimum. Solvitur directè solis Hepate Sulphuris, & Aqua Regia, sed è menstruo suo præcipitatum non solùm omnibus acidis, etiam vegetabilibus, sed & Oleis Essentialibus, & præcipuè æthere solvi potest; quæ methodus *auro potabili* & ejus Tincturis parandis facillima. Solutio in Aqua Regia admodum caustica est. Si menstruum pro dissolutione Sal Ammoniacum recipit, vel Aurum præcipitatur admixtione Alkali volatilis, præcipitatum *Aurum fulminans* appellatur, quia mediocri calore, tritu, ut & fortiori compressione, instar Fulminis, detonat, & exploditur.

Arabes Aurum in Medicinam introduxerunt: hos secuti Alchemici miras ei vires cardiacas adscripserunt, omnibus fere morbis opposuerunt, & hujus ope vitæ terminos egregiè extendi posse promiserunt: hinc excogitata varia à variis præparata, quæ omnia vana, & nullius effectus esse non solum experientia demonstravit, sed & ratio & cognita hujus Metalli natura videntur dictare: inalterabile etenim viribus humani corporis mutari nequit, &, quocumque menstruo solvatur, non decomponitur: menstruis autem salibus gravidum suspectum: Aurum fulminans miras anxietates, & periculosa symptomata scribitur excitasse.

AXUNGIA. *Vet.*

Est substantia unctuosa, inflammabilis, plus minùs solida, quæ in cellulosa tela omnium ferè partium corporum Animalium deponitur. Aqua levior est, ei non miscibilis: moderato colore liquescit, velut in oleum: ut omnis pinguedo concretum oleum videatur posse dici: consistentiam debet acido penetranti, acri, partibus oleosis ita intimè immixto, ut nulla suæ præsentiæ det indicia, tam diu, quam pinguedo recens, inalterata est: sed Chemica Analysi facilè separatur, & ætate, ut etiam ignis actione extricatur: tum pinguedo rancida fit, & acris, odoris fortioris, saporis nauseosi. Eam ab his pravis qualitatibus liberare potest Spiritus Vini, qui non pinguedini inalteratæ, sed parti rancidæ menstruum est.

Ut pura obtineatur à membranaceis cellulis, & vasculis, quibus adhæret, liberanda est: tum multâ aquâ lavanda, qua gelatinosæ partes ei auferantur: dein cum parva aquæ quantitate leni igne liquanda, & relinquenda donec omnis aqua avolaverit.

Superstitiosis Medicinæ sub Arabibus sæculis magnus axungiarum numerus in Officinas introductus est: ut Anatis, Gallinæ, Lupi, Ursi, Hominis &c. &c. Aliquæ Pharmacopœæ viginti octo Animalium pinguedines præscribunt: harum aliquibus virtutem resolvendi; aliis calefaciendi, & detergendi; aliis demum emolliendi tribuunt: sed re propiùs, & sine præjudicio perspecta parùm omnes virtute differunt: omnes emolliunt, laxant partes, quibus applicantur: omnes transpirationem impediunt: ita ut Collegium Londinense, missis aliis, tres tantùm Axungias in Officinis Pharmaceuticis retinuerit: *viperæ* scilicet, quæ ad oculos commendatur, & ejusdem Collegii Unguentum de Tutia ingreditur; *porci* & *sebum ovile*, quæ revera omni scopo videntur posse satisfacere.

BALSAMITÆ MARIS, sive COSTI HORTORUM Folia. *De Bladeren van groot Balsemkruid of Bakkruid.*

BALSAMUM COPAIBA. *Balsem van Copaiba of Copahu.*

Est liquor resinosus ad incredibilem quantitatem ex incisa Arbore Brasiliensi, incolis *Copaiba*, RAJO & aliis Botanicis *Arbore balsamifera Brasiliensi fructu monospermo* dicta, defluens. Dum recens est hoc Balsamum oleum fluiditate æmulatur; splendens est, pellucidum; coloris pallido-citrini; odoris fragrantis, proprii, non ingrati; saporis amaricantis, acris, linguæ diu inhærentis: diutius asservatum tenacius fit, mellis consistentiam acquirit, & retenta pelluciditate aureum colorem induit.

Præter hoc genuinum Balsamum aliud sub eodem nomine adfertur, albicans, minus pellucidum, crassioris consistentiæ, saporis magis ingrati, odoris terebinthinacei. Aliqui ex cortice, & ramis ejusdem

Arboris coctione id scribunt extrahi; alii & probabilius addititiis substantiis genuinum adulteratum credunt.

Totum solvitur Spiritu Vini alkalisato & præ reliquis Balsamis tam multo oleo æthereo scatet, ut unciæ quinque vel sex ex libra una ponderis civilis humida distillatione elici queant.

Externè adhibitum antisepticum, vulnerarium est; Indis præsertim ad consolidanda vulnera in usu: internè sumptum valet in frigidis quibusdam nervorum affectibus: laudatur in fluore albo, tussi, & suppurationibus pectoris internis. Sed ubique animadvertendum egregiè calefacere, & exstimulare: in majori dosi datum purgat. Urinam sapore amaro, non odore violaceo, ut terebinthina, inficit; diureticum est: hinc præscribitur in omnibus ferè Viarum Urinariarum vitiis, & præcipuè harum partium ulceribus: hinc etiam multus ejus usus fuit in gonorrhæa virulenta; sed ab impestivè dato medicamento adeo calido, & quod ulcus consolidando venenosum pus cohibet, non nisi prava symptomata, & universalis Lues possunt exspectari.

BALSAMUM GILEADENSE, vide OPOBALSAMUM.

BALSAMUM PERUVIANUM. *Balsem van Peru.*

Duplex: alterum *commune* Officinarum fere mellis consistentiam habens, coloris subrubro-nigricantis; odoris fragrantis, suavissimi, ad Styracis odorem accedentis, saporis subacris, aromatici, amaricantis: alterum *præstantius*, & quod rarissimè ad nos pervenit, fluidum, tenue, coloris albidi, pellucidum; saporis ejusdem ac commune, sed odoris fragantioris. Posterius fluit ex inciso cortice Arboris, quæ in America Meridionali crescit, & Incolis *Hoitziloxitl*; peregrinatoribus per excellentiam *Arbor Balsami* dicitur: prius ex ejusdem Arboris cortice, & ramis coctione extrahitur. Humida distillatione largitur Olei Ætherei rubri unam decimam sextam circiter sui ponderis. Solvitur totum, si genuinum, in Spiritu Vini Rectificatissimo, & Oleis essentialibus. Aquæ, Lacti, Oleis expressis, Animalium

malium pinguedini, vel Ceræ immifceri nequit: optimè, ut alia Balfama, in Elæofaccharo exhiberi poteft, vel fpiffiori mucilagini Gummi Arabici longâ triturâ immixtum, affufâ poftmodum fenfim Aquâ in emulfione propinari.

Vires Medicæ hujus Balfami nervinæ &c. parum calefactus utiliter à Chirurgis inftillatur in Nervorum, & Tendinum læfionibus.

BALSAMUM TOLUTANUM. *Balfem van Tolu.*

Fluit ex incifo cortice Arboris, Pinum æmulantis, *toluiferæ* LINNÆO dictæ, in America Meridionali, præcipuè in Provincia Tolu, quam vulgò *Honduras* appellant. Adfertur ordinariò cucurbitis inclufum. Dum recens tenax quidem eft, fed mediocris tamen fluiditatis, quam affervatum continuò deperdit: donec tandem Refinam æmuletur, & fragile evadat. Coloris ferè aurei eft; odoris gratiffimi, aromatici, Gummi Benzoini, & Limonum fragrantiam quodammodo referentis: faporem habet multò gratiorem, quam alia Balfama, fubdulcem, leviter ftimulantem, & calidum. Olei Ætherei parum largitur: totum folvitur in Spiritu Vini rectificatiffimo: folutio coloris flavefcentis eft, & odoris fuaviffimi: vitello ovi, & faccharo fubactum gratam emulfionem fuppeditat.

Præter generales Balfami virtutes, multùm ab Anglis commendatur ad Catharros rebelles, & Tuffes inveteratas: laudatur etiam in Afthmate & Phthifi.

BARDANÆ Radix & Semina. *De Wortel en Zaaden van Kliffenkruid.*

BDELLIUM. *Bdellium.*

Eft concretum gummeo-refinofum, quod nobis ex Arabia & Indiis Orientalibus in fruftis variæ magnitudinis & figuræ adfertur. Arboris non bene hactenus notæ productum eft: Colorem habet ex fufco rubentem: inftar Myrrhæ genuinæ contactu quodammodo pingue

eſt : ſi ſordibus expers, fractum pellucet: ore retentum molleſcit, dentibus adhæret, tardiſſimè ſolvitur, & ſaporem præbet in initio vix ullum; dein ſubtilem, acrem, ſubamarum : odore grato aromatico Myrrham aliqualiter æmulatur: calori expoſitum ductile fit: igni injectum Flammam concipit, eamque cum crepitatione fovet: fumus ſuavem odorem ſpirat: Aqua & Spiritus Vini Rectificatiſſimus æquales ferè portiones ſolvunt.

BECCABUNGÆ ſeu ANAGALLIDIS AQUATICÆ Folia. *De Bladeren van Water-Guichel-Heil.*

BELLADONNÆ, ſeu SOLANI LETHALIS Folia. *De Bladeren van doodelyke Nachtſchaede.*

Innumeræ obſervationes probant omnes plantæ hujus partes deleterias eſſe. Foliorum grana duo, vel tria aquæ infuſa temulentiam, vertiginem & viſus debilitatem produxerunt: major doſis maniam, ſoporem & mortem demum intulit. Similia exempla de radice extant: à duarum, vel trium Baccarum eſu viſi ſunt interiiſſe. Nec tutus eſt externus uſus: folia oculo applicata pupillæ relaxationem; in alio caſu cæcitatem induxerunt.

His non obſtantibus ob vim ſtupefacientem, qua in infortunatis his caſibus elucet, tentatus eſt ejus uſus: inceptum eſt à foliorum grano dimidio aquæ infuſo, & ſenſim aucta doſis, donec oris ſiccitas, aut vertigo ſuperveniret: dein extractum è foliis paratum, & eadem cautela exhibitum : ita cancro oppoſita, & ab aliquibus non ſolùm tamquam innoxium, præcipuè in pituitoſis, remedium; ſed etiam in diro hoc morbo tamquam ſpecificum, cicutæ in pluribus caſibus anteponendum, laudata eſt. In ulceribus etiam calloſis, & Cacoetheis; quin & in doloribus nephriticis tentata, & à fide dignis Scriptoribus magnis encomiis celebrata, ſpem dedit Medicis, ſævis quibuſdam & ad omnia cognita rebellibus morbis, forſan remedium fore : hinc per omnem Europam alacriter tentamini ſubjecta eſt; ſed eventus tam parùm his votis videntur ſatisfeciſſe, ut in venenoſiſſima-

rum plantarum classem denuo relegata, ad usus Medicos ferè non ampliùs adhibeatur.

BELLIDIS MAJORIS Folia. *De Bladeren van Ossen-Oogen of Madelieven.*

BELLIDIS MINORIS Folia. *De Bladeren van kleine of gemeine Madelieven.*

BENZOINUM. *Benzoin.*

Concretum hoc integrè resinosum, quod & *Asa dulcis* vocatur, adfertur nobis in massis, quæ juncei textus, involucri sui, impressionem in superficie exhibent, & constant Granis, seu Lacrymis flavescentibus, rutilantibus, aut albicantibus: optimum est, quod *amygdaloides* dicitur: quia moleculis albicantibus veluti dissectas Amygdalas refert. Substantiam exhibet aridam, duram, fragilem: saporem præbet primò subdulcem, dein leviter resinosum, pinguem, aromaticum; odorem, præcipuè dum inter digitos confringitur, aut accenditur, gratissimum, fragrantissimum. Calore liquatur: totum solvitur Spiritu Vini Rectificatissimo: vires suas odoratas Aquæ calidæ largitur, & post aliquod tempus in ea Salem suum essentialem, qui sub nomine *Florum Benzoini* venit, deponit: Sal hic, refrigerata Aqua, abit in Crystallos Acus referentes: meliùs, & ad decimam partem Benzoini ponderis, obtinetur Sublimatione ordinaria methodo instituta: dotes habet ab omnium aliarum Substantiarum Salibus essentialibus diversas, & solvitur tam Aqua, quam Spiritu Vini. Vide in Chem. FLORES BENZOINI.

Benzoinum secundùm aliquos fluit in pauca quantitate ex inciso cacumine sexennis Arboris, quæ in utraque India crescit, & Incolis *Belzof*; LINNÆO *laurus foliis enerris, obversè ovatis, utrimque acutis, integris, annuis* dicitur: alii hanc Substantiam ab aliis Arboribus repetunt: ut non mirum sit aliquos etiam dari, qui ignotam hactenus Arborem esse sustinent.

BERBERIS Fructus. *De Vrugt van Barberiſſe.*

BETONICÆ Folia. *De Bladeren van gemeine Betonie.*

BETULÆ Succus. *Het Sap van den Berkenboom.*

Arbor hæc profundè inciſa, vel perforata circa veris initium ſummam copiam fundit Succi ſubdulcis, quem aliqui in Medicinam adverſùs Scorbutum, & Morbos cutaneos introduxerunt: præſcribitur ex altiori Arboris parte depromptus, per aliquas ſeptimanas, omni matutino tempore, ad uncias quatuor vel ſex: evidenter diureticus eſt; ut etiam Diabetem ſcribatur excitaſſe. Saltem præferri videtur debere decocto ligni vel corticis ejuſdem Arboris, quod noſtrates ad eoſdem ferè uſus adhibent.

BEZOAR Lapis. *Bezoarſteen.*

Hoc nomine inſigniuntur Lapides, ſeu calculoſæ concretiones in ventriculo Animalium, quæ de caprarum genere dicuntur, inventæ: duo potiſſimùm in Officinis proſtant: orientalis & occidentalis: id commune habent, quod figuræ ſint variæ; ordinariò ad rotundam accedentis: quod nullum præbeant odorem, aut ſaporem: quod conſtent lamellis concentricis, ſeparabilibus, & quod in utriuſque centro communiter corpus aliquod heterogeneum; ut lana, paleæ, corticis fruſtulum &c. quod efformationis baſis eſt, lateat.

Orientalis, pretioſior, compactus, variæ magnitudinis eſt: ordinarii vix drachmam dimidiam, vel drachmam pondere æquant: rariſſimi, & ingentis pretii ſunt, qui ovi columbini, vel majori adhuc volumine gaudent: ſuperficiem habet lævem, politam, ſplendentem, colorem ex viridi nigricantem: deſumitur ex annoſiori Capra Bezoardica, vel capricerva, *gazella* dicta, in Perſia & India orientali.

Occidentalis in genere major est, figuræ magis diversæ: superficiem habet magis inæqualem, nec politam, nec splendentem: lamellis constat crassioribus, quæ texturam habent minùs compactam; mollior, magis friabilis est: colorem habet cinereum plus minùs dilutum, cui sæpius aliquid viroris, aut nigredinis admixtum est. Obtinetur ex Capra Peruvina; secundùm plures ex vario Brutorum genere.

Bezoar præcipuè Orientalis, cum ingentis pretii sit, tam raró genuinus occurrit, ut aliqui Authores, omnes, qui ad nos afferuntur, arte factos esse, contendant: hinc in detegendis & describendis hujus Lapidis genuini notis characteristicis admodum scrupulosi fuerunt. Varia à variis in hunc finem citantur criteria: plura fallacia sunt: optimum, & unicum quod fraus hactenus non videtur potuisse imitari, sequens censetur: chartæ pauxillo cerusæ obductæ Bezoar affricatur: si genuinus, inductæ sub affrictu Lineæ luteæ fiunt, vel ex luteo viridescentes; si artificialis, color non mutatur.

Nomen & medicus usus Arabicæ originis sunt. Superstitiosi hujus sectæ Medici, qui artem, ex solis Naturæ legibus & fideli observatione petendam, tot ridiculis figmentis deturparunt, utrumque, præcipuè tamen Orientalem, laudaverunt tamquam excellentissimum analepticum, cardiacum remedium; summè anxii in determinanda paucorum granorum dosi, tamquam sacram Anchoram omni morbo maligno opposuerunt, & pro Antidoto universali, utpote, quod aucta Diaphoresi Venenum per cutis poros propellere aptum esset, commendaverunt: sed ut paucis verbis omnium Medicorum, qui præjudicata opinione liberi, justo examine instituto, suum Naturæ, suum Medicamento tribuerunt, sententiam complectar, omnis virtus fabulis suffulta est, & non solùm observata, sed & perspecta hujus Lapidis Natura ejus inertiam testatur: ut Calculus humanus etenim concrementum terreum, morbosum est, quod ipsum Animal, è quo desumitur, digerere nequit, & in quod humores nostri nihil possunt: ita ut post tantam Fa-

mam non alia virtus ei relicta ſit, quam acida abſorbendi; in quem finem, ſi quis experiri amat, ad drachmas etiam, ſine aliis noxis quam quæ ab omnibus terreis timentur poteſt exhiberi.

BISMALVA, vide ALTHÆA.

BISTORTÆ Radix. *De Wortel van Hertstong of Slangenkruid.*

BITUMEN JUDAICUM, ſeu ASPHALTUS. *Jodenlym.*

Eſt Subſtantia levis, ſolida, friabilis, ſplendens; coloris fuſci, vel nigri; ſaporis pauci, ſubamari; odoris, præſertim dum incaleſcit, igne liquatur, vel accenditur ingrati, fortis, bituminoſi, velut Picis. Mari mortuo, ſeu lacui aſphaltiti ſupernatans invenitur, & eruitur è terræ viſceribus nonnihil adhuc molle & lentum in pluribus Ægypti partibus, ſed raró ad nos transfertur. Ei ſubſtituta in Officinis proſtat alia Subſtantia bituminoſa odoris fortioris, ſed ejusdem omnino indolis, quæ è Gallia, Germania & Helvetia ut plurimum adfertur.

Ægyptiis ad condienda cadavera in uſu: apud nos Theriacam olim ingrediebatur: Oleum inde paratum fœtidiſſimum in ulceribus pulmonum laudatur.

BOLUS. *Bolus.*

Plures Terræ ſub hoc nomine proſtant: omnes *Bolares* & quæ natalis loci ſigillum impreſſum ferunt, *Sigillatæ* dicuntur: omnes argillæ ſunt, ad attactum molles, puingues: ore aſſumptæ linguæ adhærent cum adſtrictionis ſenſu, & tandem liqueſcunt: aquæ ſeſe facilè immiſcent, ſed in ea non ſolvuntur; nam ſibi relictæ illico ſubſident. Præcipuæ ſunt ſequentes

BOLUS ARMENA. *Armeniſche Bolus.*

Genuina reliquis minùs glabra & mollis eſt, coloris vividi rubri: cum acidis non efferveſcit: ei in Officinis paſſim ſubſtituitur

BOLUS GALLICA. *Franſche Bolus.*

Magis mollis & pinguis, colorem habet pallido-rubrum, cum venis albis & flavis interſperſis: leviter cum Acidis effervefcit: reperitur in Gallia, Italia & Germania.

BOLUS LEMNIA, TERRA LEMNIA, ſeu TERRA SIGILLATA Officinarum. *Lemniſche Bolus, gezegelde Aerde.*

Coloris pallido-incarnati eſt: adfertur in trochiſcis convexo planis, lævibus, Characteribus Arabicis notatis: in Aqua cum ſtrepitu fatiſcit: cum Acidis leviter effervefcit.

Præter hanc dantur diverſæ aliæ terræ ſigillatæ varii coloris & variis Characteribus notatæ; ſed omnes ejusdem indolis ſunt: rarò genuinæ habentur.

Laudatæ fuerunt longo tempore tamquam remedia adſtringentia in Diarrhæa, Dyſſenteria, Hæmorrhagiis &c. commendatæ in morbis malignis, & humorum diſſolutionibus: ſed earum Natura probat inertiam, & ut SPIELMANNI verbis utar " cur ſubſtantiis dubiis, quæ non poſſunt non primis viis incommodo eſſe in tanta certiorum & ſecuriorum refrigerantium & roborantium copia noſtros ægros onerabimus?

BORAX. *Borax.*

Eſt Subſtantia omnes dotes Salis neutri præ ſe ferens. Proſtat nobis ſub Cryſtallis multilateris veluti Sal Gemmæ & Alumen, quæ colorem habent album, pellucidum: odoris eſt primò non ingrati, poſt alkalini, urinoſi; ſaporis ſubdulcis, mox acris, ſtimulantis, cui aliquid lixivioſi junctum eſt. Cryſtalliſationis ſuæ Aqua dimidiam ponderis partem efficit: in Aere non liqueſcit, ſed evaporatâ ſenſim Cryſtalliſationis Aquâ fatiſcit in pulverem album, qui nova operatione denuo in eaſdem Cryſtallos reduci poteſt: Igni expoſita funditur, ſpumeſcit & tandem convertitur in vitrum durum &

ſemipellucidum, quod in Aqua ebulliente totum ſolvi poteſt: ſolutio hæc Cryſtallos ordinaria methodo obtinendas, & nulla qualitate ab ipſa Borace diſtinctas continet.

Borax vigecuplam circiter rationem Aquæ pro ſolutione exigit: id citiùs calida peragitur, quam frigida: decomponitur ab Acidis vegetabilibus & mineralibus, quæ ſeſe ejus baſi uniunt, & cum ea Salia conſtituunt omnino ſimilia illis, quæ fiunt ex eiſdem Acidis Alkali foſſili junctis: ſub hac operatione [illegible]paratur Subſtantia ſalina, particularis, ab Authore & Viribus *ſal ſedativum hombergi* dicta, quæ dein Cryſtalliſatione, ut & Sublimatione ſeorſim obtineri poteſt: ut hinc pateat Boracem Alkali foſſili & Sale ſedativo, illi indolem Salis neutri concilianti, conſtare.

Origo particularis hujus Subſtantiæ needum nota eſt: aliqui potiùs Artis, quam Naturæ productum eſſe crediderunt: plures relationes conveniunt eam in India orientali ex Aquis ad Cupri fodinas reperiundis Evaporatione parari. Olim omnis Venetias ex Alexandria advehebatur; hinc Borax *Veneta* dicta eſt: jam omnis cruda, partim griſea partim obſcurè viridis, arenulis aliiſque heterogeneis immixta, in Hollandiam adfertur, ubi ſolutione, filtratione ac nova Cryſtalliſatione purificatur.

Mechanicus & chemicus Boracis uſus multus: juvat etenim omnium Metallorum fuſionem, & Terrarum vitrificationem. Raró in Medicina adhibetur: ad drachmam dimidiam, vel ſcrupulos duos Emmenagogum ſcribitur & partum promovens Remedium; ut ideo *pulverem ad partum* Pharmacopœæ Edimburgenſis ingrediatur: ſolutio aquoſa laudatur ad cruſtas aphtoſas Infantum.

BORRAGINIS Flores. *De Bloemen van Bernagie.*

BOTRYOS Folia. *De Bladeren van Duivenkruid.*

Planta hæc duplex eſt: *Mexicana* ſcilicet, & *Vulgaris*: prior omni dote præſtantior ob raritatem vix hactenus adhibita eſt; creſcit

crefcit tamen jam in Hortis noftris, ut pofterior, quæ TOURNEFORTIO *chenopodium ambrofioides folio finuato* dicitur, & Hifpaniæ propriè incola eft. Balfamicæ funt, totæ odoratæ; faporis fubacris, aromatici: folia legentis manus inficiunt Mucilagine refinofa, qua obducta funt.

Oblivioni fenfim traditæ in ufus medicos denuo revocatæ funt: tamquam carminativum remedium adhibentur in Cardialgia & Colica flatulenta: conferva, vel infufum unciæ dimidiæ foliorum in libra Lactis, vel Aquæ quotidie hauftum laudatur in labe vifcerum purulenta, & omnibus ferè Morbis Pectoris.

BRYONIÆ ALBÆ Radix. *De Wortel van wilde Wyngaerd; ofte witte Bryonie.*

Inter acerrima purgantia numeratur; hinc in Hydrope aliquam famam confecuta eft: recentis fuccus adeo acris eft, ut cutim brevi erodat: tutiùs adhibetur infufum aquofum. Externè adhibita efficaciter difcutit, ut etiam cum Sale Ammoniaco mixta ad Strumas laudetur. Fortis & ingratus odor, ut etiam virtus, exficcatione fenfim perit: fæcula ferè iners.

BUFO. *De Padde.*

Hoc Animal ab omni ævo, præcipuè ejus Saliva & Humor, quem laceffitum ad certam diftantiam ejicit, quemque ejus Urinam aliqui credunt, inter Venena numerata funt. Recentiores & magis accuratæ Obfervationes timorem hunc videntur adimere: ut credendum fit Animal, quod ob fœdum afpectum & Veneni fufpicionem horrere folemus, non alio modo, homini faltem, nocere, quam apud fenfiles præternaturales nervorum affectiones producendo.

Rifibile Præjudicium Bufonem exficcatum tamquam amuletum adverfùs Morbos malignos & contagiofos introduxit: idem remedium umbilico applicatum fcribitur ab aliquibus Hæmorragias, præ-

cipuè uterinas, ſiſtere: ſi umquam fecit, horrori indè excitato videtur adſcribendum. Hujus Animalis uſti cineres *æthiopem animalem*, ſpecificum contra Variolas, aliquibus conſtituunt: laudantur ad Hydropem: tenuem famam debent caſibus fortuitis, & certè vires non habent ab aliis cineribus diverſas.

BUGLOSSI Radix, Folia, Flores. *De Wortel, Bloemen en Bladeren van Oſſetong.*

BUGULÆ, ſive CONSOLIDÆ MEDIÆ Folia. *De Bladeren van Wondkruid of Waalwortel.*

CACAO. *Cacao, Chocolaat-Nooten.*

Arbor Americana *Theobroma* Botanicis dicta fructum dat Cucumerem forma æmulantem, ſemipedem longum, tres quatuorve pollices craſſum, novem aut decem coſtis prominentibus, ut melones, notatum; coloris ea proportione qua ad perfectam maturitatem accedit ex flavo in coccineum abeuntis. Quilibet horum fructuum triginta circiter Nucleos, Subſtantiâ pulposâ, albâ, ſucculentâ, ſaporis grati, acidi, inter ſe diſtinctos, continet. Hi nuclei *Cacao* ſimpliciter, *Nuces Cacao* & etiam *Avellanæ Mexicanæ* dicuntur: formæ ſubrotundæ ſunt; Piſtaciis, quas æmulantur, majores: ſub putamine ruſeſcente, fragili continent Medullam oleoſam extus fulvam, intus fuſcam; ſaporis amaricantis, leniter acerbi, non ingrati; odoris proprii, levis. Ebullitione in Aqua ad ſuperficiem deponunt unam tertiam circiter ſui ponderis Olei albi, blandiſſimi, non facilè ranceſcentis, quod in noſtro climate conſiſtentiam ſpiſſam habet: hinc *Butyrum Cacao* appellatur. Obtinetur etiam expreſſione & diſtillatione. Prior methodus in longè minori quantitate & tenuius largitur; poſteriori obtentum ob contractum empyreuma, depoſita nativa dulcedine, ſaporis acris eſt, odoris fortioris & colôris ruſeſcentis.

Vires Caçao nutrientes, analepticæ ſunt: præcipuus harum Nu-

cum usus satis notus est: tostæ scilicet cum Aromatibus & Saccharo Choccolatam constituunt.

Butyrum ab aliquibus ad omnes usus Spermati Ceti substituitur, & ob majorem gratiam præfertur; sed cum experientiæ docuerint à debili & languido ventriculo difficulter, & non sine maximis turbis, subigi, ejus cum multo Saccharo miscelam, ut solubilitas juvetur, arbitramur necessariam.

CALAMINARIS Lapis. *Calamynsteen.*

Est substantia mineralis, quæ *Cadmia nativa* seu *fossilis* à pluribus appellatur, & in Germania, Anglia & aliis Europæ Regionibus, sui juris aut aliis mineralibus juncta, eruitur. Plus minus compacta & friabilis est: videtur Terra esse, quæ Ferrum & Zincum continet, & pro horum diversa proportione à gryseo ad fuscum varii est coloris: ob varias rationes antequam in Officinas nostras affertur Calcinationem subit.

Usus externus: in Excoriationibus & Ulceribus optimum desiccativum, & cicatricem juvans remedium est: redigi debet in pulverem tenuissimum.

CALAMINTÆ Folia. *De Bladeren van Calamint.*

Plures species sunt: *arvensis*, *montana*, *vulgaris* &c. ultima Theriacam ingrediebatur.

CALAMI AROMATICI, sive ACORI VERI Radix. *De Wortel van welriekende Lisch.*

CALENDULÆ Flores. *De Goudbloemen.*

Exsiccatione omnem odorem leviter balsamicum, quem recentes spirant & à quo vis videtur pendere, exuunt. Numerati sunt inter Alexipharmaca, Expellentia, Cardiaca, Sudorifera, Uterina: hinc commendati in Peste, Febribus exanthematicis, Mensium Suppressione &c.

Famam non videntur meruiſſe: quin imò ob ipſas eis adſcriptas virtutes in ſupradictis morbis ſæpe nocere debent: aniculis tamen & Medicaſtris præjudicii ordinariò tenacibus ad eoſdem morbos adhuc in uſu ſunt.

CALX VIVA. *Levende Kalk.*

Multis productis chemicis nomen Calcis tribuitur: eo hic loci ſignificatur Subſtantia alba, vel gryſea, levis, ſicca; ſaporis acris, cauſtici; aquæ avidiſſima, ex Lapidibus & Terris cum Acidis effervescentibus, ſeu *calcareis* dictis, ſufficienti calcinatione producta.

Aqua huic ſubſtantiæ affuſa eam penetrat cum violentia, ebullitione & inſigni calore; eam ſolvit in paſtam, & cauſticitatem ejus demit. Aqua, poſtquam huic operationi inſerviit, *Aqua Calcis* vocatur, & Calx ita tractata appellatur *extincta*, quæ, quamvis partem affuſæ Aquæ fortiſſimè retineat, nova tamen Ignis violentia denuo in vivam reduci poteſt. Extinguitur etiam ſenſim in Aere, & in pulverem fatiſcit ſubtiliſſimum: ejus humiditatem enim tam avidè & copioſè attrahit, ut volumen multùm augeatur & pondus duplicetur. Cæterùm Calx viva pluribus ſuis dotibus medium videtur locum tenere inter Terras abſorbentes & Alkalina fixa.

Chemici Calce viva utuntur, ut ad varios uſus vim cauſticam addant Salibus Alkalinis: introſumpta Veneni effectus edit: extus vis ejus ignea, urens, eſcharas inducens; hinc cum melle ſubacta commendatur ab aliquibus tamquam potens Cauterium adverſùs Rheumatiſmum inveteratum, & adhibetur tamquam Depilatorium.

Aqua Calcis, quæ ſcilicet recipit, quidquid ſtatui ſalino proximum ea ſolvi poteſt, & in Operationibus chemicis eoſdem planè effectus ac Calx viva ipſa exhibet, in Arte Medica multùm jam inclaruit: exteriùs à Chirurgis adhibetur ad tineam, œdemata, abſtergenda ulcera &c.: optimum Gargariſma præbet in ulceribus oris & gutturis: cum Oleis expreſſis Coagulum efficit ad ambuſta

utilissimum. Multiplex experientia confirmat interiùs sine noxa, præcipuè in frigidis & obesis, ad plures etiam libras quotidie assumi posse: saporem habet acrem, urinosum; ea utentis fauces ordinariò siccantur, & alvus stipatur: agit sæpissimè per lenem Diuresim, vel Diaphoresim: remedium est adversùs acrimoniam acidam non solum in primis viis, sed etiam in humoribus nidulantem: humores viscidos solvit; hinc laudatur in Pallore cachectico, Obstructione viscerum, Scorbuto, Hydrope & Strumis non nimium inveteratis: scribitur putrefactionem arcere, & cum lacte Viscerum, præsertim Vesicæ, ulceribus prodesse: commendatur tamquam Anthelminticum &, præcipuè si è Conchyliis paretur, tamquam excellentissimum Lithontripticum.

Distinctio hujus Aquæ in *primariam* & *secundariam*, quæ dudum obtinuit, frivola videtur; cum decimæ infusionis easdem omnino virtutes possidere ac primæ, & Calcem plus quam millesies suum pondus Aquæ saturare constet.

Quamvis nihil volatile videatur possidere servanda tamen est in lagenis plenis & bene obturatis: alioquin materiam, quam dissolutam tenet, ad superficiem sub forma pelliculæ, quæ *Cremor Calcis* dicitur, deponit: ea sensim omnem salinam substantiam ita videtur attrahere, ut Aqua, si diutius Aeri exposita maneat, tandem insipida evadat.

CAMPHORA. *Kamfer.*

Prostat nobis sub frustis, seu panibus concavo-convexis: candida est, splendens, crystallina; odoris proprii, fragrantissimi, caput obnubilantis: saporem præbet penetrantem, amarum, acrem; tamen evidenter linguæ frigoris sensum imprimit: tota inflammabilis est, ut etiam super Aquam, cui innatat, ardeat; flammam præbeat lucidissimam, & nullas fœces relinquat. Igni imposita liquescit, velut in Oleum, sed cito resolvitur in vapores fragrantissimos: adeo etenim volatilis est, ut integra, nullis sui vestigiis relictis, non so-

lùm in libero Aere, ſed etiam chartæ, aut pixidi ligneæ incluſa avolet: tota & ſine alteratione ſublimari poteſt: difficulter ſine adjunctis terreis in pulverem redigitur: ſolvitur perfectè Spiritu Vini rectificatiſſimo, Oleis, Mucilaginibus & Acidis mineralibus. Hæc ultima in eam agunt ſine efferveſcentia, aut calore: naturam ejus non immutant: ſolutio in Spiritu Nitri facta *Oleum Camphoræ* audit. Omnes has ſolutiones, excepta illa quæ Oleis fit, decomponit affuſa Aqua, quæ ſe menſtruo unit, & in qua Camphora diſſolvi nequit: ſub hac operatione lacteſcit mixtum, Camphora ſub flocculorum alborum forma ſeparatur, & ad ſuperficiem aſcendit: ope Calcis, methodo à celeberrimo MACBRIDE inventa, tamen Aquæ uniri poteſt.

Ex omnibus his patet particularis naturæ Subſtantiam eſſe; dotes aliquas cum Reſinis & Oleis eſſentialibus communes habere; aliis differre: multis ad Ætherem accedere.

Camphora ſpontè ſtillat ex Arbore Japonenſi, quæ Incolis *Cafura*; KÆMPFERO *laurus camphorifera* dicitur: ſic obtenta *virginea* audit, ſed ad nos non transfertur: quæ apud nos proſtat ex ejusdem Arboris partibus conſciſſis & in lebete, qui operculo ſtramine intus obducto tegitur, cum Aqua coctis ſublimatur: ſic cruda conſtans fruſtulis flavis, ſubfuſcis, ſemipellucidis, quæ lutum aliaque heterogenea admixta habent, ex India in Hollandiam vehitur: ubi non bene nota methodo, probabiliter nova Sublimatione, purificatur. Obtineri poteſt in parca quantitate ex pluribus Plantis balſamicis omnium Regionum.

De viribus acriter diſputatum eſt; donec experimenta evicerint corpora, quibus ingeritur, non tantùm non exæſtuare, ſed etiam evidenter refrigerare: à Drachma dimidia nec calorem intendi, nec pulſum accelerari, ſed contrà frigoris ſenſum ad præcordia excitari HOFFMANNUS obſervavit: aliis drachmæ duæ eadem phænomena exhibuerunt, & Melancholicus unciam dimidiam quotidie per quin-

decim dies cum eodem eventu aſſumpſit. Ex his aliiſque concluſum eſt virtutem primariam Camphoræ ſedantem, ſeu motum Spirituum retardandi, eſſe; hinc Mercurii vim ſalivationem excitandi, evacuantes Draſticorum effectus, & vim irritantem Cantharidum infringit: hinc in Mania aliiſque morbis, in quibus inordinatus Spirituum motus peccat, ad magnam doſim exhibita ob pulchros ſucceſſus magnam famam conſecuta eſt: hinc etiam in juvanda ſæpiùs expectoratione incomparabile præſtat remedium. Præterea ſanguinem phlogiſticè ſpiſſum attenuat, & putredinem arcet; hinc in inflammatoriis morbis poſt Venæſectiones, & in malignis utiliſſima.

Externè adhibetur ad diſcutiendas Sugillationes, ad arcendas Inflammationes & Sphacelum: Denti carioſo immiſſa, dolorem lenit.

CANCRORUM CHELÆ. *Kreeftsſchaalen.*

CANCRORUM OCULI. *Kreeftsoogen.*

Falſò *Oculorum* nomine inſigniuntur, & meliùs *Lapides* dicuntur; cum propriè binæ parvæ lapidoſæ concretiones ſint, quæ inter tunicas ſtomachi *Aſtaci fluviatilis* inveniuntur: rotundæ ſunt; parte, qua ventriculi cavum reſpiciunt, compreſſæ, alia parte convexæ: recentes cæruleſcunt; ætate albæ fiunt: fibrarum muſcularium incumbentis tunicæ impreſſionem gerunt: fiunt ex lamellis ſibi arctè incumbentibus: facilè in ſubtilem pulverem redigi poſſunt, & omnibus Acidis promptè ſolvuntur. Uſus in Piſce ignotus.

Maxima pars horum Lapidum ex confiniis Tartariæ adfertur: ibi Cancros in acervos collectos putredini relinquunt, aut piſtillis ligneis contundunt & carnes aqua eluunt, ut Lapides ſeorſim obtineant: proſtant nobis tam vili pretio, ut Cancrorum in illis Regionibus numerum mirari cogamur: tamen ex terra abſorbente factitii adferuntur, qui à naturalibus diſtingui poſſunt, quod nec lamellis conſtent, nec ſtomachi tunicæ fibrarum impreſſiones exhibeant; quod veris friabiliores ſint, aquæ avidiores, linguæ fortiùs adhæreant, & quod Acidis dilutis toti ſolvantur, aut in moleculas

fatiſcant; dum interim genuinus integer Cancrorum Lapis eiſdem Acidis commiſſus mollis, pellucidus ſit, & figuram non mutat: Acidum enim ejus terram ſolvens totum gelatinoſum textum intactum relinquit.

Lapis hic aliquibus arcanum remedium eſt, ut feſtucam aliaque corpora heterogenea, quæ in Oculum inciderunt, eximant: in hunc uſum integer lapillus Oculo inditur; ita ut Palpebrâ comprehendatur, & compreſſà pars Oculi bulbum tangat, convexa palpebram: dein digito exteriùs admoto circumrotatur, donec locum affectum tangat & ſecum, quod inciderat, auferat.

Vis interna eſt Acida abſorbendi, eâque aliis in hunc finem laudatis facile palmam præripiunt: aceto ſaturati reſolventes ſunt, Diuretici, Diaphoretici. Eorum tamen in pulverem ſubtiliſſimum redactorum uſus non omnino tutus videtur; cum glutinoſis enim in maſſas difficulter reſolubiles abeunt. In Actis Philoſophicis Anglicanis proſtat Hiſtoria Hominis, qui, Cardialgia infeſtatus, Oculis Cancrorum per plurimos annos uſus fuerat, in cujus cadavere repertus eſt Calculus inſtar Lapidis Bezoardici. Virtus Chelarum eadem, ſed inferior videtur.

CANELLA ALBA. *Witte Kaneel.*

Eſt cortex interior Arboris, quæ in Jamaïca aliiſque Inſulis Americæ creſcit, & LINNÆO *laurus foliis enerviis, obversè ovatis, obtuſis* dicitur: adfertur nobis in tubulos oblongos, Cinnamomo craſſiores, convolutus: coloris eſt in ſuperficie convexa ſeu extima ex albido ſublutei, in concava ſeu interna albi: odorem præbet aromaticum, ferè inſtar Nucis Moſcatæ; ſaporem acrem, pungentem, ſubamarum, ſimilem ſapori mixturæ Cinnamomi, Zinziberis, & Caryophyllorum aromaticorum. Oleum eſſentiale calidum largitur, quod crebrò Oleo Caryophyllorum ſolent adjicere.

Vires medicæ calidæ ſunt, ſtomachicæ, incidentes: hinc convenit in omnibus Morbis frigidis, mucoſis.

Paſſim

Passim Cortici Winterano hic rarissimo, cujus vires æmulatur, substituitur: plures confundunt, & pro synonimis habent: origine tamen, viribus & aliis notis diversi sunt: qui id norunt Canellam albam *Corticem Winteranum Spurium* appellant. Vide WINTERANUS CORTEX.

CANNABIS Semen. *Het Zaad van Hennip*, *Kennip*, *of Kemp*.

CANTHARIDES. *Spaensche Vliegen*.

Sunt insecta, quæ ad Muscarum & magis propriè ad Scarabæorum classem pertinent: corpore oblongo sunt; magnitudinis variæ, ordinariò Muscæ majoris; coloris elegantis, splendentis, viridis, cœrulei, vel aurei; sæpiùs ex his mixti: quævis pars gustata saporem præbet acrem, causticum: odorem spirant recentes fœtidum.

Ubique in Europa, præter Regiones maximè septemtrionales, occurrunt: in Hispania, Italia & meridionalibus Galliæ Provinciis maximè communes sunt, & ex dictis Regionibus ad nos afferuntur: inhabitant varias Arbores illarumque foliis vescuntur: aliquibus temporibus se sub terram condunt: Arbores concutiendo colliguntur & exsiccantur.

Cantharidum vis stimulans, acerrima est. Cuti applicatæ eam inflammant, & post paucas horas ab ea separant cuticulam, quam in vesicam multo Sero plenam attollunt: hinc tamquam primaria Rubefacientia & Vesicantia externè adhibentur. Introsumptæ idem primis viis damnum inferunt. Vim hanc debent Sali suo acri caustico, non bene notæ hactenus naturæ, qui partim Aqua; optimè Spiritu Vini Rectificatissimo ex eisdem extrahi potest. Pars hujus Salis, tam sub externo quam interno Cantharidum usu, sanguinem subintrat & circulo se tradit: tum stimulo suo Calorem, Febrem, Sitim accendit, & viis urinariis præcipuè infestus est: ita ut non solùm à parca dosi introsumpta, sed etiam ab applicatis Vesicantibus renes quandoque inflammentur, intolerabilis Stranguria exci-

tetur, & Mictus cruentus sequatur. Quartam grani partem introsumptam crudelia hæc symptomata produxisse Exemplum prostat.

Non immeritò ergo earum usus internus suspectus est: possunt tamen, adhibita cautela, non solùm tutò, sed etiam ob vim stimulantem, quæ in vias urinarias præcipuè determinatur, insigni cum successu adhiberi. In Substantia ad granum unum alterumve, vel meliùs in Infuso spirituoso, commendantur in frigidis, mucosis quibusdam morbis ad alia rebellibus: à pluribus laudantur in Hydrope; in obstinata Urinæ Suppressione & Retentione, ubi inertia sunt organa, vel tenaci muco infarcta; in Gonnorrhæa pertinaci, in Herpete, Lepra, & in Hydrophobia. Scribuntur præterea Aphrodisiacam virtutem possidere, & nuperrimè earum Tinctura à CELEBERRIMO HOME in nervosis Febribus non sine successu tentata est. Earum virulentiam, omnes quotquot adhibent, corrigunt Camphora, Mucilaginosis, Diluentibus.

Ubi opus est stimulo; materia alicubi hærens movenda, revellenda, evocanda; Exanthema sustinendum, vel retropulsum revocandum &c. variis corporis partibus Emplastro vel Fermento panis superspersæ extus applicantur. In Urinæ Incontinentia ossi sacro impositæ mira præstant. Nocent ubi vasa turgent in pletoricis & inflammatoriis morbis, non prægressâ Venæsectione; ubi febris acrior; in temperamentis calidis, magnis suppurationibus, Hecticis &c.

CAPILLI VENERIS, sive ADIANTHI VERI Folia. *De Bladeren van Venushair.*

CAPRIFOLII Folia, Flores. *De Bladeren ende Bloemen van Geitenblad, of Kamperfoelie.*

CARANNA. *Caranna.*

Est substantia gummeo resinosa, quæ in magnis massis, quibus extus reliquiæ juncei involucri adhærent, nobis adfertur ex Car-

ragena, novæ Hiſpaniæ Provincia, ubi ex trunco Arboris, quæ Palmæ ſpecies creditur, & ab aliquibus *Arbor inſaniæ* dicitur, ſcribitur decurrere. Recens ductilis, tenax eſt; vetuſtior dura, friabilis: colorem habet ex viridi nigricantem; ſaporem reſinoſum, aliquantulum amarum, ingratum; odorem ſpirat non ingratum; ſi fricetur, aut accendatur, fragrantem: tota ferè Alkohole ſolubilis eſt: Aqua ſolvit circiter quartam partem.

Rarò internè adhibetur: pro externo uſu commendatur tamquam traumaticum, nervinum, diſcutiens: præcipuè laudatur ab aliquibus in frigidis articulationum doloribus.

CARDAMOMI Semen. *Cardamomzaad.*

Tres Cardamomi ſpecies in Medicina notæ ſunt. Prima, *Cardamomum majus* ſiſtens, ſiliquam largitur trilocularem, ficum ferè æmulantem, quæ plura continet ſemina anguloſa, pipere minora, coloris extus rufeſcentis, intus albi; odoris aromatici, ſaporis acris, calidi, mordicantis, velut piperis. Semina hæc *Grana Paradiſi* aliquibus dicuntur, quod nomen alii Amomi veri ſeminibus tribuunt.

Secunda ſpecies *Cardamomum medium*, aliquibus *majus Officinarum*; tertia *minus* audit: ſiliquarum magnitudine inter ſe & à majori differunt, & ab ea denominantur: cæterùm ſemina utriuſque etiam anguloſa, ſubrufa, intus alba; odoris & ſaporis grati, aromatici, evidenter ad Camphoram accedentis. His dotibus *minus* reliqua videtur præcellere: hinc meritò illis paſſim in Officinis ſubſtituitur. Quamdiu hæc ſemina in ſiliquis ſuis ſervantur præſtantiora ſunt & eorum color obſcurior; exempta verò & ſiccata multum de virtute ſua amittunt, & color fit magis cinereus.

Plantarum needum ſatis accuratè deſcriptarum in Indiis Orientalibus creſcentium producta ſunt.

Virtus calida, aromatica, viſcera non inflammans tam Aqua quam Spiritu Vini extrahitur, & cum illis diſtillatis tranſit: Tinctura

autem ſpirituoſa limpidior, pellucidior, & longè gratior eſt, quam aquoſa.

CARDIACÆ Folia. *De Bladeren van Moederkruid.*

CARDUI BENEDICTI Folia, Semen. *De Bladeren en Zaaden van gezegende Diſtel.*

CARICÆ. *Vygen. De gedroogde Vrugt van de* FICUS COMMUNIS.

CARPOBALSAMUM. *De Vrugt van den Boom, die den Opobalſem uitlevert.*

Sunt Fructus Arboris in Arabia creſcentis, ob Opobalſami quod largitur excellentiam aliquibus *Balſami veri*; à LINNÆO *Amyris Opobalſami* dictæ. Figuræ ſunt oblongo-rotundæ, piſum fere æmulantes, ſed parùm minores: pendent e brevi pediculo: cortex quatuor lineis eminentibus diſtinctus rugoſus, fuſcus eſt; medulla albicans, balſamica, oleoſa: perfectam maturitatem nacti odoris ſunt grati, fragrantis, ad Opobalſamum accedentis; ſaporis valde calidi, aromatici.

Ut lignum & viſcus Arboris præcipuam famam debent Opobalſamo: rariſſimè ad nos adferuntur quique proſtant effœti ſunt: facilè carere poſſumus: Theriacam & Mitridatium olim ingrediebantur: jam Cubebæ ſubſtituuntur.

CARTHAMI Semen. *De Zaaden van Baſterdſaffraan.*

CARUI, CARVI, CARI, ſeu CUMINI PRATENSIS Semen. *De Zaaden van Karrewei.*

CARYOPHILLATÆ Radix. *De Wortel van Nagelkruid.*

CARYOPHILLI AROMATICI. *Kruidnagelen.*

Sunt cum calicibus ſuis exſiccata germina Florum Arboris, olim in omnibus Moluccis ſpontè creſcentis; jam in ſola Amboina cultæ, *Caryophylli aromatici fructu oblongo* dictæ. A Fumo, cui collecti

ſtatim exponi ſcribuntur, coloris ſunt rubiginoſi, fuſci: aliquot linearum magnitudinem habent; ferè quadrangulares ſunt, & parvum clavum figura referunt: infernè obtuſi, supernè ſtellatim diſſecti ſunt in quatuor æquales lacinias, quibus inſidet piſi circiter magnitudinis globulus, futuri floris rudimentum, quatuor petalis convolutis conſtans. Odoris ſunt aromatici, fragrantiſſimi; ſaporis proprii, fervidiſſimi, linguam & palatum adurentis, parum adſtringentis, pertinacis. Maſticanti ſalivam copioſè eliciunt, valde inflammabiles ſunt, & Olei eſſentialis odoratiſſimi circiter unam ſeptimam ſui ponderis largiuntur, quod genuinum minori acredine aromatica gaudet, quam adulteratum, quale ordinario ex Hollandia adfertur. Tinctura ſpirituoſa fervidiſſima eſt.

Non inutile erit notaſſe à fraudulentis, pro obtinendo Oleo, Caryophyllos integros diſtillationi ſubjici eoſdemque Oleo orbatos denuo ſiccari, & recentibus ad augendum lucrum immiſceri: fraus ægrè diſtingui poteſt, niſi vires debiliores aut color dilutior prodat.

Vires medicæ, ubi magno ſtimulo opus, proficuæ. Oleum denti carioſo immiſſum nervum quaſi adurit, deſtruit: in oſſium carie agit inſtar Cauterii actualis.

CASCARILLÆ Cortex. *De Baſt van Caſcarille.*

Eſt Cortex, qui circa finem ſæculi præteriti primùm nobis innotuit: appellatur etiam *Cortex Eleutheriæ*, quia deſumitur ex Arbore, quæ in omnibus Bahamæ Inſulis maximè in illa, quæ *Elateria* vel *Eleutheria* dicitur, creſcit. Adfertur nobis in tubulos tres quatuorve pollices longos convolutus. Lineam circiter craſſus eſt; externa facie gryſeus, inodorus, inſipidus; interna coloris fuſco-ferruginei; ſaporis amari, acriuſculi, aromatici; odoris grati. Ab omnibus aliis Corticibus differt, quod facillimè accendatur, & accenſus odorem ſpiret gratum, fragrantem, inſtar Moſchi. Magis fragilis & friabilis eſt, quam *Cortex Peruvianus*, coloris etiam minus obſcuri, ſaporis non tam ingrati & minùs adſtringentis. Vires partim Aqua; integrè Spiritu Vini extrahuntur.

Primùm Nicotianæ ob odoris gratiam, qua accenſus pollet, adjectus eſt; poſt in Medicinam introductus, & ad fugandas febres Cortici Peruviano, præſertim à Secta Stahliana, cui ſummum illud & incomparabile febrifugum odio erat, ſubſtitutus: ſed multum abeſt, ut ejus vires æquare valeat: optimum tamen remedium roborans, ſtomachicum, antiſepticum eſt, in frigidis morbis, & debilibus à Diarrhœa, Dyſſenteria &c. Viſceribus, utiliſſimum: laudatur in Colica flatulenta, & Angli ad juvandum expectorationem cum ſucceſſu adhibent: in febribus Cortici Peruviano ſæpe jungitur, & illi, ubi vis adſtringens nocere poteſt, ſubſtitui debet.

CASSIA FISTULA, vel FISTULARIS. *Caſſia.*

Eſt ſiliqua Cylindrica, lignoſa, fragilis, coloris, ex fuſco nigri, pedem & ultra longa, pollicis fere diametrum habens. Interius Septis tenuibus, lignoſis diviſa eſt in plura loculamenta, quæ in ſuperficie externa tamquam totidem circelli eminent, & quorum ſingulum ſemen fulvum, nitidum, ſubrotundum, compreſſum, durum continet, atque integrè obductum eſt pulpa nigricante, glutinoſa; odoris aliquantulum ingrati, quaſi oleoſi; ſaporis valde dulcis, inſtar pruni, leviter ſubacris.

Deſumitur ex Arbore, quæ idem nomen gerit, & in utraque India creſcit: hinc diſtinguitur in *Orientalem* & *Occidentalem*: præfertur prior: poſterioris ſiliqua major, putamen craſſius & rugoſum eſt; pulpa ingratior, acrior. Eæ ſiliquæ in genere eligi debent, quæ recentes, graves ſunt; quarum ſemina, dum concutiuntur, ob deficientem medullam, non reſonant; quarum pulpa ſplendens, nigra, non nimium exſiccata, & præter dulcem nullo alieno ſapore inſtructa eſt.

Pulpa mitiſſimè alvum lenit. Continuatus ejus uſus ſcribitur ab aliquibus urinam viridem; demum nigram reddere: hinc concluſerunt ſpecificè in renes agere. Alii utrumque negant.

CASSIA LIGNEA. *De Baſt van een ſoort van wilden Kaneelboom.*

Sub hoc nomine ex India Orientali afferuntur cortices, qui Cinnamomum omni dote æmulantur, ſed ſapore & odore remiſſioribus gaudent, & in eo ſe præcipuè ab eodem diverſos exhibent quod maſticati in viſcedinem ſolvantur, & in Aqua cocti Mucilaginem largiantur: hinc in caſibus, ubi nudior, calidior Cinnamomi vis ſuſpecta eſt, utiles eſſe poſſent.

CASTOREUM. *Bevergeil.*

Sub hoc nomine veniunt duo glanduloſi folliculi figuræ oblongo-rotundæ, magnitudinis ovi gallinacei & quandoque majoris, e Caſtore animali amphibio deſumti. Olim hujus animalis teſticuli habiti ſunt: jam conſtat rerum naturalium indagatoribus ad partes genitales non pertinere, nec ullo modo cum illis communicare: utrimque juxta anum alter in dextro alter in ſiniſtro inguine ſub cute, æquè in Caſtoribus fæminis ac maribus, ad particularem necdum bene notum uſum, excreſcunt. Conſtant membrana tenaci, coriacea, quæ ſubſtantiam excludit flavam, unctuoſam, inflammabilem; odoris proprii, viroſi, caput obnubilantis; ſaporis acris, amari: ſubſtantia hæc, quæ propriè Caſtoreum eſt, multis cellulis membranaceis diſtinguitur.

Totus folliculus exemptus, fumo exſiccatus, & induratus è pluribus borealibus Europæ regionibus, & ex America ad nos adfertur. A patria *Dantiſcanum*, *Pruſſicum*, *Polonicum* &c. Caſtoreum denominatur: præfertur *Ruſſicum*; infimum *Canadenſe* eſt. In genere folliculi majores, ventricoſi, graves, ſubſtantiam ſiccam quidem, ſed non totam aridam, & fortiſſimo odore inſtructam continentes, reliquis præferendi. Adulteratur ſæpius immiſſo folliculis Gummi Ammoniaco, Opoponace, Sagapeno, Melle, Sanguine inſpiſſato, Arenis &c. Diſciſſione, odore, ſolutione fraus detegi poteſt.

Vires medicæ Nervinæ, Antihyſtericæ; non nullæ, ſed multis

authoribus nimium laudatæ : tam Aqua quam Spiritu Vini extrahuntur: diſtillatio cum Aqua totum ferè Caſtorei odorem elevat: cum Spiritu Vini Rectiſicatiſſimo nullum.

CATECHU. *Cachou.*

Terra Japonica etiam appellatur, dum tamen neque terra neque Japoniæ productum eſt: in India Orientali paratur, & ſuccus eſt vegetabilis, levi coctione cum Aqua extractus, dein blando calore inſpiſſatus. Ut nobis proſtat eſt ſubſtantia ſicca, dura, extus ruſa, Nigricans, intus e rubro fuſca, odoris nullius, ſaporis adſtringentis primò amari, dein ſubdulcis & pinguis ut Boli. Tota, dum genuina eſt, in ore deliqueſcit, & ſolvitur Aqua; tres quartæ partes ferè Spiritu Vini rectificato: ut pateat ſubſtantiam eſſe gummeo-reſinoſam.

Cujus plantæ productum ſit dudum ignoratum eſt : plures Authores crididerunt extrahi e fructibus *Palmæ Arekiferæ* : celebris Jussieu ex alia arbore *Cat-Che* dicta deſumit, & Spielmannus ex variis *Mimoſæ* Linnæi ſpeciebus, & diverſis aliis plantis cortice adſtringente & rubro præditis contendit parari. Speciem *mimoſæ*, e qua obtinetur, & extracti præparationem deſcribit D. Kerr Noſocomii Bengalenſis Chirurgus in relatione à Celeberrimo Fothergill Societati Medicæ Londinenſi communicata. Is teſtis ocularis litem videtur dirimere.

Vires medicæ leviter adſtringentes & roborantes ſunt: hinc in Diarrhæis, Hæmorrhagiis, Viſcerum laxitate &c. utiles: laudatur in flacciditate Gingivarum, vacillatione Dentium, in Catarrhalibus Defluxionibus, Raucedine &c.

CENTAURII MINORIS Summitates. *De Toppen van klein duizendgulden Kruid.*

CENTINODIUM, ſeu POLYGONUM. *Varkensgras, Knoopgras, of duizend Knoop.*

CERA.

CERA. *Wasch.*

Est substantia illa flava, concreta, flexilis, quam Apes è floribus collectam, & in stomacho suo elaboratam ad construendos favos suos adhibent. A Melle & reliquis heterogeneis separatur, & in panes redigitur expressione, lotione & fusione. Odorem habet, præcipuè dum recens est, melleum, non ingratum; saporem, præter lentum oleosum, nullum. Igne mollescit, funditur, volatilis fit: flammam alit: èx flava albissima fit unitis Aeris, Aquæ & Solis viribus. Videtur Oleum esse ab Acido densè coagulatum; nam distillationi subjecta primò Acidum largitur volatile, penetrans: tum Oleum spissum, albicans, quod ob consistentiam *Butyrum Ceræ* vocatur. Id repetitis distillationibus, expulsa semper portione Acidi, mutatur in *Oleum Ceræ*, Oleis unguinosis, blandis, expressis non absimile; quod ea proportione, qua distillationes multiplicantur, continuò tenuius fit, Spiritu Vini dissolubilius, & magis blanda indole sese commendat. Solis hujus Olei dotibus Cera à Resinis videtur differre.

Usus chirurgicus Ceræ præcipuè flavæ seu citrinæ, ob vim emollientem, maturantem, multiplex: internus, quoniam viribus digestricibus nostris vinci nequeat, vix ullus: aliqui ad pertinaces Dysfenterias commendant. *Butyrum* laudatur ad Hæmorrhoidum dolores: *Oleum* adversùs labiorum aliarumque partium fissuras.

CERASA. *Karsen.*

Plures sat notorum horum fructuum species dantur, quæ colore & sapore succi distinguuntur. Illa præcipuè in Medicina, tamquam Antiphlogistica & Antiseptica, in febribus biliosis & putridis commendantur, quorum succus gratus acidus. Ut alii fructus horæi in magna quantitate & continuò esa vi resolvente morbos quosdam chronicos felicissimè curaverunt. Nigra nervorum morbis mederi, ut aliqui scribunt, fabula est.

CERUSSA. *Ceruis, Loodwit.*

Eſt Plumbum ope Aceti in vapores redacti eroſum, & in pulverem album ſolutum. Creta aliiſque aliquando adulteratur : levitas, vel effervefcentia cum Aceto fraudem detegit.

Multùm externè in Unguentis & Emplaſtris ob vim refrigerantem diſſiccantem adhibetur. Uſus internus, ut omnia Plumbi producta, venenoſus.

CETERACH. *Miltkruid of Steenvaren.*

CHÆREFOLII Folia. *De Bladeren van Kervel.*

CHAMÆDRYOS Folia. *De Bladeren van Maanderkruid.*

CHAMÆPITYOS Folia. *De Bladeren van hoe langer hoe liever.*

CHAMOMILLÆ, ſeu CHAMÆMELI ROMANI ET VULGARIS Folia, Flores. *De Bladeren en Bloemen van roomſche en van gemeene Kamille.*

CHELIDONII MAJORIS Folia, Radix. *De Bladeren en Wortel van ſtinkende of groote Gouw, Zwaluwkruid, of groot Oogenklaar.*

Tota planta recens ſuccum fundit croceum, graveolentem, amarum, acrem, qui ad abſtergenda corneæ vitia commendatur: ſed ejus acredo & organi ſenſibilitas requirunt, ut in hunc uſum multùm diluatur. Sine hac cautela ad Verrucas prius inciſas adhiberi poteſt. Foliorum vires internæ ſtimulantes, aperientes, diureticæ & diaphoreticæ ſunt: famam habent in infarctu Pulmonum, in obſtructione Viſcerum Abdominalium & præcipuè in Ictero; dum nulla adſunt ſigna inflammationis. Laudantur etiam ad Hydropem, & aliqui ſuſpicantur radicem, quæ reliquis plantæ partibus acrior eſt, HELMONTII adverſùs Hydropem aſcitem ſpecificum fuiſſe. Plantæ vis exſiccatione perit.

CHELIDONII MINORIS Folia, Radix. *De Bladeren en Wortel van kleine Gouw.*

CHERMES, vide KERMES.

CHINÆ Radix. *Chinawortel.*

Eſt radix plantæ, quæ in China potiſſimùm creſcit, & KÆMPFERO *ſmilax minùs ſpinoſa, fructu rotundo, radice virtuoſa* dicitur. Duplex eſt: una nobilior, quæ *China vera* vocatur, ex India Orientali adfertur: eſt radix craſſà, ponderoſa, nodoſa, tuberculis pluribus obſita, texturæ lignoſo-farinaceæ; coloris extus ex fuſco rufeſcentis; intus ex albo rubeſcentis; ſaporis dum recens eſt leviter acris, dum vetuſtior eſt terrei, inertis; odoris nullius. Altera ignobilior, quam & *pſeudochinam* appellant, adfertur ex nova Hiſpania, Braſilia aliiſque Americæ partibus. Quamvis ejuſdem plantæ productum ob diverſam patriam levior eſt, minùs nutrita; coloris extus nigrioris; intus magis rubri.

Circa annum 1535. in Europam adducta, & primùm ad Morbum Articularem, Affectiones Cutaneas & Luem Veneream tamquam Specificum adhibita eſt: dicitur operari humores acres obvolvendo eoſque per promotam inſenſibilem tranſpirationem & auctam Diureſim expellendo: ſed cum nulla fida obſervatione conſtet, ut SPIELMANNUS notat, ejus ſolius ope vel Veneream vel aliam quamcumque Acrimoniam fuiſſe curatam, radicem inſipidam & inodoram Medicamentis inertibus potiùs, quam activis arbitramur annumerandam: qui tamen ea uti amant, ſciant facilè à vermibus exedi, & Mercatores foraminula & lacunas paſta rubra, cui etiam ad augendum pondus Lythargirium quandoque admixtum inventum eſt, replere.

CICERA RUBRA. *Roode of Spaenſche Erwten.*

CICHOREI Folia, Radix. *De Bladeren en Wortel van wilde Cichory.*

CICUTÆ Folia. *De Bladeren van Scheerling of dolle Kervel.*

Adeo confuſa ſunt omnia, quæ ad Cicutæ hiſtoriam pertinent, ut probabile ſit ei ob Botanices ignorantiam per plurima ſæcula à pluribus diverſas plantas ſubſtitutas fuiſſe: hinc non deſunt Authores, qui Cicutam omni ſcelere abſolvunt, dum interim alii varias plantas floribus umbellatis inſtructas, & quas malos effectus in corpus humanum producere obſervarunt, Cicutam appellant. Videntur etiam olim compoſita aliqua hoc nomine inſignita fuiſſe: Athenienſium venenum Socratis morte infame, veroſimiliter compoſitum, id probabile reddit.

His viſis tutum videtur ſolis recentioribus & fide dignis Obſervationibus in dijudicandis hujus Plantæ viribus adhærere. Hæ evincunt omnes ejus ſpecies venenatas eſſe. Cel. BOERHAAVIUS à foliis inter digitos contritis & naribus admotis quaſi ebrius ſtupiduſque factus eſt. Pueris, qui Cicutæ fiſtulas aliquamdiu inter labia continuerant, eadem inflari & inflammari viſa ſunt: dum introſumuntur Vertigines, Stuporem, Convulſiones & horrendam Mortem denique inferunt. Secundum WEPFERI experimenta in Stomachum, quem inflammant & corrodunt, primariò agunt. Veneni Antidotum à pluribus Acetum creditur. Alii dubitant; iique prudentiores ei ſoli, ſine additis ſtrenuè generalioribus, non fidendum putant.

Non obſtante hac indole *Cicuta major* Medicamentis adſcripta eſt. Externè tamquam ſopiens & reſolvens in Carcinomatoſis Ulceribus multis abhinc annis adhibita fuerat, dum ILLUSTRISSIMUS STOERKIUS ad eoſdem alioſque morbos hactenus incurabiles habitos internum uſum tentare ſuſcepit. Celebris hujus Viri experimenta docuerunt in minori & prudenter aucta Doſi non ſolùm tutò poſſe adhiberi, ſed etiam feliciſſimas curationes poſſe perficere: commendata itaque tanta authoritate per omnem Europam alacriter tentamini ſubjecta eſt, prodieruntque illico innumeræ Obſervationes,

quæ probant eam validiſſimè reſolvere & non ſolùm ſcirroſas glandulas reſerare & cancrum curare, vel ſaltem emendare; ſed etiam Spinæ ventoſæ, Ulceribus cacoëtheis, Morbis cutaneis, Cataractæ, Amouroſi, Arthritidi, Cephalœæ chronicæ aliiſque morbis ad alia omnia rebellibus aliquando medelam eſſe.

Non reticendum eſt plures eoſque Celebres Medicos contra ſalutares hos Cicutæ effectus reclamaſſe & denſam attuliſſe Obſervationum nubem, qua remedii ineſſicaciam ſtabilirent. Illuſt. Author varias promiſcuè herbas ſubſtitutas, aut Extractum non ritè paratum fuiſſe reſpondit, & ut omnis error impoſterum evitaretur Cicutam ſuam æneа Tabula expreſſit, addens eam eſſe *conium maculatum* LINNÆI; *cicutam majorem* TOURNEFORTII *&c.* monuit præterea eam ingrato Murium domeſticorum fœtore, dum digitis conteritur, vel in calidiori loco aſſervatur ab aliis Plantis facilè poſſe diſtingui.

Omnia hæc reclamantes non ſedarunt: oppoſuerunt enim ab ipſo CELEB. STOERCKII Pharmacopœo præparatum extractum, & Vienna ad exteros tranſlatum efficacius ſeſe non præſtitiſſe. Si qua fides tamen plurium celebrium Medicorum Obſervationibus, mira proſtant Curationum exempla: nequè ideò rejiciendum eſt Remedium, quia non perpetuò curat: adeoque quamvis tantùm mileſimo prodeſſet; præcipuè in Morbis, pro quibus nullum hactenus erat cognitum Remedium, quales illi paſſim ſunt, quos Cicuta curatos legimus, tentari meretur & debet.

CINERES RUSSICI. *Pötaſch.*

Sub hoc nomine Sal Alkali fixum, quod ex cineribus lignorum duriorum, præcipuè querni & fagini, in Polonia & Moſcovia paratur, ad nos transfertur. Sal Lixivioſum conſtituit admodum impurum: nam præter terram vegetabilium calcem vivam aliaque heterogenea admixta gerere Analyſis probavit: hinc numquam in uſus medicos, niſi debitè primò purificatum, adhiberi poteſt.

CINERES CLAVELLATI, è fecibus Vini exſiccatis & combuſtis in Gallia parati, ejuſdem indolis ſunt.

CINNABARIS NATIVA. *Bergvermilioen.*

Eſt minera Mercurii maximè occurens, ſeu Mercurius Sulphure mineraliſatus. Eruitur in Hungaria, Hiſpania, Japonia &c. optimam Hollandi ex India Orientali afferunt. Subſtantiam habet ponderoſam, fragilem: nullo odore, nullo ſapore præditam: in fruſtis integris ſtrias exhibet ſplendentes, Longitudinales, & coloris eſt rubri fuſcioris; dum in pulverem redacta eſt vividi, pulcherrimi. Chemica Analyſis & Cinnabaris factitia probant eam conſtare ſex ſeptemve Mercurii partibus & una Sulphuris, igne ſubterraneo ſimul ſublimatis, & unitis. Igni expoſita volatilis eſt, & in vaſe clauſo integra ſine Decompoſitione ſublimatur: in aëre libero verò, accenſo Sulphure, decomponitur, & Mercurius in vapores redigitur. Intermedio Alkali, Calcis, Ferri & aliarum ſubſtantiarum, cum Sulphure Majorem affinitatem habentium quam Mercurius, in vaſe clauſo decomponitur. Ita Diſtillatione MERCURIUS A CINNABARE REDIVIVUS, puriſſimus obtinetur.

Cinnabari vires abſorbentes & ſedantes aliqui adſcripſerunt. Has certò non poſſidet. Laudaverunt aliqui contra Epilepſiam, Morbos Cutaneos, Venereos, Lepram &c. dum alii humoribus noſtris non ſolvi contendunt. Ejus uſus ſalivationem tamen excitat. Nec deſunt, qui internum Cinnabaris Nativæ uſum omnino proſcribunt ob arſenicales particulas vix ſeparabiles, quas plerumque admixtas habet.

Baſis eſt Fumigationum Mercurialium, & pro hoc uſu retineri poteſt.

CINNAMOMUM. *Kaneel.*

Eſt Cortex interior Arboris, quæ in Zeylon ſeu Ceylon Indiæ Orientalis Inſula creſcit, & LINNÆO *laurus foliis oblongo-ovatis, tri-*

nerviis, nitidis, planis appellatur. Adſertur nobis in cannulas ſeu tubulos exſiccatione convolutus. Tenuis eſt: Coloris proprii, flavi, dilutè rubeſcentis; odoris ſuaviſſimi; ſaporis grati, aromatici, acris cui aliquid dulcis &, evanido aromate, adſtringentis admixtum eſt: dotes hæ multæ aqua; plures ſpiritu vini extrahuntur. Olei diſtillati fragrantiſſimi, aurei coloris, gratiſſimâ acrimoniâ linguam ferientis circiter unam ſexageſimam ſui ponderis largitur. Æthereo hoc Oleo ſola ſcatet pellicula interior hujus Corticis recentis: ſed hoc ſenſim mora per totum Corticem ſeſe ſpargit: hinc cannulæ tenuiores craſſioribus præſtantiores.

Hoc Aroma adjectis Corticibus aliarum Arborum Canelliferarum ignobiliorum, & præcipuè Caſſia Lignea adulteratur: pro detegenda fraude vide CASSIA LIGNEA.

Vires in Morbis frigidis, ubi flaccida fibra exſtimulanda, vel mucus iners domandus utiles.

CITREI MALI Cortex & Succus. *De geele Schel en het Zap van Citroenen.*

CITRULLI Semen. *De Zaaden van Citrullen of Watermeloenen.*

COCLEARIÆ Folia. *De Lepelbladeren.*

Nomen à foliorum forma ſortita eſt. Apud nos in hortis colitur; ſed circà maris littora, & in Borealibus Regionibus, ubi Scorbutus maximè humanum genus infeſtat, ſpontè & quidem maxima copia, ceu Antidotum divinitus conceſſum, creſcit. Recens ſaporis eſt acerrimi, calidi, ſalſi. Oleum continet Æthereum, tenue, acre, pungens; adeo volatile, ut vix coerceri queat: ab hoc omnis plantæ ſapor, odor & vis, quæ omnia in decocto pereunt, ſola ſuperſtite amaritie: hinc optimè foliorum ſuccus, vel infuſum adhibetur. Vires extrahuntur Aqua & Spiritu Vini Rectificatiſſimo.

Hæc planta ſtimulo ſuo atoniæ medetur, & humores viſcidos incidit: hinc ſumma laus in Scorbuto inerti, & Obſtructionibus

ab hac caufa pendentibus: hinc etiam omnes fe & excretiones, præcipuè Diurefim juvat. Acredo in multis cafibus temperari debet.

COLCHICI AUTUMNALIS Radix. *De Wortel van Tydeloozen, of naekte Vrouwen.*

Omnium ferè teftimoniis venenatæ funt omnes hujus plantæ partes. Radix, quæ fola in ufu, odoris eft aromatici, fortis, acris: Linguam afficit fapore cauftico, ftupore, rigiditate: eam Aceto infufam & Melle edolcoratam fub titulo *Oximellis Colchici* iterum in Medicinam introduxit CELEBERRIMUS STOERCK: internè, à parca dofi incipiendo, laudavit tamquam potentiffimum diureticum, in Hydrope, ubi omnia alia & quidem fcillitica fallunt, utiliffimum: externè tamquam refolvens. Omnem vim tam venenatam quam diureticam inter alios tam pofitivè negat CELEB. KRATOCHVILL in Differtatione chymico-medica de hac radice, ut putares de diverfa omnino Planta celebres duos Viros agere.

WEDELII Amuletum adverfùs Peftem aliofque morbos contagiofos hac radice paratum audaciam faltem animis addit. En omnem ferè Amuletorum vim!

COLOCHYNTIDIS Fructus. *Coloquintappelen.*

Sunt fructus plantæ è genere Cucurbitarum Armeniæ, Syriæ &c. indigenæ, LINNÆO *cucumis foliis multifidis, pomis globofis, glabris* dictæ. Forma & magnitudine Pomum Aurantium æmulantur: detracto cortice fola Medulla, feu Pulpa alba, fpongiofa, levis ad nos transfertur & à feminibus repurgata in ufu eft: odorem nullum habet; faporem mucilaginofum, naufeofum, amariffimum, acerrimum. Vires tam aquofis, quam Spirituofis extrahuntur.

Drafticum eft violentiffimum: amarore afficit os eam tractantis vel contundentis, & aliquando cum fumma perturbatione alvum dejicit. Pauca grana non folùm Hypercatharfim inducunt; fed etiam

testinorum Hœmorrhagias, Inflammationes & Exulcerationes visa sunt produxisse. Non mirum igitur aliquos dari, qui hanc Pulpam omnino e Medicina exulem volunt: alii interim prudenter adhibitam, in Morbis pituitosis, magnis encomiis extollunt: laudatur in Enematibus in Apoplexia serosa, & grani octava pars aliis pulveribus immixta omni trihorio vel quadrihorio exhibita in Morbis Chronicis egregium Alterans & Emmenagogum dicitur.

COLOMBO, seu COLOMBA Radix. *De Colombowortel.*

Licet hæc radix jam a triginta annis in Anglia in usu esse cœperit, ad quam plantam pertineat hactenus tamen ignoramus. Celeb. Percival Itineratorum fide dignorum testimonio fretus affirmat Asiæ propriè indigenam esse; hinc primùm in urbem Colombo dictam in insula Ceylon sitam; dein in totam Indiam translatam fuisse. Affertur nobis in taleolas secta, quæ semipollicis, pollicis, imò trium pollicum diametrum habent, &, a quarta pollicis parte ad duos pollices, Variæ longitudinis sunt: coloris est extus cinerei, fusci, subnigricantis; intus plus minus rufescentis: odorem habet, dum non nimis vetusta est, leviter aromaticum; saporem ingratum, intensè amarum, pertinacem & leviter stimulantem. Ejus vires aqua, & meliùs spiritu vini rectificato extrahuntur.

Multæ vires huic radici adscribuntur: secundum Celeberrimi Percival experimenta antiseptica est & præcipuè degenerem & putridam Bilem corrigit: hinc in Cholera morbo, Colica Biliosa, aliisque morbis a Bile excitatis, etiam non excusso fomite, summum est remedium. Laudatur dein in Vomitu Gravidarum, in Diarrhœa a dentitione, in Alvi fluxu & dyssenteria. Præfertur prætera Cortici Peruviano aliisque roborantibus in languido Ventriculo & in Vomitu Habituali a laxitate aut irritabilitate Stomachi: cumque calorem & circulum sensibiliter non intendat etiam in Phthisi pulmonari & Febre hectica ad roboranda digestionis organa cum optimo eventu scribitur adhiberi. Dosis grana viginti, dragma

dimidia, dragma integra, in pulvere vel infuſo, pluries de die: etiam omni trihorio in Cholera morbo.

CONSOLIDÆ MAJORIS, ſeu SYMPHYTI Radix. *De Smeerwortel.*

CONTRAYERVÆ Radix. *Tegengiftwortel.*

A Clusio etiam *Drakena* vocata eſt in honorem Francisci Drake, qui eam anno 1581. in Angliam primus attulerat. Eſt radix Plantæ, quæ Linnæo *dorſtenia ſcapis radicatis*, C. Bauhino *Cyperus odoratus Peruanus* dicitur, & in Nova Hiſpania, Regno Peruviano aliiſque novi orbis locis creſcit. Nodoſa eſt; fibris hinc indè etiam nodoſis obſita; unum alterumve pollicem longa; dimidium circiter pollicem craſſa; extus coloris ſubfuſco rubeſcentis, intus albicantis: odorem habet proprium, debilem aromaticum; ſaporem calidum, amarum, ſubadſtringentem, cui tenuis & ſuavis acrimonia adjuncta eſt. Vires Aqua, meliùs Spiritu Vini rectificato extrahuntur.

Alexiteria, Sudorifera, Stomachica hæc radix eſt, & magni uſus in Febribus, ubi exſtimulanda Natura & erigendæ vires. Laudatur in Peſte aliiſque morbis contagioſis tamquam utiliſſimum Diaphoreticum, ubi ſcilicet vagum adhuc Miaſma eſt. Quæ ei adſcribuntur antihelminticæ & febrifugæ vires minùs probatæ ſunt.

CORALLINA Officinarum. *Zeemos.*

Formâ Plantam æmulatur e Muſcorum genere: hinc a Tournefortio aliiſque Botanicis Vegetabilium claſſi adſcripta fuit: tamen, quidquid adhuc nuper contra conatus fuerit Cl. Pallas, videtur Polyporum fabricam & habitaculum eſſe; adeoque ad Regnum Animale pertinere. Ut ad nos adfertur fragmenta ramoſa ſunt, geniculata, quibus foliola exigua & tenerrima pinnatim adhærent; coloris griſei, albicantis, ſubvirideſcentis; odoris dum recens eſt piſcoſi, fœtidi, ingrati; ſaporis ſalſi; dum bene lota eſt, inſipidi:

ſub dente concretam terream prodit Subſtantiam: cum omnibus Acidis effervefcit, & Abſorbentem Naturam exhibet: Calcinatione fit Calx viva.

In Oceano Europæo & Mari Mediterraneo rupibus & conchis ſub Aqua accreſcit.

Viribus a Coraliis non diſtinguenda videtur: Antihelminticæ enim non ſatis probatæ ſunt.

CORALLINA CORSICA, ſeu LIMITHOCORTHON. *De Corſicaenſche Zeemos, Wormmos.*

Eſt Muſci ſpecies, quæ, cum vegetabilis omnibus notis videatur, & nullas Corallii proprietates poſſideat, propriè Corallinæ nomen non meretur. Præcipuè in Mari Corſico conchis accreſcit: unde VELSCHIUS eam *Corallinam tenuifoliam conchæ adnatam* appellat. Invenitur in maſſulas conglomerata, quæ pollicis circiter altitudinem habent, & conſtant foliis capillaribus non ramificatis, ſed in apice bifurcatis, vel in tres quatuorve filamenta diviſis: folia hæc attactu mollia ſunt, ſub dente fibroſa, tenacia; coloris ex rubro fuſci, veluti Caſtanearum: cæterum ejuſdem odoris & ſaporis ac Corallina officinarum.

Hic a paucis annis nota eſt; verùm in Inſula Corſica adverſùs Vermes a ſæculis in uſu: hinc a Græcis hanc Inſulam inhabitantibus *Limithocorthon*, ſeu *Herba contra Vermes* appellata eſt. Et revera omnibus hactenus cognitis Antihelminticis facilè palmam præripit: feliciſſimè enim, & ſine turbis, intra ſpatium viginti quatuor horarum Inteſtinorum Vermes, præcipuè Lumbricos, expellit. Exhibetur dragmæ unius, duarum, unciæ dimidiæ in Aqua ebulliente per noctis ſpatium infuſum, Melle vel Saccharo edulcoratum, aut prædictarum quantitatum dimidium in pulvere. Medici Galli, pro more totius gentis, ſoliti aliorum inventis aliquid propriæ Sagacitatis addere, & pillulam, ut vocant, deaurare, ut Chocolatam &

Enemata Antivenerea, panes etiam biſcoctos Antihelminticos ex hac Herba conficiunt.

CORALLIA, ſive CORALLA ALBUM & RUBRUM. *Wit en rood Koraal.*

Trunco, ramis, corticis ſpecie arbuſculam foliis orbatam ita æmulatur, ut omnes Naturæ Obſervatores inter vegetabilia longo tempore locum conceſſerint, vel tanquam Fruticem Marinum Petrificatum reſpexerint: conſtat tamen Polyporum etiam productum & habitaculum eſſe. Huic arbuſculæ radix nulla eſt, ſed arctè rupium aliorumque corporum ſuperficiei ſub aqua accreſcit: trunci diameter raró pollicem excedit: vix tota ad pedis altitudinem excreſcit: inodora eſt & inſipida: omni dote Terra Calcarea eſt.

Corallum rubrum, quod communius & præcipuè in uſu, invenitur præprimis in Mari Mediterraneo. Principium Martiale, a quo magnam virtutem exſpectabant creduli Scriptores, necdum probatum eſt: ſola manſit vis Abſorbens: cumque multum abſit, ut hac dote reliqua Abſorbentia præcelleret, Lapidariis & Curioſis, quibus integræ Arbuſculæ & magna fruſta curæ ſunt, minora etiam fragmenta, quæ ad Officinas noſtras pro uſu medico transmittere ſolent, relinquamus; niſi illa quis in Pulvere Dentrificio vellet retinere.

CORIANDRI Semen. *Korianderzaad.*

CORNU CERVI. *Hartshoorn.*

Raſura inodora eſt & inſipida: Coctionis ope in Aqua ferè tres quartæ partes convertuntur in Gelatinam demulcentem, analepticam, quæ in Morbis Acutis, & ubicumque adeſt Diatheſis ad Putredinem, noxia eſt: nam ſi paulisper digeritur in calore ſimili, qui in Ventriculo humano eſt, ſtatim fœtida fit & acris. Prodeſt hinc Acido in primis Viis laborantibus.

Rasura sub extractione Gelatinæ mollis coctione reddita, siccata denuo & in pulverem redacta vocatur *Cornu Cervi philosophicè præparatum*: dum Cornu pars, vel Rasura Calcinationi subjicitur gelatinosum principium resolvitur in fumum fœtentem, & remanet Terra iners, absorbens: vocatur tum *Cornu Cervi ustum*. Laudatur tamquam Exsiccans, Demulcens, Acidum Absorbens: superiorum sæculorum somnia sunt, & iis facilè Medicina carere potest.

CORTEX PERUVIANUS. *Peruviaansche Bast, Kinkina.*

Est cortex Arboris in Regno Peruviano, præcipuè in montibus Oppido Loxæ vicinis, crescentis: vulgò *Gannaperis*; RAJO *Arbor febrifuga peruviana*, & LINNÆO *Cinchona Officinalis* dicitur. ejus delineationem & Historiam naturalem CEL. DE LA CONDAMINE ad Societatem Regiam Scientiarum Parisiensem transmisit, ut ex actis anni 1738. ejusdem Societatis videri potest.

Cortex Peruvianus adfertur nobis in frustis digitum circiter longis, unam alteramve lineam crassis: horum quædam in tubulos convoluta sunt; quædam plana, vel magni circuli segmenta: hæc ex Arboris trunco; illa e ramis decerpta & præferenda dicuntur. Extus scaber est, fuscus, non raro Musco cinereo obductus; intus lævis, flavus, ferrugineus, Cinnamomum ferè colore æmulans: odoris est leviter aromatici, mucidi, non ingrati; saporis amari, austeri, adstringentis, aromatici: aridus est, & quamvis firmæ texturæ sit, dentibus facilè comminui potest: dum diffringitur fractura exhibet particulas splendentes. Vires extrahuntur tam Aqua quam Spiritu Vini Rectificato: consistunt enim in principio gummeo-resinoso: duæ hæ Substantiæ tam intimè sibi adhærent, ut utraque, & quidem omnis Corticis vis, infusione satis protracta in Aqua frigida extrahi possit; probante hoc assertum Sale, falsò dicto, Essentiali COMITIS DE LA GARAYE: infusum hoc cum genuino Cortice paratum coloris aurantii est. Ut omnes virtutes retineat, nec nimium

evaporari nec ebullire poteſt; alioquin Reſinoſa Pars ſeparatur, & partim quidem decomponitur.

Cortex Peruvianus adulteratur adjectis aliis Corticibus cum externis dotibus æmulantibus: fraus e qualitatibus genuino ſupra adſcriptis detegi debet. Qui efficaciorem Corticis partem ſibi comparare volunt, ſeponant Pulverem, qui primus ſub contuſione prodit: is enim utpote lignoſæ partis inefficacior eſt, & pro conficiendo Extracto ſervari poteſt.

Hoc remedium, cujus eximiæ vires Indis jam ab anno 1500. notæ erant, in Europam non pervenit niſi anno 1649. Scribunt aliqui Indigenas ejus efficaciam vindictæ ergo Inimicis & Oppreſſoribus ſuis ſtudioſiſſimè celaſſe. Comitissa de Cinchon Proregis Peruviani Regni Uxor prima Europæa eſt, quam hoc Remedio anno 1638. curatam legimus. Admirata illa excellentiam in pulverem redactum paſſim Hiſpanis ægris, quos eo curandos ſperabat, diſtribuit: hinc *Pulvis Comitiſſæ* dictus eſt, & illico multiplicatis Obſervationibus Febrifugum, cui nullum par in Europa exiſteret, ſeſe exhibuit. Non diu ergo fugit ſolitam Jeſuitarum perſpicaciam: optimi hi Patres copiam pulveris Cardinali de Lugos tranſmiſerunt, in cujus primùm Palatio, dein in Jeſuitarum Collegio Romano diſpenſabatur: hinc *pulvis Patrum; pulvis Jeſuiticus*; & *pulvis Cardinalis de Lugos* appellatus eſt, & ſub tantis nominibus ſenſim per omnem Europam cœpit innoteſcere.

Incomparabile Remedium ea alacritate tamen, qua merebatur, ab omnibus Medicis non ſuſceptum fuit: aliqui enim nova quæque exoſi, ut in maximè ſalutaribus (teſte Variolarum Inſitione) ſolet evenire, ſine prævio examine rejecerunt; dum alii falsâ Febrium & remedii ideâ obcæcati falſis indè diductis ratiociniis contendebant periculoſum prorſus eſſe Remedium. Nec defuerunt qui inefficaciæ accuſarent: fecit enim plerumque juſtæ doſis & exhibendi methodi ignorantia, ut Febris vel non abigeretur, vel

abacta novo impetu rediret. Accessit his omnibus, & odium auxit Remedii primis illis temporibus caritas, & hinc nata Sophisticatio: ita ut ob omnes has causas mirari non oporteat perpaucos tum fuisse, quibus justa foret Remedii existimatio; eorumque præconia Osorum numero & machinationibus adeo fuisse suffocata, ut corio humano ludere videretur quicumque Corticem præscriberet, & ut omnia mala, quæ deinceps Hominibus, etiam longo tempore post assumptum id Remedium acciderent, ei plerumque innocuo adscriberentur. Per plures ergo annos tam rarus ejus usus fuit, ut PATINUS eruditus alioquin Vir & numerosæ praxeos in Epistola, vegisima prima Septembris anni 1661. data, se numquam hactenus ægris suis hoc Remedium fateatur exhibuisse. Perstitit in toto suo vigore hoc Præjudicium, donec anno 1682. LUDOVICUS XIV. regia liberalitate Arcanum, *Febrifugum Anglicum* dictum, ab EQUITE TALBOT emeret, & publici juris fieri juberet. Hoc cum miras Morborum Curationes peregisset, & non constaret nisi magna dosi boni Corticis Peruviani, omnium ferè Medicorum oculos aperuit. Indies hinc ad nostra usque tempora ejus Fama crevit, tantique jam usus est, ut mancam omnino ante detectum Novum Orbem, præcipuè in curandis Febribus, fuisse Medicinam liceat asserere.

En summatim hujus Corticis vires: (1°.) Febres intermittentes quascumque & continuas ex illis factas omnesque Morbos periodicè recurrentes specificè &, adhibitis cautelis, tutissimè sopit. Ut id efficiat feliciùs pulvis ejus subtilissimus sine addito, quidquid aliqui imaginati sint, quam quodvis aliud ejus præparatum adhibetur. Juxta Experimenta CELEBERRIMI HOME promptiùs & certius agit, si declinante multùm paroxismo; aut immediatè post eum propinetur, quam omni alio Morbi tempore. 2°. Princeps Tonicum est & Stomachicum: hinc genus nervosum optimè roborando Morbis Spasmodicis, Hystericis, Hypocondriacis sine labe viscerum, & quibuscumque Affectionibus a laxitate & debiliore viscerum actione

pendentibus feliciſſimè & radicitus medetur. 3°. Antiſepticum eſt potentiſſimum. Ex Pringlianis Experimentis carnem 120ies diutius a putredine arcet, quam Sal Marinus: quin ejus Decocto reſtituta eſt caro putrida, & fibris reddita firmitas: hinc etiam omnium Obſervatorum teſtimonio niſui humorum in putredinem a quacumque cauſa nato optimè reſiſtit, & dum in magna doſi introſumitur & extus applicatur mirabiles edit in curanda Gangræna effectus: in his caſibus agit mortuum a vivo ſeparando excitata bona ſuppuratione, quæ ubi requiritur perpetuus ejus effectus eſt; ut in Variolis, non ritè procedente Suppurationis ſtadio, etiam Anchora ſit.

Non incongruum erit notaſſe ſub uſu hujus Remedii, in quemcumque finem adhibitum fuerit, Alvum aliquando ſtipari; plerumque veluti a purgante moveri, Medicoſque Anglos, dum hos effectus nocere judicant, ei in priori caſu Rheum, in poſteriori Opium addere.

COSTI ORIENTALIS Radix. *De Wortel van Ooſtindiſche, eertyds Arabiſche Coſtus.*

CRANIUM HUMANUM. *Het Bekkeneel van den Menſch.*

Habitum eſt a pleriſque tamquam Specificum adverſùs Epilepſiam, & omnes ferè Pulveres compoſitos, qui contra horrendum hunc morbum in Pharmacopœis proſtant, cum Socia & Virium œmula Alcis ungula ingreditur. Authores & Fautores hujus deliramenti ſomniaverant hanc efficaciam a Spiritibus Cranio inhærentibus pendêre: adeoque ſtatuebant deſumendum eſſe non ex Homine Morbo aliquo demortuo, ſed ex ſano, violenta morte, ut Suſpendio, Armis &c. perempto: addebant aliqui non humato: nec deerant, qui præſtantiores vires ab Oſſibus triquetris, quam ab omni alia Cranii parte, expectabant.

Omnia hæc luxuriantis & Hypotheſibus indulgentis Ingenii Figmenta ſunt, quæ facilè evertuntur, modò obſervatio acceſſerit.

Conſtat

Constat ergo corpus iners, inefficax esse, quod nihil ab aliis Humani Corporis Ossibus diversum habet; præterea, dum quid assumat æger noscit, nauseosum, detestabile. Exulet ergo imposterum! &, si alicubi, in solis servetur Anthropophagorum Pharmacopœis.

CRASSULÆ, sive TELEPHII Folia. *De Bladeren van Hemelsleutel.*

CREPITUS LUPI seu LYCOPERDON. *Bovist of stoffige Paddestoel.*

CRETA. *Kryt.*

Est Terra Calcarea, communiter alba, nullum habens odorem nec saporem, Aquæ avidissima, & hinc Linguæ adhærens, quæ in plurium Montium sinu sub Pulveris vel Lapidis mollis & friabilis forma invenitur. Omnibus Acidis integrè solubilis est: excepto tamen Vitriolico; quod, quamvis magnam Affinitatem cum ea habeat, exiguam tantum ejus portionem via directa solvere capax est.

Ex dictis liquet ob Vires Absorbentes in Medicina usui esse posse: quin imo ob Compositum magis austerum, quod cum Acidis efficit, aliqui Authores, in Alvi Fluxibus pertinacibus ab Acido pendentibus, omnibus aliis Absorbentibus præferunt: monent tamen ob Stypticum mixtum, quod inde coit, a largiori ejus usu cavendum esse.

CROCUS. *Saffraan.*

Non est ipse Flos Plantæ, quæ *Crocus sativus* Botanicis dicitur, sed Pistillum intra hujus Floris Corollæ terminos enatum, in tres lacinias divisum, & a reliquo Flore separatum, dein modicè siccatum, quod sub Croci nomine in Officinis prostat. Adfertur in massis pressione adactis, quæ filamentis constant fulvidis, seu potius aureo-purpureis. Odoris est proprii, non ingrati, fragrantis, penetrantis & leviter acris; ut etiam diu cum tractantium Oculi veluti a fumo afficiantur: saporem habet calidum, subamarum,

acrem: ſtamina ſicca ſunt, contactu tamen pinguia videntur, & tractantis manus inficiunt. Tritu difficilis eſt.

Vires & color luteus extrahuntur Spiritu Vini Rectificato, Aqua & Aceto: quod ſolvitur nec Gummoſum videtur nec Reſinoſum, ſed particularis naturæ eſſe: nam Tinctura Spirituoſa additâ Aquâ non lacteſcit, nec Aquea addito Spiritu grumeſcit.

Crocus ſativus Regionum Orientalium propriè incola eſt: hinc Crocus *Orientalis* dictus eſt; jam in variis Europæ partibus colitur, & Orientali ſubſtituitur: reliquis præfertur Britannicus, dein Vaſtinienſis. A malevolis Mercatoribus adulteratur adjectis Floribus Carthami: pro evitanda omni fraude rejiciatur, cui alba aut lutea Filamenta immixta ſunt; cujus Stamina arida, gracilia, & parum odorata ſunt, & cujus exigua quantitas non tingit magnam Aquæ copiam.

Crocus externè adhibetur ad diſcutiendum, emolliendum & concoquendum Tumores & Abſceſſus: hinc Cataplaſmatibus & Emplaſtris in hunc uſum immiſcetur. Internè agit, ut Opium & Vinum: parca enim doſis, præter vires cum aliis Aromatibus communes, mentem exhilarat & Vires pulchre erigit; largior inebriat, Cephalalgiam, Tremores, Riſum Convulſivum, Soporem & tandem Mortem infert. Cæterùm ſpeciatim adhibetur tamquam Emmenagogum & laudatur ob Vim Sedantem & Pulmonibus præcipuè amicam in aſthmate convulſivo.

Aſſumentium Urinam rubro colore inficit, & Nutricum Lac tingit.

CRYSTALLUS MONTANA. *Bergkriſtaal.*

Eſt Lapis duriſſimus, inſtar Vitri pellucidus, nitidus, excolor, Adamantem ſplendore æmulans, inodorus, inſipidus; dum perfecta conformatio eſt, ita angulatus, ut perpetuò Figura priſma-

tica hexagona ſit, quæ utrimque Pyramide etiam hexagona terminetur.

In pluribus Europæ Regionibus e Terræ Viſceribus, e Cavernis, e Fluviis, etiam ex aliis lapidibus eruitur. Pro admixto Metallo invenitur varii coloris; ut lapides pretioſos pulchrè æmuletur. Nullo Acido, niſi violenta Calcinatione vexata ſit, ſolubilis videtur

Vires Abſorbentes, Adſtringentes & Lithontripticas huic Naturæ Producto adſcripſerunt: non videtur tamen alio modo poſſe agere, quam Vitrum contuſum: ſi ſcilicet groſſo modo pulveriſatam exhibueris nocebit vulnerando; ſi in ſubtiliſſimum pollinem redactam, innocuum quidem, ſed iners & inutile pondus erit ventriculo.

CUBEBÆ. *Cubeben of Staartpeper.*

Sunt grana non bene notæ hactenus Plantæ, quæ nobis ex India Orientali, præſertim ex Inſulis Java & Ceylon adferuntur. Parvo pediculo inſtructa ſunt, & forma ac magnitudine a granis Piperis non multum abludunt: hinc ab aliquibus *Piper caudatum* appellantur. Extus rugoſa ſunt; coloris cinerei, vel fuſci; odoris fragrantis; ſaporis acris, ſubamari, aromatici: in cavo ſuo continent Nucleum parvum, rotundum, foris fuſcorufeſcentem, intus albicantem.

Vires Aromaticas fixo reſinoſo principio inhærentes, & Spiritu Vini Rectificato integrè extrahendas habent: dicuntur Aphrodiſiaca, & præcipuè laudantur adverſùs Vertigines a Stomacho ortas.

CUCUMERIS HORTENSIS, ſeu VULGARIS SATIVI Semen. *Tuin-Komkommerzaad.*

CUCUMERIS SYLVESTRIS, ſeu ASININI Fructus. *De Vrugt van de wilde Komkommers.*

Fructus bene maturus levi attactu Elatere ſuo diſſilit, & vi Semina ſua explodit in viciniam: ob hoc Phænomenon *Elaterium* a

Græcis dictus est. Eodem nomine amarus, nauseosus, virosus hujus Fructus succus inspissatus insignitur. Ad pauca grana datus pro sursum & deorsum Purgante tam Drastico jam Veteribus cognitus erat, ut omnia validè evacuantia *Elateria* vocarent. Succus hic extus tamquam resolvens & pro ptarmico commendatus fuit: intus præcipuè ad curandum Hydropem: sed, cum communi id peragat cum aliis Evacuantibus effectu, & præterea constet Morbum hunc minùs feliciter Drasticis percurari, rarissimè jam hoc Medicamentum, quod non innocuum esse Experientia comprobavit, adhibetur. Attenuandi tamen & resolvendi scopo in refracta dosi, ut alia Drastica, utile esse posset.

CUCURBITÆ Semen. *De Zaaden van Kauwoerden.*

CUMINI, seu CYMINI Semen. *Kommynzaad.*

CUPRUM, vide ÆS.

CURCUMA. *Kurkema.*

Sub hoc nomine prostant radices tuberosæ, geniculatæ; foris pallidi, sublutei; intus coloris crocei, quem Menstruis Aquosis communicant; odoris levissimi, aromatici, ad Zinziber accedentis, sed debilioris; saporis mucosi, amaricantis, cui Acrimonia quædam admixta est, quæ in gutture tardè se explicat, sed extricata pertinax est. Ejus vires Aqua & Spiritu Vini Rectificato extrahuntur. Ex India Orientali adfertur. Pertinet ad Plantam LINNÆO *Curcumam foliis lanceolatis, nervis lateralibus numerosissimis* dictam.

Indis Condimento inservit: cibos flavedine tingit; hinc *Crocus Indicus* & *Crocus terrestris* aliquibus appellatur. Multus ejus usus est in Arte Tinctoria. In Medicina laudatur tamquam Incidens, Aperiens, Diureticum, Emmenagogum, & Partum Promovens Remedium; in Cachexia, Hydrope, Quartana Inveterata, Pulmonis

Morbis, & præcipuè in tollendo Ictero utilissimum. Urinam & Salivam assumentium colore tingit saturatè flavo.

CYANI Flores. *De blauwe Koornbloemen.*

CYDONIA MALA & eorum Semina. *De Kweeappelen en hunne Karnen*

CYNOGLOSSI Radix. *De Wortel van Hondstong.*

Multis hæc Planta narcotica & venenata habetur: negant alii, & omni scelere absolvunt: Experimenta ab utraque parte adferuntur, quæ neutri adhærere sinunt: repetenda itaque & multiplicanda sunt Tentamina, ut aliquid certi statui possit. Interim carere possumus.

CYNOSBATOS, seu CYNORRHODOS Flores, Fructus & Spongia. *De Bloemen, de Vrugten en Spons van de Hondsroos of wilde Roos.*

DACTYLI. *Daadels.*

Sunt Fructus *Palmæ majoris Dactyliferæ*, Arboris omni ferè sua parte utilissimæ, quæ in variis Regionibus Orientalibus singulari & admirando prorsus Naturæ Beneficio sponte crescit: colitur quidem in Meridionali & Occidentali Europæ parte, sed ejus Fructus ad debitam maturitatem non pervenit. Optimi adferuntur ex Syria, Ægypto, & Regno Tunetano: oblongo rotundi sunt, magnitudinis Prunorum majorum: pelliculam habent exteriorem fulvam, rugosam, tenuem, quæ Pulpam includit ex rufo flavescentem, viscidam, melleam, vinosam; in qua Ossiculum continetur convexo planum, oblongum, albidum, sulco notatum.

In Ægypto aliisque Regionibus, quibus *Palma major* indigena est, Nutrimento inserviunt, ut integræ Familiæ & multi Itineratores illis solis vescantur. In Usu Medico scribuntur possidere Vires

Demulcentes, Inſpiſſantes, & leviter adſtringentes: hinc præcipuè in variis Morbis Pectoris utiles.

DAUCI CRETICI Semen. *De Zaaden van Krooten van Creta.*

DAUCI SYLVESTRIS Semen. *De Zaaden van wilde Krooten.*

DENS LEONIS, vide TARAXICUM.

DICTAMNI CRETICI Folia. *De Bladeren van Cretiſche Dictamnus.*

Sunt Folia Plantæ, quæ TOURNEFORTIO *Dictamnus Creticus tomentoſus latifolius* dicitur, & Origani ſpecies videtur: creſcit copioſiſſimè in Inſula Candia, in Dalmatia & Morea: omnis, quæ apud nos proſtat, ex Italia adfertur: Planta ægrè fert hiemes noſtras: folia tomentoſa ſunt; odoris fragrantis; ſaporis calidi, acris, aromatici, ſubaſtringentis: recentia multum Olei Eſſentialis largiuntur.

Vires Aromaticæ, Alexipharmacæ, Expectorationem Juvantes.

DORONICI ROMANI Radix. *De Wortel van Zwindel, of Duizelkruid.*

DORONICUM GERMANICUM, vide ARNICA.

DULCAMARÆ, ſeu SOLANI SCANDENTIS Herba & Radix. *Het Kruid en de Wortel van houtagtige Nagtſchaduw, of Bitterzoet.*

A ſapore ſuo primùm dulci, dein amaro & acri nomen recepit: pertinet ad Venena Stupefacientia ſecundum aliquos Authores: Experimento a CELEB. FLOYERO capto canis, qui triginta baccas comederat, intra tres horas periit: reliquis Solanis tamen mitius agere certum eſt; ut etiam CELEBERRIMUS HALLERUS innocuum Medicamentum pronunciaverit. Stipitum uncia una, vel duæ in libra Aquæ decoquuntur, & pro Doſi adhibentur; ſed ſalvis Viribus longam Decoctionem non ferre ſcribuntur. Laudantur in Phthiſi Humoribus needum colliquatis, in Contuſionibus ad reſolvendum

ſtagnantem alicubi Sanguinem, in Lue Venerea, Ićtero, Arthritide vaga &c. Urinæ & ſudoris ſecretiones juvant; plerumque per alvum agunt.

EBULI Folia, Cortex, Radix & Baccæ. *De Bladeren, Baſt, Wortel en Vrugt van Hadig, of laage Vlierboom.*

EBUR. *Ivoir.*

Sunt duo magni illi Dentes Elephantis, qui utrimque ad latus Proboſcidis proveniunt: ad quinque, ſex, imò decem pedum longitudinem excreſcunt: a Baſi ampliori concava, ad Cuſpidem ſoliđiſſimam adſurgunt; eadem fere producta dant, & eaſdem omnino Vires poſſident, ac Cornu Cervi. Ebur ad albedinem uſtum *Spodium* vocatur.

ELATERIUM, vide CUCUMIS SYLVESTRIS.

ELEMI GUMMI. *Gomelemi.*

Eſt Subſtantia, quæ in Braſilia & Nova Hiſpania ſtillat ex Arbore Incolis *Icicariba*, Botanicis *Elemifera* dicta: adfertur in maſſis foliis arundinaceis ordinariò incluſis: coloris eſt albeſcentis, ſubflavi, cui aliquid virideſcentis immixtum eſt; aliqualiter pellucida eſt; odoris proprii, fragrantis, ad Fœniculi odorem accedentis: ſaporem præbet ſubacrem, amaricantem, balſamicum: inter digitos ſubacta pinguis videtur, lenteſcit, & leni calore ductilis fit: inflammabilis eſt: ſolvitur tota Alkohole; exigua omnino portio Aqua: Olei Eſſentialis Odorati unam decimam ſextam largitur: patet hinc Subſtantiam hanc perperam Gummi dictam Reſinis annumerandam eſſe.

Externè adhibetur tamquam Vulnerarium, præcipuè in Partium Nervoſarum & Tendinum læſionibus: uſus internus hactenus nullus; affirmant tamen aliqui egregium eſſe Remedium in Ulcerationibus Internis, & pauca ejus grana tuſſes ſedare. Aſſerta hæc nova Tentamina confirment.

ENDIVIÆ Folia, Radix. *De Bladeren en Wortel van Andivie.*

ENULÆ CAMPANÆ, seu HELENII Radix. *De Galantwortel of Alantwortel.*

Hæc Radix satis nota ob Aroma quod possidet Decoctionem salvis Viribus non fert: multæ ejus Vires Aqua; omnes Spiritu Vini extrahuntur: Distillatione humida Oleum Essentiale largitur, quod sub Flocculorum alborum forma, & ferè instar Spermatis Ceti foliaceum ascendit, & Aquæ innatans, aut Receptaculi collo adhærens concrescit.

In Morbis Mucosis, Frigidis, & speciatim in Chlorosi præstans est Remedium.

EQUISETI, seu CAUDÆ EQUINÆ Herba. *Het Kruid van Paarde-staart.*

ERUCÆ Semen. *De Zaaden van Rakette.*

ERYNGII Radix. *De Wortel van Duivels Naaigaren, of Zee Kruis-distel.*

ERYSIMI Folia. *De Bladeren van Heeschkruid of edele Rakette.*

EUPATORII CANNABINI Folia. *De Bladeren van Koninginne-kruid of Boelkenskruid.*

EUPHORBIUM. *Euphorbium.*

Ex Incisa Planta, Africæ Indigena, Tithymali specie, quæ *Euphorbia aculeata, nuda, multangularis, aculeis geminatis* LINNÆO dicitur, Succus lacteus, acerrimus exstillat, qui sponte inspissatus sub *Euphorbii* nomine ad nos transfertur. Grana, seu guttæ sunt diversæ figuræ & magnitudinis, extus plùs minùs flavicantes, intus magis albæ: plerumque cavæ sunt, vel Plantæ aliquam particulam includunt: saporis sunt acerrimi, caustici, pertinacis, nauseosi: dum

dum diutius in Ore retinentur Linguam & Guttur inflammant: odorem vix ullum præbent; inter contundendum tamen muniendæ nares sunt contra pulvisculum volatiliorem: Errhinum enim est fortissimum. Substantia hæc in Igne liquescit, & inflammabilis est: constat partibus ferè æqualibus Resinæ & Gummi, solviturque tum Aqua, tum Spiritu Vini Rectificatissimo: Tinctura Spirituosa fervidissima, ignea est; Aquea debilis: ut hinc pateat urentem Acrimoniam præcipuè in Resinosa Parte hærere.

Corpori externè applicatum Vesicans, Erodens est: patet hinc quam suspectus sit ejus usus internus: aliqui tamen in Hydrope aliisque Morbis Frigidis tamquam fortissimum Hydragogum commendant: infausti eventus ab Observatoribus hinc indè notati nova tentamina vetant. Prudenter adhibitum inter Errhina locum retinere potest: Oleo solutum laudatur externè adversus Tumores duros, & pulvis Ossi carie exeso a Chirurgis inspergitur ad promovendam Exfoliationem.

EUPHRASIÆ Folia. *De Bladeren van Oogentroost.*

FABÆ STI IGNATII. *De Boonen van St. Ignatius.*

Ita a R. P. CAMELLO Jesuita, qui primus harum Fabarum videtur meminisse, appellata sunt viginti quatuor Semina, quæ in Fructu Plantæ in Insulis Philippinis crescentis, & Incolis *Cantara*, vel *Catalongay* dictæ, reperiuntur. *Igasur*, *Fabæ Indicæ* & *Fabæ febrifugæ* etiam vocatæ sunt: nuclei sunt subrotundi, nodosi, Nucem Avellanam ordinariò magnitudine æquantes; illa quandoque majores; durissimæ & Corneæ quasi Substantiæ; coloris glauci, & saporis amarissimi.

Si Authori fides Incolæ Insularum Philippinarum Fabas has omnibus fere Morbis opponunt: ad nos delatæ in debellandis Quartanis, promovendis Menstruis, & roborandis Digestionis Organis

apud aliquos famam consecutæ sunt: plures tamen non infimæ notæ Medici, inter quos eminet BOERHAAVIUS, illas credunt viribus proximè ad Nucem Vomicam accedere: adeoque earum usum non omnino tutum esse: nec desunt qui illas Vomitum, Catharsim, Tremores, Risum Sardonicum aliaque pessima Symptomata asserunt produxisse.

FARFARÆ seu TUSSILAGINIS Flores & Folia. *De Bladeren en Bloemen van Hoefblad of Paardeklaauw.*

FERRUM, CHALYBS, MARS Chemicorum. *Yzer, Staal.*

Est omnium Metallorum durissimum & maximè elasticum, id præ reliquis omnibus hactenus cognitis Substantiis particulare habens, quod a Magnete attrahatur, & ipsum Vi Magnetica infici possit: sonorum est, ductile, tenax & difficillimè fusibile: octies ferè Aqua specificè gravius est: hinc excepto Stanno reliquis Metallis levius. Aquâ solâ, non mutata ejus natura, dividi & attenuari potest in Pulverem nigrum, subtilissimum, *Æthiopem Martialem* dictum: sed unitis Aquæ & Aëris viribus decomponitur, Phlogisto orbatur, & mutatur in Calcem flavam, *Rubiginem*, & *Crocum Martis aperitivum* dictam: continuata Ignis violentia eamdem mutationem subit, & Calcem producit *Crocum Martis adstringentem* appellatam. Omnibus Metallis, exceptis Plumbo & Mercurio, uniri potest. Solvitur omnibus Acidis, quin imò omni ferè sale: solutiones Acido Vitriolico & Spiritu Salis Marini fiunt cum vehementi effervescentia, & Gas emittunt inflammabile. Majorem reliquis Metallis cum Sulphure Affinitatem habet: hac unione ejus Fusibilitas juvatur: duæ hæ Substantiæ via humida agunt in invicem cum vehementia, Inflammatione, & se mutuo decomponunt. Fusione, vel Cementatione, separatis refractariis, heterogeneis, & aucta Phlogisti copia ex Ferro fit Chalybs; Ferrum nobilius, durius, magis elasticum; hinc in Mechanicis, sed non in Medicina, multùm pretiosius.

Cum hoc Metallum tam variis Subſtantiis, & tam facilè decomponatur rariſſimè invenitur ſub Statu Metallico, ſeu Nativum; ſed Terra ejus Metallica, quæ ſcilicet addito Phlogiſto Ferrum conſtituere apta eſt, ferè ubique non ſolum in Terræ Viſceribus, ſed etiam in pluribus Vegetabilibus & Animalibus reperitur: vix Regio datur, quæ ſuas Ferri mineras non habet: aliis Mineralibus, Metallis, Semimetallis, pyritibus ordinariò immixtum eruitur.

Præſentia hujus Metalli aliis Pulveribus immixti cognoſcitur Magnete; in Liquore aliquo diſſoluti, Nucibus Gallis, aut aliis Adſtringentibus, quæ liquorem nigricant ea proportione, qua Ferrum continet; vel certiùs & univerſaliùs addendo Liquori Alkalinum Phlogiſticatum Cærulei Boruſſici Lixivium: cum enim ferrum baſis ſit hujus cærulei, ſi Lixivium antequam liquori addatur Acido ſaturetur, Cæruleum Boruſſicum ea proportione præcipitabitur, qua Liquor Ferrum continebat.

Ferri introſumpti primaria Virtus Medica videtur fibris robur addere, quo validius reagant in contenta liquida: ſub ejus uſu obſervamus pulſum majorem, celeriorem fieri; corpus incaleſcere: adeoque Circulum manifeſtè intendi, Secretiones & Excretiones juvari, & Sanguificationem pulchrè inſtaurari, ut pallidis antea vividus ſenſim redeat faciei color. Ob hos effectus, quos tutiſſimè producit, præſtantiſſimum eſt Remedium in Morbis Mucoſis, Pallore Cachectico, Chloroſi, Menſium defectu & omni Morbo, qui dependet a debiliori Actione Solidorum. Optimæ ejus præparationes ſunt Limatura ſubtiliſſima & Æthiops Martialis, dum Acidum in primis viis, quo diſſolvi poſſint abundat: hoc deficiente, Acido, aliquo Vegetabili ſolutum debet exhiberi: ſub ejus uſu ergo cavendum ab Alkalinis: Solutio & Vis juvandæ Corporis Exercitio: Solutionis indicia ſtatuuntur ructus nidoroſi & Fæces Alvinæ nigræ. Croci, quorum diſtinctio in Aperientem & Adſtringentem frivola eſt, minus humoribus noſtris ſolubiles ſunt, & fortè non ſubigun-

tur, nisi Phlogisto in primis viis existenti uniantur, quod quandoque fieri Fæces Nigræ sub eorum usu videntur probare.

Martialia nocent in Morbis a fibra rigida; Phthisicis, Pletoricis, Biliosis, Scirro Laborantibus &c.

FILIPENDULÆ Radix. *De Wortel van roode Steenbreken.*

FILICIS MARIS Radix. *Be Wortel van gemeene Mannetjes Vaaren.*

Planta *Polypodium Filix Mas* LINNÆI; CASPARIS BAUHINI *Filix non ramosa, dentata* est: Radix fibrosa, extus nigra, intus rufa, saporis adstringentis jam a GALENO adversus Vermes laudata fuit: HOFFMANNUS hanc vim confirmat, & asserit tres ejus dragmas ex Aqua Mulsa exhibitas præstantissimum esse Antihelminticum. Non obstantibus his Testimoniis parcior ejus usus erat; donec in Gallia Regio Jussu Arcanum NOUFFERIANUM adversus Tæniam in publicum prodiret: En in quo consistat: post levem cœnam, summo mane ægro tres hujus Radicis dragmæ ex quinque vel sex unciis Aquæ Distillatæ exhibentur: post elapsas duas horas assumat Bolum sequentem

Rec. Panac: Merc:
Resin: Scammon: Alepp: ana gr xij
Gumm: Guttæ gr v
Redigantur in Pulv: subtiliss: & cum s: q:
Conf: Hyacint: f: Bolus

Omnium Dosis augetur, vel minuitur pro Ægri Ætate & Viribus. Reliquas cautelas vide in Medicinæ Diario pro Mense Septembri 1775.

FŒNICULI DULCIS Semen. *De Zaaden van zoete Venkel.*

FŒNICULI VULGARIS Folia, Radix, Semen. *De Bladeren, de Wortel en het Zaad van gemeene Venkel.*

FŒNI GRÆCI Semen. *Het Zaad van Griekſch Hooi, of Fenegriek.*

FRAGARIÆ Folia & Fructus. *De Aardbeziën en der zelver Bladeren.*

FRAXINI Cortex. *De Baſt van den Eſſenboom.*

FULIGO Lignorum Combuſtorum. *Roet van Hout; Bitter.*

Eſt Aggregatum omnium illorum, quæ vi Ignis ſub Lignorum combuſtione in Fumum redacta ſublimantur, dein ad frigidos Caminæ parietes condenſantur: coloris eſt nigri, ſplendentis; odoris fortis, ingrati; ſaporis acris, amari, empyreumatici: pro diverſo Ligno diverſa eſt: in genere diſtillata præbet Alkali Volatile, & Oleum Empyreumaticum: continet magnam partem Ligni ob Aëris contactûs defectum non combuſtam; hinc inflammabilis eſt: Vires extrahuntur tam Aqua, quam Spiritu Vini Rectificato: utrumque Menſtruum unam ſextam, ſecundùm alios unam quartam partem ſolvit: Tincturæ rufæ ſunt.

Externè commendatur ab aliquibus contra Scabiem, Tincam & Ulcera maligna: internè inter Antiſpaſmodica, & ſpeciatim inter Antihyſterica locum obtinuit: Tinctura Spirituoſa laudatur ab aliquibus tamquam Excellentiſſimum Diaphoreticum in Arthritide Vaga utiliſſimum.

FUMARIÆ Folia. *De Bladeren van Duivekervel.*

GALANGÆ MAJORIS, & MINORIS Radix. *De Wortel van groote en van kleine Galanga.*

Radices nodoſæ ſunt, Circulis diſtinctæ; extus rufæ, intus pallidiores; odoris aromatici, ad Camphoram accedentis; ſaporis acris, calidi, piperati: MAJOR pollicis circiter craſſitiem habet: MINOR, quæ odoratior, ſapore fortior, & ideo ſola in uſu, proſtat in fruſtis pollicem longis, ſemipollicem craſſis. Vires, quæ in par-

tibus fixis videntur hærere, partim Aqua, integræ Spiritu Vini Rectificato extrahuntur.

Reliquorum Aromatum effectus edunt: stomachicæ & uterinæ præcipuè creditæ sunt: masticatæ laudantur ad Linguæ Paralysim.

GALBANUM. *Galban.*

Est Succus concretus gummeo-resinosus, qui ex incisa Planta Ferulacea, quæ Africæ Indigena est, & TOURNEFORTIO *Oreoselinum Africanum Galbaniferum* dicitur, stillat. Adfertur in Massis, quæ constant Lacrymis albis, flavis, rufis, vel ferrugineis: præfertur constans granulis albis, splendentibus & fere pellucidis: odoris est proprii, fœtidi, gravis, latè se disseminantis, ferè ad Opoponacem accedentis; saporis subacris, amaricantis: lentum, minimo calore ductile & inflammabile est: Oleum Essentiale ad unam vigesimam circiter sui ponderis largitur: pars ejus Aqua solvitur; major pars Spiritu Vini Rectificato: integrè solvitur in Menstruo constanti duabus partibus Spiritus Vini Rectificati & una parte Aquæ: bene subigitur Vitello Ovi, Melle, Bile & Syrupis.

Galbanum internè datum ferè easdem, ac Gummi Ammoniacum, Virtutes possidet; sed ob Vim magis Stimulantem & Calefacientem minùs laudatas: in majori dosi exhibitum Alvum laxat: numeratur inter Antihysterica. Extus ob Vim Emollientem, Maturantem & potenter Resolventem adhibetur ad Tumores Duros, Scirrhoideos; Clavos Pedum &c.: ob Vim Sedantem, Antispasmodicam aliquando cum effectu Hystericarum Umbilico imponitur, & CELEB. QUARIN Emplastro ex Galbano & Camphora Nuchæ applicato Surditatem post Febrim Ardentem relictam asserit curari.

GALEGÆ Folia. *De Bladeren van Geitenruit.*

GALLÆ. *Galnooten.*

Corpora hæc satis nota, quæ plerumque inter Fructus referuntur, propriè Quercûs Excrescentiæ morbosæ sunt: Animalculum

etenim Insectum, *Cynips Quercûs Folii* LINNÆO dictum, folia & teneriores dictæ Arboris partes aculeo, quo cauda armata est, vulnerat, & Ovum in vulnere deponit: humores ad vulnus copiosiores allati in Tumorem illum *Gallam* dictum excrescunt, dum interim ex deposito Ovulo Vermis excluditur, qui deinceps, dum vita & vires sinunt, Carcerem erodit, & Foramen relinquit.

Gallarum vis, ut sapor, fortiter adstringens: antisepticam Virtutem majorem possident, quam Sal Marinus: hinc externè ad Ulcera Putrida & Morbos Topicos a Solidorum relaxatione pendentes ab aliquibus adhibentur: usus internus jam vix ullus.

GALLII Folia. *De Bladeren van onzer lieve Vrouwe Bedstroo.*

GAMBOGIA, seu GUMMI GUTTA. *Gambog, Gomgut.*

Substantia hæc, quæ etiam *Guttta Gamba, Gutta Gambodia* & *Gummi de Goa* vocatur, est Succus inspissatus gummeo resinosus, qui præsertim in China, Camboia & Ceylon stillat secundùm aliquos ex incisa Arbore pomifera Indis *Coddampulli* dicta; secundum alios e Tithymalo Scandenti. Coloris est crocei, vel aurantii; dum diffringitur, splendentis; odoris vix ullius; saporis primò resinosi; per horam in ore detenta, acris, calidi, pertinaciter guttur exsiccantis. Quinque ferè partes solvuntur in Spiritu Vini Rectificato; magna etiam pars Aqua: posterius Menstruum Sale Alkali acuatum solvit totum, & Tincturam efficit rubicundam, pellucidam: promptissimè & integerrimè solvitur Spiritu Salis Ammoniaci Dulci Pharmacopœæ Londinensis, & Tinctura hæc tam Aquæ, quam Spiritibus miscibilis est.

Gambogia, cujus vires in Resinosa parte præcipuè hærent, Hydragogum est violentissimum; si in majori dosi adhibetur sursum etiam purgans: qui eam præscribunt hanc Violentiam corrigere passim annituntur particulas resinosas dividendo Trituratione cum Saccharo, vel Sale Lixivioso: tutior foret solutio. A granis qua-

tuor ad decem, vel quindecim in curando Hydrope ab aliquibus laudatur; dum alii periculosissimum Medicamentum omnino non adhibendum judicant. Bolum purgantem pro expellenda tænia methodo Noufferiana ingreditur. Vide FILIX MAS.

GENISTÆ Folia, Flores, & Semen. *De Bladeren, Bloemen en Zaaden van Brem, of Ginst.*

GENTIANÆ Radix. *Gentiaaniwortel.*

Inter Febrifuga & Antihelmintica numerata est: Primas Vias pulchrè roborat, & vi pollet antiseptica. Vires meliùs Spiritu Vini, quam Aqua extrahuntur.

Aliquibus abhinc annis, prout in Pharmacopœa Londinensi refertur, Radicibus Gentianæ e Germania in Angliam allatis Radices aliæ venenatæ, externis dotibus Radices Gentianæ æmulantes, intermixtæ repertæ fuerunt: summas turbas, Morbos, imò Mortem aliquibus infelicibus earum usus intulerat: levi examine poterant dignosci: intus enim albæ erant, & nulla Amaritie instructæ; dum Gentianæ Radices flavæ sunt, & amarissimæ. Ex infausto hoc casu discant Pharmacopœi ab exteris allata Medicamenta scrupuloso examine prosequi.

GINSENG, vide NINSING.

GLYCYRRHIZÆ, seu LIQUIRITIÆ Radix. *De Wortel van Zoethout.*

Est Radix Plantæ, quæ DODONÆO *Glycyrrhiza vulgaris*; LINNÆO *Glycyrrhiza leguminibus glabris, stipulis nullis* dicitur: sponte crescit in Italia, Hispania & omni Europa Meridionali: colitur in Gallia, Anglia, Germania & præsertim Agro Bambergensi: qui eam colunt suas Radices Exoticis præferunt, quia hæ mucidæ, situ corruptæ, vel non satis recentes advehi solent. Pulveri Liquiritiæ ab Exteris allato sæpe Farina admixta est.

In Hispania ex his Radicibus in Aqua coctis & expressis; Decocto dein Evaporatione inspissato, & in Sole siccato fit Succus Liquiritiæ, qui, si adustus, in Aqua non integrè solubilis, vel in Ore non totus deliquescens, rejici debet.

Ob Vim demulcentem, & Expectorationem juvantem, quam feliciùs quam varia magni nominis Medicamenta exercet, adhibetur in Morbis Pectoris & Renum: ob Vires saponaceas sitim sedantes meliùs, quam Saccharum, Potuum, vel Medicamentorum edulcorationi inservit: in hunc usum nocet Coctio protractior, quæ Amaritiem extricat.

GRAMINIS CANINI Radix. *Graswortels, de Wortels van Hondsgras.*

GRANATI Cortex, seu MALICORIUM. *De Schel van den Granaatappel.*

GRATIOLÆ seu DIGITALIS MINIMÆ Folia & Radix. *De Bladeren en Wortel van Godsgenade of kleinste Vingerhoedskruid.*

Folia saporis amari, nauseosi sunt: ad Dragmam dimidiam in Pulvere, vel a Dragma una ad duas in Infuso validè Alvum & sæpe Vomitum movent: idem eadem ferè Radicis dosis efficit: aliqui hanc Plantam Foliis Sennæ & Radici Jalappæ substituere volunt.

GUAJACI Lignum, Cortex, Gummi. *Het Hout, Bast en Hars van Guajacboom, of Pokhout.*

Est Lignum Arboris in America Meridionali crescentis, quæ Linnæo *Guajacum foliis bijugatis obtusis* dicitur: compactum est, ponderosum, resinosum; coloris fusci, nigricantis, vel viridescentis; odoris resinosi, non ingrati; saporis aromatici, stimulantis, amari; cingitur Alburno flavescente, quem tegit Cortex tenuis, extus griseus, e variis squammis efformatus; saporis & odoris ferè ejusdem ac Lignum. Aqua diuturna coctione, præcipuè dum

Sale Tartari acuata eſt, multas vires tam e ligno, quam e cortice extrahit, Spiritus Vini Rectificatus omnes.

Ex inciſa Arbore GUMMI ſtillat, quod, cum tres quartas partes reſinoſas habeat, potiùs RESINÆ nomine inſigniendum eſt: proſtat nobis ſub fruſtis irregularibus, quibus Corticis particulæ hinc indè adhærent: colorem habet fuſcorubicundum, quandoque virideſcentem: friabile eſt, inter dentes tenax & ſaporem præbet acriorem, quam Lignum & Cortex, quorum vires ab hac potiſſimùm parte pendent: in igne liqueſcit, inflammabile eſt, & accenſum odorem ſpargit ad Balſamum Peruvianum accedentem. Integrè Spiritu Vini Rectificato ſolvitur, ſed Tinctura additâ Aquâ grumeſcit, & ſeparatur reſina. Aqua Calcis Tincturam fortem Aquæ optimè miſcibilem extrahit.

Lignum tamquam ſpecificum Antivenereum circa annum 1508. ex America, unde pauló ante Morbus, in Hiſpaniam allatum eſt: ejus decoctum Indigenas hoc Morbo certiſſimè ſcribebatur liberare: captis in Europa Experimentis magna hæc ſpes pro magna parte evanuit, & conſtitit Vires poſſidere in genere Stimulantes, Attenuantes, Diaphoreticas & Diureticas: adeoque in Morbis ab abundantiori Sero, ab Humoribus Viſcidis & ab Acrimonia eiſdem irretita utile eſſe Medicamentum. Ob eaſdem generales virtutes in Morbis Venereis Inunctionibus Mercurialibus aut jungitur, aut immediatè poſt eas adverſùs reſidua Symptomata feliciter adhibetur: quin imò in deſperatis quibuſdam caſibus, ubi Mercurii vis nihil ampliùs valet ULRICI HUTTENI methodo præſcriptum mira quandoque efficit, & nullo alio Remedio expectanda. Laudatur præterea in omnibus Morbis a ſuppreſſa, vel impedita Perſpiratione, dum metus Inflammationis abeſt, & cum Lacte ſumptum ob virtutem balſamicam & reſolventem etiam Tabidos ſcribitur curaſſe.

Cortex, quidquid alii velint, eaſdem omnino vires poſſidet, ac Lignum; ſed utroque efficacior Reſina eſt, & fortè ſola,

cum aliarum Arboris partium vires ab illa pendeant, adhiberi posset.

Lignum Sanctum, quod, utpote coloris flavescentis & texturæ rarioris, aliqui diversum statuunt, ejusdem Arboris, sed junioris, productum est: ut etiam nomina jam confundantur.

GUMMI ARABICUM. *Arabische Gom.*

Stillat in Ægypto & Arabia ex *Acacia vera*, seu *foliis scorpioidis* dicta: adfertur in granis ad figuram rotundam accedentibus, extus scabris; variæ magnitudinis, ut quandoque Juglandem superent; coloris albi, flavi, pellucidi; odoris nullius; saporis fatui, viscosi. Solvitur integre Aquâ, quam in Mucilaginem inspissat: ex hac Dissolutione ab Alkali dejicitur. Nec Spiritu Vini, nec Oleis se solvi patitur. Raro apud nos prostat: ei substitutum est Gummi Senegalense e Guinea allatum, ejusdem omnino indolis & usus; & quod sola Patria ab Arabico videtur differre.

Ob Mucilaginem insipidam demulcentem, in quam aquosis Menstruis resolvitur, convenit, ubicumque tenues Humores inspissandi, Acre obvolvendum, aut Mucus naturalis abrasus restituendus est. Camphora, Moschus, varia Olea & Resinæ ejus intermedio Aquæ misceri possunt. Nutriens est.

GUMMI CERASORUM. *De Gom van den Karsenboom.*

Viribus cum præcedenti omnino convenit.

GUMMI TRAGACANTHÆ. *De Gom van Tragacanth.*

Stillat ex inciso Frutice, qui in Europa Meridionali crescit, & Tournefortio *Tragacantha cretica incana flore parvo, lineis purpureis striato*; Linnæo *Astragalus caudice arborescente, petiolis spinescentibus* dicitur: adsertur in Lacrymis, quæ partim grana seu grumos exhibent; partim Vermium, vel Filamentorum in se retor-

torum ſiguram habent: coloris eſt albi, flaveſcentis; aliquando rufi, vel nigricantis; & tunc rejiciendum: odorem nullum præbet: in Ore lenteſcit, Mucilago fit, & ſaporem habet ſubdulcem, fatuum: in Aqua intumeſcit, integre ſolvitur, & eam multò magis inſpiſſat, quam Gummi Arabicum: Dragma enim una Libram Aquæ ad Syrupi conſiſtentiam reducit, quod Uncia dicti Gummi non poteſt.

Viribus medicis a Gummi Arabico non differt.

HÆMATITES Lapis. *Bloedſteen.*

Eſt meraciſſima Ferri Minera, quæ in Hiſpania, Suecia, Norwegia, Haſſia &c. eruitur: Subſtantiam exhibet duram, ponderoſam; coloris obſcurè rubri, ferruginei, vel nigricantis; odoris ferè nullius; ſaporis terrei, ſubadſtringentis: dum frangitur ſtrias, ſeu fibras exhibet ferè ut Lignum: hinc *Ferrum Sciſſile* dicitur: a Magnete non attrahitur: cum Acidis non efferveſcit. Ex Libris viginti quatuor addito Phlogiſto quandoque novemdecim Libræ Ferri fiunt.

In Hæmoptoe, Vomitu Sanguinis & Mictu Cruento, Verbo in ſiſtenda omni Hæmorrhagia famam olim habuit: eo proceſſerat Præjudicium, ut etiam manu detentus, aut collo appenſus id efficere poſſe crederetur: fortè nomen, quod procul dubio a colore acceperat, errorem induxit. Id ſaltem certum eſt hanc Virtutem Experientiâ non probari, ſed ea conſtare hunc Lapidem viribus medicis ad Crocum Martis accedere. Externè tamquam ſiccans ad Ulcera commendatur, & in hunc finem quædam Emplaſtra ingreditur.

HEDERÆ ARBOREÆ Folia, Baccæ & Reſina. *De Bladeren, Beziën en Hars van Boomveil.*

Reſina depilatoriam virtutem poſſidere Veteribus credita eſt. Apud nos tamquam Stypticum & Traumaticum Emplaſtra aliqua ingreditur. Baccæ ex Aceto potæ in Peſte Londinenſi, tamquam

Prophylacticum, quod per Diaphoresim susceptum Miasma expellere aptum esset, famam habuerunt. Folia in pulvere exhibita ab aliquibus laudantur ad Atrophiam Infantum. Deligandis Fonticulis inserviunt. Pro ultimo hoc usu retineantur; sed timor est, si Observationis Lumen accesserit, ne reliquæ omnium partium Vires Medicæ evanescant.

HEDERÆ TERRESTRIS Folia. *De Bladeren van Aardveil.*

HELENIUM, vide ENULA CAMPANA.

HELLEBORI ALBI Radix. *De Wortel van witten Helleborus, of wit Nieskruid.*

Est Radix Plantæ, quæ in Græcia, Italia, Helvetia, Germania &c. sponte crescit, & aliquibus *Veratrum album*; aliis *Helleborus albus flore subviridi* dicitur. Oblonga est, tuberosa, fibrosa, pollicem circiter crassa; coloris extus fusci, vel fusco nigricantis; intus albi: odorem nullum præbet; saporem amaricantem, nauseosum, acrem, calidum, Os & Guttur, dum diutius retinetur, inflammantem. Vires partim Aqua, omnes Spiritu Vini Rectificato extrahuntur.

In parcissima dosi sursum & deorsum violentissimè purgat: pulvisculus sub contusione evolans visus est Adstantibus Alvum turbasse: cuti applicata idem præstat: imprudens ejus usus tam sæpe Convulsiones aliaque pessima Symptomata; quin imò Mortem produxit, ut inter Venena constanter numeretur: Succum vulneri inditum omni Animali Mortem inferre, & illo aliquas Gentes Tela olim tinxisse plures Authores narrant. His non obstantibus non solum in minima dosi tamquam Alterans, sed etiam a granis sex ad scrupulum unum in Mania & Melancholia aliisque desperatis casibus, ad evacuandam præcipuè Atram Bilem, cum successu ab aliquibus adhibita est: veremur tamen, ut pauci felices casus periculum & infortunia, quæ apud Observatores ab ejus usu passim

occurrunt, compenſent; & ob hunc timorem, licet ejus Virulentia Acidis Vegetabilibus corrigi dicatur, a prudentioribus Medicis e Medicamentorum claſſe excluditur. Aliis pulveribus immixta locum inter Sternutatoria retinere poteſt; ut etiam pulvis ejus in pollinem redactus, & Linimento immixtus ad Pſoram, Tineam & Scabiem, ad quos Morbos ab aliquibus laudatur, adhiberi.

HELLEBORI NIGRI Radix. *De Wortel van zwart Nieskruid.*

Pertinet ad Plantam, quæ, quamvis idem nomen gerat, quod ignaris poſſet imponere, a præcedenti diſtinctiſſima eſt: ſponte creſcit in Helvetia, Auſtria, Styria &c.: colitur in hortis noſtris: Dodonæo *Veratrum nigrum*; aliis *Helleborus niger flore roſeo* dicitur. Radicem ſiſtit, quæ e craſſo capitulo, ſeu bulbo numeroſas fibrillas extus nigras, intus albidas, ipſo bulbo efficaciores, emittit: dum recens eſt odorem præbet ſubaromaticum, gravem; ſaporem amarum, nauſeoſum, calidum & adeo acrem, ut, dum per aliquot minuta maſticatur, Lingua afficiatur ſtupore & ſenſu, ac ſi ab aliquo nimium actu calido aduſta foret. Tinctura Aquoſa mitis eſt; Spirituoſa omnem ferè Radicis Acredinem poſſidet.

Collegium Londinenſe ſuaſit, ut conſtanter nigerrima pro uſu eligatur: hac cautela cavere voluit, ne ſuſpectæ Hellebori ſpecies, quin imò ipſæ Aconiti Radices, ut aliquando evenit, Helleboro nigro ſubſtituerentur.

Veteres frequentiſſimè hanc Radicem tamquam Medicamentum validè Atram Bilem educens adhibuerunt: noſtra tam parum id efficit, ut aliqui inter Purgantia ei locum denegent: meritò ergo dubitatur, quid Veterum Helleborus fuerit: id certum videtur, illorum Helleborum aut Album, aut a noſtro Nigro omnino diverſum fuiſſe. Tournefortius ſpeciem in Oriente detexit, quam *Helleborum Nigrum Orientalem, ampliſſimo folio, caule præalto, flore purpuraſcente* vocavit, & cujus Radicis ſcrupulum unum Convulſiones

excitare ſcribit. Hunc Veterum Helleborum eſſe ideo præcipuè credidit, quod in Inſula Anticyra, hac Planta olim celebri, creſceret.

Qui omnibus his dubiis addere volet pro diverſa Patria vires Hellebori differre; dein hujus Medicamenti uſum, quia multis aliis certioribus ſupplere poſſumus, admodum apud nos eſſe neglectum, is minus mirabitur confuſam eſſe integram hujus Radicis Hiſtoriam: ita ut pro eruenda veritate nova tentamina requirerentur. In eo interim maximus Authorum numerus convenit, Viribus eam ad Album accedere, ſed longè mitiùs agere, atque in refracta doſi efficax alterans, attenuans & deobſtruens eſſe Remedium: Celeb. Freindius aſſerit ita exhibitum feliciùs, quam alia diuretica, in Hydrope urinas ciere: & efficaciſſimum eſſe Emmenagogum in Plethoricis, quibus Chalybeata nocent, Celeb. Mead teſtatur. In ſimilem ſcopum ejus Extractum Bacheri Pillulas ingreditur.

HEPATICÆ NOBILIS Folia. *De Bladeren van edel Leverkruid.*

HERMODACTYLUS. *Hermodactels.*

Eſt Radix Plantæ, quæ Tournefortio *Hermodactylus folio quadrangulo;* Linnæo *Iris corollis imberbibus, foliis tetragonis* dicitur: ad figuram triangularem, ſeu cordiformem accedit: dura eſt, ab una parte compreſſà & ſulco notata, ab altera convexa: coloris eſt extus flavi, intus albi; odoris vix notabilis; ſaporis ſubdulcis, viſcoſi, aliqualiter acris. Adfertur e Turcia.

Tamquam alterans, & vaſcula minima deobſtruens adverſùs Morbos Arthriticos adhiberi, & Decoctis Antivenereis addi ſolet: vis leniter purgans ei tribuitur: alii omnem ei virtutem denegant, & inertibus Medicamentis annumerant. Fortè hæc opinionum diverſitas utrimque fundata eſt, & pendet a diverſa Radicis ætate; nam recens non ſolùm Alvum ſed & Vomitum ſcribitur ciere. Ut apud nos ordinariò proſtat vix virtutem poſſidet.

HERNIARIÆ Folia. *De Bladeren van Duizendkoorn of Duizendgrein.*

HORDEI Semen. *Gemeine Garſt.*

HORDEUM MUNDATUM ſeu DECORTICATUM. *Gepelde Garſt.*

HORDEUM PERLATUM. *Paerlgarſt.*

HORMINI SATIVI Folia. *De Bladeren van Tuinſcharley.*

HYOSCIAMI ALBI Folia & Semen. *De Bladeren en Zaaden van wit Bilzenkruid.*

HYOSCIAMI NIGRI Folia & Semen. *De Bladeren en Zaaden van zwart Bilzenkruid.*

Folia habet oblonga, profundè inciſa, fœtida; præſertim dum inter digitos teruntur; ſaporis amari, acris, adverſi & nauſeoſi. Semina parva ſunt, rotunda, rugoſa; odoris, dum recentia ſunt, gravis; ſaporis oleoſi, amari, acris & ingrati: multum Oleum per Expreſſionem largiuntur.

Utraque Species, eminentiùs tamen poſterior, omnes partes venenatas, ſtupefacientes habet. Innumeris fide dignorum Medicorum Obſervatis conſtat eas in paulò majori doſi introſumptas Vertiginem, Senſuum Hebetudinem & Abolitionem, Inſaniam, Furorem, Convulſiones, Somnum profundum & Mortem denique producere. Peſſima ſymptomata a Seminum Fumo, vel Radicis Fruſtulo denti carioſo in Odontalgia immiſſo ſecuta ſunt: quin imò a Vapore ſolo, cum Emplaſtrum ex hac herba pararet, CELEB. BOERHAAVIUS Temulentiam paſſus eſt. A Foliis Ulceri applicatis viſum eſt Delirium.

Non obſtante hac infamia etiam hinc indè apud Veteres inter Artis auxilia locum invenerunt: ſolis noxis dein per plura ſæcula celebres in Materiem Medicam reduxit CELEB. STOERCKIUS: hic, ut

ut plurium aliarum venenatarum Plantarum, etiam Hyosciami Nigri usum internum tentavit: post multa pericula Foliorum Extractum, a grano uno sensim ad majorem dosim ascendendo, exhibitum commendat in vario Convulsionis & Epilepsiæ genere: asserit dein se illud in Melancholia, Mania & Tussi sicca pulchro cum effectu exhibuisse. Alii celebres Viri laudant in Passione Hysterica, & CELEB. FOTHERGILL in Ulcere Viarum Urinariarum.

Externè, tamquam Anodyna & Resolventia, Folia Fomentationibus, vel Cataplasmatibus immixta adhibentur. Seminum Oleum expressum habet aliquid proprii Anodyni.

HYPERICI Folia, Flores & Semen. *De Bladeren, Bloemen en Zaaden van S. Jans-Kruid.*

Summitates floriferæ hujus Plantæ Spiritum Vini & intensiùs adhuc Olea expressa tingunt colore rubro. Ejus usus præcipuè chirurgicus, vulnerarius est. Easdem vires possidet Oleum Infusione & Insolatione paratum. Ab aliquibus vires antihelminticæ ei tribuuntur, & famam olim habuit adversùs Affectiones Hystericas, Hypocondriacas & Maniam: hinc barbaris Medicinæ sæculis *Fuga Dæmonum* appellata est: ignarum enim vulgus, dum symptomatum, quæ satis mira quandoque in his Morbis se produnt, rationem reddere non poterat, ea Dæmonibus adscribebat: Medici aliqui aut superstitiosi, aut qui hac fraude ignorantiam suam tegi gaudebant, errorem hunc intertinebant. Vilis hæc secta needum omninò periit.

HYPOCISTIDIS SUCCUS Inspissatus. *Het verdikte Zap van Hypocistis.*

In Turcia, Creta, Gallia Narbonensi &c. paratur, ut Acaciæ Succus, e Planta Parasitica, quæ Cisti Radici accrescit, & hinc *Hypocistis* aliquibus; LINNÆO autem *Asarum Hypocistis* dicitur. Substantiam sistit nigram, splendentem; saporis acidi, amari &

M

magis austeri, quam Acaciæ Succus, a quo præcipuè differt, quod integra ferè Spiritu Vini solvi possit.

Easdem cum Acaciæ Succo vires habet: hinc, si e Mitrhidatio & Theriaca ejeceris, usus vix ullus.

HYSSOPI Folia. *De Bladeren van Ysop.*

JACEÆ, seu VIOLÆ TRICOLORIS Folia: *De Bladeren van Penséekens.*

Vocatur etiam *Herba Trinitatis.* Vis demulcens refrigerans ei adscribitur. Infusum Foliorum nuper, tamquam Remedium Specificum, commendatum est adversùs Crustas Lacteas & Tineam Infantum. Jam a longo tempore laudabantur ad eorum Motus Epilepticos: fortè dum a prædictis Eruptionibus repercussis pendent. Tentari meretur.

JACOBÆÆ Folia. *De Bladeren van St. Jacobskruid.*

Ab ignaris ad omnes Anginæ species tam internè, quam externè adhibentur: saporem tamen ingratum, amarum, acrem, adstringentem habent: hinc unicè Tumoribus frigidis & Anginæ serosæ videntur convenire.

JALAPPÆ, seu JALAPII Radix. *Jalap.*

Adfertur e Nova Hispania, & nomen ab ejus Oppido Xalapa, prope quod præcipuè abundat, accepit. Vocatur etiam *Mechoacanna nigra* & *Brionia Indica.* Pertinet ad Plantam Convulvuli speciem, quæ aliquibus *Convolvulus Americanus*; LINNÆO *Mirabilis*; CASP. BAUHINO *Solanum Americanum flore parvo* dicitur. Radix tuberosa, oblonga est instar raparum: recens intus alba est; succum fundit lacteum, & duodecim, imò plures libras ordinariò pondere æquat. Nobis adfertur in taleolas dissecta, fortiter siccata; coloris extus nigricantis, intus albidi, vel pallide flavescentis, cum intermixtis Venis, seu Striis nigricantibus, resinosis: odorem præbet debilem; saporem in gutture subacrem, adversum. Taleolæ

compactæ ſunt, tenaces & candelæ admotæ facilè Flammam concipiunt. His notis, ut etiam colore, a Brioniæ Radicibus, quæ aliquando eis admixtæ repertæ ſunt, facilè diſtingui poſſunt. Aqua dimidium ferè ponderis extrahit; Spiritus Vini Rectificatiſſimus duodecimam circiter partem. Proportio hæc pro diverſa Jalappæ qualitate diverſa eſt. Tinctura Aquoſa debilis eſt, & potiùs per Diureſim, quam per Alvum agit: Spirituoſa addita Aqua grumeſcit, & RESINAM deponit.

Pulvis hujus Radicis familiare & tutum, præcipuè pro ſubjectis pituitoſis, Purgans & Antihelminticum eſt: ut tenacitas reſinoſa imminuatur optimè cum Saccharo tritus præſcribitur. In RESINA vis purgans præſertim hæret: dum mera tamen & in Subſtantia adhibetur, tormina potiùs & alia periculoſa ſymptomata, quam Catharſim producit, quæ mala, quia pertinaciter ſæpius Inteſtinorum parietibus adhæret, longo tempore aliquando protrahuntur. Ut dicta damna evitentur, & Solubilitas juvetur, Sapone, Vitello Ovi, Saccharo, vel Amigdalis ſubigitur, & etiam in Emulſione propinatur: minùs torminoſam ſic & profuſam Catharſim efficit. Bona etiam methodus videtur eam Spiritu Vini ſolvere, & addito aliquo Syrupo exhibere, vel hanc Reſinam, loco Spiritus Vini Rectificati, Spiritu Vini ſimplici parare: ita enim magna Gummi pars extracta & Reſinæ intermixta mitius Medicamentum conſtituit. Sed nonne omnibus his certius erit ab ejus uſu omnino abſtinere, & alia tutiora ſubſtituere? Suum cuique ſtet judicium; ſed ſuademus prudentiam, & ut illi, qui præſcribunt, curent, ut ab ipſis Pharmacopœis parata ſit: quæ enim ab exteris adſertur aliquando Colophonia adulterata inventa eſt.

JAPONICA TERRA, vide CATECHU.

ICHTHYOCOLLA, ſeu COLLA PISCIUM. *Viſchlym.*

Eſt Colla e cute, ventriculo, inteſtinis &c. variarum Acipenſeris Piſcis ſpecierum, præcipuè Huſonis, in Muſcovia excocta, &

evaporatione inſpiſſata. Ante refrigerationem in Membranas tenues diducitur: tum in ſpiras cogitur, & exſiccatur. Optima alba eſt, tenuis, pellucida, & quæ tota Menſtruis Aquoſis ſolvitur.

Uſus præcipuè mechanicus: demulcentem tamen, incraſſantem & obvolventem aquoſis ſoluta Gelatinam præbet, quæ tam introſumpta, quam enematibus admixta, ab aliquibus laudatur in Diarrhæis & Dyſenteriis: ſed cum Gluten Animale ſit, cautè adhibendum eſt, ubi metus putredinis adeſt. Emplaſtra quædam conſolidantia ingreditur.

IMPERATORIÆ Radix. *De Meeſter-Wortel.*

IPECACUANHA. *Ipekuana.*

Duæ ſpecies indiſcriminatim in uſus medicos adhibentur, quæ, quamvis colore & patria differant, probabiliter ad eamdem Plantam, *Violam* ſcilicet *Ipecacuam*, ſeu *Loniceram caule procumbente, repente; foliis obversè ovatis, acutis, ſcabris* LINNÆO dictam pertinent. FUSCA, ſeu NIGRA, e Braſilia allata, Radices ſiſtit parvum digitum longas, lineam & ultra craſſas; variè flexas; rugis circularibus multum prominentibus notatas; coloris extus fuſci, nigricantis; intus albi, vel flavi; odoris nullius; ſaporis leviter amari, ſubacris, nauſeoſi. Corticem habent proportionatè craſſiſſimum, cujus Subſtantia dura, fragilis, reſinoſa eſt, & qui in Meditullio Nervum filiformem, ligneum, fibroſum, tenacem locatum habet. CINEREA, ſeu GRYSEA, Peruviana, Radices exhibet craſſiores, minùs rugoſas & minùs flexas coloris cinerei, vel pallidè fuſci; reliquis dotibus Ipecacuanhæ fuſcæ omnino ſimiles. Adjectis Apocyni Radicibus aliquando adulteratur: fraus e dictis detegi poteſt.

Præter duas has ſpecies, tertia, ALBA ab Authoribus deſcribitur: lignoſa eſt, æqualis, nulla amaritie inſtructa: ad aliam Plantam pertinet, & etiam Viribus a Genuina diverſiſſima eſt.

Circa medium ſæculi præcedentis in uſu eſſe cœpit, & præſertim circa annum 1690. Helvetii Tentaminibus, juſſu & munificentia Ludovici XIV. inſtitutis, celebritatem conſecuta eſt. Vix fallens, promptiſſimè agens, & pro omni ætate tutum Emeticum eſt, quod adeo feliciter Dyſenteriam in variis hujus Morbi Conſtitutionibus Epidemicis curare viſum eſt, ut ſpecificam Vim adverſùs illam poſſidere crederetur: non alio modo tamen effectum in hoc Morbo præſtat, quam fomitem expellendo, motum periſtalticum invertendo, & Perſpirationem, magni momenti in hoc Morbo, promovendo. Ea omnia præ reliquis Emeticis cum majori regularitate, cum minoribus turbis & minori virium jactura, quin primis viis etiam tonum addendo, efficit. Tota Radix in uſus medicos in pulverem redigitur, ſed in ejus Cortice præcipua vis hæret. Ad Scrupulum unum, Dragmam dimidiam, quin imò Dragmam integram ordinariò præſcribitur: conſtat tamen octo vel decem Grana idem omnino præſtare, & Viribus prædictis Doſibus æquivalere: quin imò duo Grana plures etiam Vomitus conſtanter producere multis Obſervationibus Societati Regiæ Medicæ Londinenſi Celeb. Pye probavit. Vide *Medical Obſervations and Inquiries tom. 1. pag.* 240. Extractum Gummoſum ferè iners eſt; Tinctura Spirituoſa omnes Ipecacuanhæ vires poſſidet: ut hinc pateat Vim Emeticam Reſinoſæ parti deberi: cum tamen duo illa Principia tam arctè cohæreant, ut magna pars Reſinæ cum parte gummea Aquoſis Menſtruis extrahatur, bene etiam Dragmæ unius, vel duarum Infuſum Aquoſum adhibetur. Gryſea mitiùs agere, quam Fuſca videtur. Utriuſque Pulvis Effluvia emittit, quæ Lacrymas eliciunt; Tuſſim, Sternutationem excitant, & horrenda Aſthmata produxiſſe viſa ſunt: notabile hujus rei exemplum a Clariss. Scott allatum in Commentariis Medicis Edinburgenſibus anni 1776. proſtat. Effluvia illa ad Principium Activum hujus Medicamenti videntur pertinere; nam Pulvis diu Aëri expoſitus multum de Virtute Emetica deperdit, & eâdem, protractiori Coctione, omnino privatur.

In minuta dosi Sudorifera, Diuretica, Emmenagoga, Alterans est: Fluorem Album & Hæmorrhagias, præsertim Uterinas, sistit.

IRIDIS FLORENTINÆ Radix. *De Wortel van Florentynsche Lisch.*

Pertinet ad Plantam, quæ in hortis nostris ob Florem colitur, sed Italiæ indigena est: appellatur *Iris Illirica* & *Iris Florentina flore albo*: Radicem sistit, quæ, dum e Terra extrahitur, Cortice rubente tegitur: illo orbata ad nos transfertur: pollicem circiter crassa est, paululum compressa, hinc inde tuberosa; extus alba, punctulis fuscis notata; intus alba, vel flavescens: odorem præbet fragrantem, aromaticum, ad Violas Martias accedentem; saporem amaricantem, subacrem, calidum, pertinacem. Vires Aqua; meliùs Spiritu Vini Rectificato extrahuntur.

Recentis succus Vomitum excitans, purgans, & horum effectuum defectu Diureticus dicitur: hinc in curando Hydrope ab aliquibus laudatur. Has vires Exsiccatione, ut etiam Coctione, perdit, & solam retinet vim resolventem. Commendatur præcipuè in Morbis Primarum Viarum ab inerti Muco, & adversùs Affectiones Pituitosas Pectoris. Externè Ulceribus laxis inspersa carnem luxuriantem scribitur reprimere. Ptarmica est, inter Cosmetica numeratur, & ingreditur Dentrificia non solùm ad abstergendas sordes, sed etiam ad Oris fœtorem corrigendum.

IRIDIS NOSTRATIS, seu GERMANICÆ Radix. *De Wortel van Lisch.*

Hæ Radices figuram priorum habent, sed magis rugosæ & minùs compactæ sunt; extus rufæ, intus pallidæ; minùs odoratæ; saporis acris, amaricantis, calidi.

Vires easdem, ac Florentina, possidet: recentis Succus etiam Strumosos curare perhibetur.

JUJUBÆ. *De Jujuben, of Borspruimen.*

Sunt Fructus Arboris in Europa Meridionali crescentis, quæ DODONÆO *Zizyphus*; LINNÆO *Rhamnus Zizyphus* dicitur. Olivæ circiter magnitudinem habent: ut apud nos prostant, exsiccatæ, rugosæ sunt, extus rubræ: Pulpam includunt flavam, dulcem, in qua Officulum reconditur utrimque acutum, quod Nucleum continet extus rubra Cuticula tectum, intus albam Medullam exhibentem.

Decoctis Pectoralibus, Demulcentibus addi solent.

JUNCUS ODORATUS, seu SCHÆNANTHUS. *Welriekende Bies, of Kemelshooi.*

Sub his nominibus prostant Culmi teretes, flavi, aridi, geniculati, pedem circiter longi; aliquot Foliis, Tritici Foliis similibus, arctissimè convolutis tecti; Medulla fungosa, ut Juncus communis, repleti; non raró Floribus suis adhuc instructi, qui nobis e Turcia & Arabia afferuntur; ubi tanta copia proveniunt, ut commune Camelis Pabulum suppeditent, & hinc *Fœnum Camelorum* vocentur: odoris sunt fragrantis, aromatici, mixti veluti e Rosarum & Pulegii odore; saporis acris, amaricantis, leviter balsamici: dotes has, dum recentes sunt, in eminenti gradu possident, sed ætate sensim deperdunt. Parcam quantitatem Olei Odorati largiuntur, & eorum vires optimè Spiritu Vini Rectificato extrahuntur.

In Morbis frigidis & Viscerum Obstructionibus ab hac causa pendentibus commendatur. Vires particulares non possidet: hinc, si e Mithridatio & Theriaca ejeceris, usus vix ullus.

JUNIPERI Baccæ, Lignum, Gummi. *De Beziën, het Hout en de Hars van den Geneverboom.*

Omnes partes aliquid balsamici, terebinthinacei, sed mitioris continent. BACCIS vires resolventes, incidentes, carminativæ &

diureticæ adſcribuntur: Urinam Odore violaceo inficiunt: laudantur ad Hydropem & varia Renum Vitia, ſed nimius uſus non ſolùm viſus eſt Mictum Cruentum, ſed etiam lethalem Diabetem produxiſſe. LIGNI Decoctum adverſùs Scorbutum valere, & multas Guajaci vires poſſidere creditur. Accenſum gratum odorem Atmoſphæræ conciliat, & infectum, gravem Aërem luſtrat: hinc Peſtis aliorumque contagioſorum Morborum tempore id commendatur: idem Baccæ præſtant, & illarum Suffitus præcipuè ad laxas partes roborandas adhibetur. GUMMI, Arabum *Sandaracha*, Balſamum inſpiſſàtum eſt, & potiùs Reſina appellari debet: in Ore enim non liqueſcit, inflammabile eſt, Aquoſis Menſtruis præter levem Amaritiem nihil communicat, & Spiritu Vini Rectificato, ut etiam Terebinthinæ Oleo pro Vernice, ſolubile eſt. Aliarum partium vires ab hac parte pendent: hinc fortè præferri deberet: vix tamen uſum niſi in Suffitibus habet.

KALI Folia. *De Bladeren van Glaskruid.*

Olim ex hac Planta marina ſola Cineres Clavellati conficiebantur, jam e variis Ligni ſpeciebus. Hujus Plantæ Cinerum Sal cryſtalliſabile, ſive per ſe, ſive in unione ſua cum Acidis conſideretur, Salis Alkali Foſſilis dotes poſſidet.

KERMES, ſeu CHERMES Grana. *Kermes.*

Quamvis Foliis & Ramuſculis *Ilicis aculeatæ cocciglandiferæ* CASP. BAUHINI in Hiſpania, Italia & Meridionali Galliæ parte adnata inveniantur, tamen ad Regnum Animale pertinent: Inſectorum enim Nidi ſunt, ſeu Folliculi Ovulis rubentibus pleni, qui expreſſi ſuccum rubentem fundunt. Piſi circiter magnitudinem habent: coloris rubrofuſci ſunt; odoris non ingrati; ſaporis amaricantis, leviter acris. Ante exſiccationem Aceto conſperguntur, ut Ovulorum excluſio præcaveatur, & jam excluſa Animalcula, quæ, dum vires ſinerent, Folliculum vacuum relinquerent, enecentur.

In

In Arte Tinctoria jam indè Veteribus, ſub Cocci *infectorii* & *granorum tinctoriorum* nomine, in uſu videntur fuiſſe: hinc *color coccineus*. In Medicina laudantur tamquam modicè adſtringentia. Vires tam Analepticæ eis ab aliquibus tribuuntur, ut etiam Aphrodiſiaca habeantur. Palpitationibus Cordis Remedio eſſe, Memoriam roborare, Partum juvare & Abortum præcavere ſcribuntur. Maxima harum Virium pars Fabulis innixa, & accedente Obſervatione facilè evertenda videtur.

LABDANUM. *Labdanum.*

Eſt Subſtantia reſinoſa, quæ in Græcia, Candia aliiſque Archipelagi Inſulis e foliis & caulibus Fruticis, qui *Ciſtus Ladanifera cretica flore purpureo* a Tournefortio vocatur, exſudat. Barbis Caprarum & Hircorum, qui inter hos Frutices gramine veſcuntur, adhæreſcit, & ex illis pectine omne olim colligebatur: hinc *Labdanum de Barba* dicebatur. Jam Teſte oculari Tournefortio virgam e pluribus loris coriaceis factam verberando Plantæ adfricant; dein Labdanum Viſcoſitate ſua adhærens ſeparant. Authores duas præcipuè ſpecies deſcribunt: prior, quæ purior eſt & rarò in Officinis proſtat, coloris eſt nigricantis, conſiſtentiæ mollis, inter digitos lenteſcens & inſtar Picis ductilis; odoris aromatici, fragrantis; ſaporis amari, acris. Poſterior, quæ paſſim ad nos adfertur, in ſpiras Cereorum inſtar contorta proſtat: durior, minùs nigricans eſt; odoris multò debilioris, & ordinariò magnam quantitatem Arenæ nigræ aliaque heterogenea a Collectoribus ad augendum pondus admixta habet. Subſtantia hæc inflammabilis eſt, & accenſa gratum odorem, ad Ambram gryſeam aliqualiter accedentem, ſpirat: ferè tota ſolvitur Spiritu Vini Rectificato, relicta octava circiter parte gummea, inſipida: ut ſic pura reſina obtineri poſſit. Oleum Odoratum Diſtillatione largitur.

Veteribus adverſùs Defluxum Capillorum, Tuſſes inveteratas & Diarrhæas in uſu fuit: apud nos, niſi in ſuffitibus, ad partes laxas

roborandas & Emplastris resolventibus, roborantibus, nervinis, vix adhibetur.

LAC. *Melk.*

Est vera Emulsio, quæ ex Alimentis & Potulentis ope Viscerum Chylopoëticorum elaboratur, & dein in Animalis, ad quod pertinet, uberibus secernitur. Dum desumitur ex Animali proprio Alimento nutrito, candidus, blandus liquor est; nec acidus, nec alkalinus; odoris levis, proprii; saporis grati, leviter saccharini. Homogeneum primo aspectu videtur; tribus tamen inter se omnino diversis constat partibus. Butyrum scilicet notam, oleosam, blandam indolem possidens, ope Mucilaginis, seu Caseosæ partis, ut in Arte factis Emulsionibus evenit, in Sero divisum & suspensum tenetur. Facilè & variis causis hæ partes ab invicem secedunt, & Lac alteratur. Solà enim morâ Particulæ Butyraceæ, utpote leviores, sub Cremoris nomine superficiem petunt, & dum diutiùs sibi relinquitur Lac, præcipuè accedente calore, speciem Fermentationis Acidæ subit, & coagulatur. Admixtione parvæ quantitatis cujusvis Acidi; Alkali tam Volatilis, quam Fixi; plurium Vegetabilium in neutram partem manifestè tendentium; ut etiam Spiritus Vini Rectificati eamdem mutationem promptissimè patitur. Tum Butyracea Pars cum Caseosa simul Coagulum efficiunt, quod pro diverso Animali, e quo Lac desumitur, quantitate diversum esse illico monstrabimus. Interim notari meretur Coagulum Acidis obtentum additis Alkalinis, vel Aqua Calcis pro magna parte denuo resolvi; ut etiam Alkalinis obtentum addito Acido, & dispositionem illam Lactis, qua in Coagulationem tam proclive est, additis Salibus Neutris, vel Saccharo multum minui.

Ablato Coagulo, quocumque addito id productum fuerit, Serum seorsim obtinetur, quod, cum contineat quidquid in Lacte existit, quod Aquoso Menstruo solvi potest, chemicè considerari meretur. Ad dimidium itaque leni Evaporatione redactum, sapore dulci &

leviter ſalſo Subſtantiam Extractivam prodit, quæ omni dote indolem Succorum Saccharinorum poſſidet. Ob hanc Serum Lactis Fermentationis Spirituoſæ capax eſt: ut etiam ex illo Vini ſpeciem parare Tartariæ Incolæ ſcribantur. Continuata Evaporatione, donec tres quartæ partes circiter ablatæ ſint; ſeu, quod exactius eſt, reliquo ad conſiſtentiam Syrupi redacto & refrigerato, Cryſtalli formantur rufi, verum Sal Eſſentiale, ob ſaporem SACCHARUM LACTIS dictum, quod purificatum, ſaporem & colorem, quos a Subſtantia Extractiva tantùm mutuaverat, penitus amittit, & Examini Chemico ſubjectum eaſdem dotes, ac Saccharum Candum exhibet.

Lac e diverſis Animalibus deſumptum diverſum ſe præbet non ſolùm ratione ſaporis, ſed etiam ratione Principiorum. Experimenta CELEBERRIMI RUTTY circa hanc rem ſtatuunt ſequentia.

1°. Lac Fœminæ - -	a reliquis diſtinguuntur dulcedine ſaccharina: nam
Aſinæ - -	
Equæ - -	

2°. Fœminæ -	Præbuit Salis	duplo majorem quantitatem quam Lac Vaccinum.
Aſinæ - -		plus quam triplam quantitatem quam Lac Vaccinum.
Equæ - -		triplo majorem quantitatem quam Lac Vaccinum.
Capræ - -		minus quam Lac Vaccinum, ſcil: ut 108. ad 152.
Ovis - - - -		quantitatem omnium longè minimam.

3°. Fœminæ - -	Præbuit Cremoris	vix $\frac{1}{3}$ Lactis Vaccini.
Aſinæ - -		dimidiam partem Cremoris Lactis Vaccini.
Equæ - -		infra dimidiam partem Cremoris Lactis Vaccini.
Capræ - -		triplo majorem quantitatem quam Lac Vaccinum.
Ovis - - -		quantitatem plus quam triplo majorem quam Lac Vaccinum.

4°. Fœminæ -	Præbuit Partis Caſeoſæ	infra unam ſextam Craſſamenti Lactis Vaccini.
Aſinæ - -		dimidiam partem Craſſamenti Lactis Vaccini.
Equæ - -		unam tertiam Craſſamenti Lactis Vaccini.
Capræ - -		Craſſamentum ſe habuit ad Craſſamentum Lactis Vaccini ut 3. ad 2.
Ovis - - - -		duplo majorem quantitatem quam Lac Vaccinum.

Si tentamina hæc repetiturus differentiam aliquam in Productis inveniat, minùs mirari debet: nam ejuſdem etiam Animalis Lac diverſo tempore obtentum pro Conſtitutione Corporis, diſtantia a paſtu, & præcipuè pro Aſſumptis diverſum eſt. Nutricum Morbis & Animi Pathematibus Lac variè alterari quotidiana Experientia evincit. Quod primum a paſtu in Mammis colligitur crudum eſt, & ingeſtorum Naturam adeo retinet, ut etiam eorum odorem, ſaporem & Vires Medicas adhuc poſſideat. Quod duodecim horis poſt obtinetur, tenue, flaveſcens eſt, fœtorem urinoſum ſpirat,

& totum ferè jam animale est. Quod intermedio tempore ducitur media gaudet indole, & optimum est. Capræ Absynthio pastæ Lac amarum præbuerunt: Scammoneo & Tithymalis nutritæ purgans. Hoc ultimum de industria quandoque imitamur, dum, ut ubera capienti Infantulo Alvum moveamus, Nutrici Purgans præscribimus. Quin ex his omnibus Observatis ad tollendum Luem Veneream, Scorbutum aliosque Morbos tam Nutricum quam Caprarum Lac Specificis Remediis imbuere, & medicatum reddere ab aliquibus excogitatum est.

Lac, præterquam quod materno non solum Homo sed plura alia etiam Animalia neo-nata nutriantur & crescant, donec digerendis cibis suæ speciei propriis apta sint, inter res cibarias primum locum tenet. Ejus indoles, usus ad quem a Natura destinatus est & Experientia probant Alimentum esse levissimum, saluberrimum; præstantissimum; quo solo integræ gentes vixerunt, & aliqui ad provectissimam & felicissimam senectutem pervenerunt. In hunc usum passim Vaccinum, quia facilè & in magna copia obtineri potest, adhibetur; cum tamen alimentariæ Lactis partes sint butyracea & caseosa, ex iis quæ supra de ejus Productis diximus, Ovile & Caprinum magis alere debet concludi.

In Medicina duplici præsertim scopo præscribitur: dum enim Digestionis organa a quacumque causa adeo debilia sunt, ut non sufficiant Nutrimento e Cibis parando, optimè ad hunc Liquorem jam ad Nutritionem a Natura paratum, & qui Viscerum actione vix ampliùs indiget, recurritur. Apud celeberrimos Observatores hinc indè videri potest multos Venere, Tabe, Marasmo exhaustos, & jam Morti addictos hoc solo, missis aliis, vel integrè fuisse restitutos, vel saltem tam emendatos, ut Vitam deinceps tolerabiliorem multùm protraherent. In hoc casu, utpote naturæ nostræ magis analogum, reliquis præfertur Lac Fœminæ sanæ, florentis ætatis, salubri motu corpus exercentis, & victu laudabili utentis. Ab ipso

Ægro e Nutricis Mammis, quatuor vel quinque horis post ejus pastum, duci debet; vel in vasculis bene clausis servatum protinus ebibi; ne spirituoso, volatili, restaurante Principio, quod Lac continere multæ rationes & authoritates suadent, privetur. Defectu Fœminini Asininum, Fœminino dotibus proximum, substitui potest. Ob majorem partem saccharinam hæc duo in universum præferri debent, dum Medici scopus simul est detergere & aperire.

Ob particulas oleosas & mucilaginosas, quibus blandam Emulsionem constituit, altero scopo præscribitur adversùs omnem Acrimoniam, excepta Acida, tamquam præstantissimum obvolvens, incrassans & demulcens Remedium. Ex illis, quæ de principiis Lactis diversorum Animalium supra diximus, intelligi potest, huic intento Caprinum & Vaccinum meliùs reliquis satisfacere. Largo Vaccini usu acerrima etiam Venena obvolvi & innoxia reddi multiplici constat Experientia: ut hinc concludi possit, quam efficax in sanandis Morbis ab acribus humoribus Medicina esse debeat, dum, Diæta utentes Lactea dicta, illo solo, adjecto ad summum pane, tamquam Alimento & Medicamento, per plures menses, imò annos, vescuntur ægri: hinc etiam Podagram rebellem, Rheumatismum, Morbos Cutaneos pertinaces, Tussim chronicam, Hæmopthisim, Morbos Spasmodicos, Ulcera interna aliosque Morbos ab Acri pendentes sæpiùs vel penitus curavit, vel saltem multùm emendavit. Sed cum sub tali vitæ regimine primæ viæ debilitentur, & solida digerere quasi desuescant, hinc non raró, si ad pristinam Diætam Ægri redeunt, graviores recidivas experiri solent, nisi particulari cura roborante huic incommodo provideatur.

Si debilis Ventriculus Lactis usum non ferat, exstimuletur grato aliquo Aromate; decocto Aquoso Corticis Peruviani: vel Lac diluatur Aqua Hordei, Selterana &c. aut demum ex alio Animali desumptum tentetur. Cum tam facilè coaguletur, sub ejus usu abstinendum ab Acidis. Coagulum multùm præcavetur addito Saccharo, Vitello Ovi, Sale Neutro vel Absorbente. Præsens Coagu-

lum demonſtrant Ructus, Cardialgia, Preſſiones Ventriculi, Vomitus. Sæpiùs, ubi etiam bene fertur, duos omnino oppoſitos effectus ſolet producere: vel enim alvum adſtringit vel laxiorem reddit: in priori caſu Rheum; in altero roborans commendatur. Ejus uſum diſſuadent Febris fortior, Viſcerum Abdominalium Obſtructio, plethora &c. his, ob Vires Detergentes, Reſolventes, Refrigerantes & Diluentes, SERUM meliùs convenit.

Externè fomenta, Cataplaſmata, Balnea, Enemata, emolliendi ergò, ingreditur.

LACCA, ſeu GUMMI LACCÆ. *Gomlac.*

Eſt Subſtantia dura, obſcurè rubra, ferè inodora; ſaporis reſinoſi, amaricantis, ſubadſtringentis, quæ Ramulis, ſeu Bacillis accreta nobis ex India Orientali adfertur. Olim credita eſt ſtillare ex Arbore, quæ *Jujuba Medica*; aliis *Ber* vel *Bar Indica*, *Fructu Jujubino* dicitur: jam certò ſcitur Formicarum alatarum, rubrarum ſpeciem hanc Materiam in Plantis jam paratam colligere, vel in Stomacho ſuo, ut Apes Ceram, elaborare, & dein Arboris Ramulis, ut etiam Baculis ab Incolis de induſtria in terram defixis, pro conſtruendis Cellulis uniformibus, in quibus Ova deponant, agglutinare. Ova hæc excluſa mutantur in Chryſalides rubras, quæ ſuis exuviis habitacula ſua colore rubro tingunt. Materia tingens conſequenter animalis eſt, & tam Aqua, quam Spiritu Vini in Artis Tinctoriæ uſus extrahi poteſt. Cæterùm Lacca liquabilis eſt, inflammabilis, & accenſa odorem ſpirat primò gratum, poſt animalem, fœtidum. Aquâ nullatenus ſolvitur: adeoque perperam Gummi vocatur. Cera quidem origine & principiis videtur; ſed ab ea differt duritie, & præcipuè quod Oleis ſolvi nequeat. Ob eamdem rationem Reſina dici nequit: quamvis integra ferè Spiritu Vini Rectificato ſolvatur. Ut hinc pateat ſingularem & nulli præciſè claſſi annumerandam Subſtantiam eſſe. Alkalina magnam vim in eam habent, & Spiritus Salis Ammoniaci, ut etiam Spiritus Cocleariæ, ope Aluminis, Tincturam fortem, rubicundam extrahit.

Præter nativam hanc & primordialem Laccam *in Ramulis* feu *Baculis* dictam, duæ adhuc fpecies adferuntur. Prior, *in granis* dicta, grana exhibet parva, irregularia, in Igne in Carbonem abeuntia, non fundenda. Adeoque a genuina Lacca omnino diftincta videtur, quamvis paffim credatur ex ea parari. Altera *in tabulis* omni dote videtur nativa fufa & Materia Coloranti privata.

Lacca *in baculis* rarò internè adhibetur: externè Fumigationibus, Dentrificiis, roborandis gingivis in fcorbuto oris; *in granis* Vernici; *in tabulis* conficiendæ Laccæ Sigillatoriæ infervit.

LACTUCÆ Folia & Semen. *De Bladeren en Zaaden van Tuinlatuw.*

LAMII ALBI Flores. *De Bloemen van doove Netel.*

LAPATHI *Folio acuto, plano*, feu OXYLAPATHI DODONÆI Folia & Radix. *De Wortel en Bladeren van Patientie met lange, fmalle, fcherp gepunte, effen Bladeren.*

LAPATHI AQUATICI, feu HYDROLAPATHI Folia & Radix. *De Bladeren en Wortel van groote Water-Patientie.*

Plures Lapathi fpecies dantur, quæ omnes congeneres funt, & iifdem ferè virtuubus medicis gaudent. Omnium Folia plùs minùs acida funt: Radices faporis amari, plùs minùs adftringentis. Omnes incidentes, aperientes funt, & in majori dofi purgant. Pro omnibus duæ fpecies fupra nominatæ paffim in ufu funt. Laudantur adverfùs Scorbutum & præcipuè adverfùs Icterum. Lotio, Fotus, Unguentum e Radicibus paratum externè tutò in Scabie, Serpigine aliifque Morbis Cutaneis adhiberi poteft, & plerumque profuit; præcipuè fi eodem tempore earumdem Decoctum bibatur.

LAVENDULÆ Herba & Flores. *De Bladeren en Bloemen van Lavendel.*

Duæ fpecies dantur; una *minor, anguftifolia*; altera *major, latifolia*, quæ indifcriminatim in Officinis proftant, & in ufus medicos adhibentur.

adhibentur. Prior odoris mitioris, ſuavioris eſt: poſterior triplo majorem quantitatem Olei Eſſentialis, ſpecificè gravioris & calidioris, quam prior, continet. Hinc e ſola poſteriori in calidioribus Regionibus, Lavendulæ patriis, hoc Oleum diſtillatur ſub Olei Spicæ nomine, quod ſemper Oleo Terebinthinæ, Spiritu Vini aliiſque adulteratum ad nos transfertur.

Vires Foliorum & præcipuè Florum calidæ, ſtimulantes, nervinæ & præſertim cephalicæ ſunt. Laudantur tam externè, quam internè in Vertigine, Memoriæ Debilitate, Paralyſi aliiſque Morbis a laxitate Solidorum & cauſa pituitoſa, frigida pendentibus. Oleum Eſſentiale Tineas e veſtibus arcet, & Pediculos Inguinales necat.

LAURI Folia & Baccæ. *De Bladeren en Beziën van den Laurierboom.*

LENTIS VULGARIS Semen. *De Zaaden van Linzen.*

LEPIDII Folia & Radix. *De Bladeren en Wortel van gemeene breede Ditander, Peperkruid, of arme Lieden Peper.*

Folia, & magis adhuc Radix, ſaporis ſunt acerrimi, calidiſſimi, a ſapore Piperis non multùm abſimilis, ſed citiùs evanidi. Odor ad Naſturtium & Raphanum Ruſticanum accedit. Dum maſticantur Salivam copioſè eliciunt. Vires tam Aqua, quam Spiritu Vini Rectificato extrahuntur, cum utroque in Diſtillatione elevantur, & Exſiccatione pereunt.

Extus Veſicans eſt, & tamquam tale in Dolore Iſchiadico laudatur. Intus ob nimiam Acredinem Ventriculum urit, & damna minatur: hinc vix in uſu eſt. Videtur tamen ob dictas dotes tentamina mereri: præſertim cum Acredo Acidis corrigi, vel exſiccatione, ut & coctione, minui poſſit. Scribitur, & perſpecta natura, admodum credibile eſt, potenter Cruditatem Glutinoſam corrigere, Appetitum excitare, Urinas & Sudores movere, & adverſùs Scorbutum Frigidum egregium eſſe Remedium.

LEUCOJI LUTEI, ſeu CHEIRI Flores. *Muurbloemen.*

LEVISTICI Radix & Semen. *De Wortel en Zaaden van Lavas.*

LICHEN CANINUS, ſeu CINEREUS TERRESTRIS. *Aſchkleurig Aard-Leverkruid.*

Muſcus hic diſtinguitur foliis magnis, latis, ſinuatis, quorum Margines deorſum flectuntur: ſupernè glabra ſunt; infernè venoſo textu notantur, tenuiſſima Lanugine obducuntur, & Fibrillas emittunt, quibus Terræ adhærent. Coloris ſunt cinerei, vel cinereo-glauci; odoris non particularis; ſaporis mucidi, faſtidioſi.

Hæc Planta adverſùs Rabiem Caninam apud Anglos magnam famam conſecuta eſt. Primus CELEB. MOREY anno 1679. Obſervationes, quæ has vires ſtabilirent, Societati Londinenſi impertiit. CELEB. DAMPIER poſtea Diſſertatiunculam in Transactionibus Philoſophicis No. 237. inveniendam de exemio effectu Pulveris ex partibus æqualibus Foliorum Lichenis Canini & Piperis conſcripſit. His Calculum ſuum adjecit, & non immeritam laudem eſſe aſſeruit CELEB. MEAD. Hinc Mixtum hoc tamquam Specificum adverſùs Hydrophobiam ſub *Pulveris Antilyſſi* nomine in Pharmacopœa Londinenſi anno 1721. locum obtinuit &, dimidiata Piperis doſi, in ultima hujus operis editione adhuc retinet. Præſcribitur dragma & dimidia in Libra Lactis Vaccini quatuor diebus ſubſequentibus manè jejuno Stomacho aſſumenda. Sæpiùs fefelliſſe, adeoque pompoſis his encomiis & titulis non fidendum eſſe CELEB. BOERHAAVII aliorumque authoritate conſtat.

LICHEN ISLANDICUS. *Yſlandſche Mos.*

Eſt Lichenis ſpecies CORDO primùm obſervata, eique *Muſcus Criſpæ Lactucæ ſimilis* dicta. Radicem habet nullam, ſed ima Frondium extremitate Terræ, Lapidibus aliiſve Muſcis adhæret. Frondes habet variæ parum latitudinis; coloris e viridi fuſceſcentis,

ſubtùs pallidioris; tres quatuorve digitos transverſos altas, erectas, baſi rubras, laciniatas, margine ſpinulis ciliato. His notis præcipuè ab aliis Lichenis ſpeciebus differt. Creſcit tam copiosè in Iſlandia, ut ab hac Inſula denominetur : abundat tamen etiam in Groenlandia, Norvegia, Finlandia, Ruſſia & omni Septemtrionali Orbis Terrarum Regione. Odorem ſpargit nullum, præter fungoſum, quem cum aliis Lichenibus communem habet : ſaporem præbet amarum, tam Aqua quam Spiritu Vini Rectificato extrahendum. Decoctum aquoſum gelatinoſum eſt. Martiales Particulas hujus Lichenis mixtionem perpetuò ingredi Examen Chemicum probabile reddit.

Uſus hujus Plantæ apud Iſlandos aliaſque gentes ſeptemtrionales præcipuè alimentarius eſt. In hunc finem Lichenem per unum alterumve diem in Aqua pro extrahenda amaritie macerant & dein conciſum, vel in Aquâ vel in Lacte, in pultem gelatinoſam coquunt. Ita cibum ſapidum, ſalubrem, facilis digeſtionis, ut etiam a Phthiſicis optimè ſubigatur, & tam nutrientem, ut illo ſolo Operarii vivere poſſint, ſcribitur efficere. Vires Medicæ ei attribuuntur præſertim Roborantes & Obvolventes, in Tuſſi, Hæmoptyſi, Phthiſi incipiente aliiſque morbis Pectoris a laxitate Pulmonum, vel Acri irritante pendentibus, utiliſſimæ. Antiſepticum creditur Cortice Peruviano non multùm inferius, & laudatur in Dyſenteria tamquam tutiſſimum Obvolvens, quod præ aliis Mucilaginibus, educto fomite, inteſtina pulchrè roborat. Decoctum in Aqua, vel, quod minus ingratum eſt, in Lacte ordinariò adhibetur. Ex partibus æqualibus Lichenis & Sacchari eadem methodo, qua Paſta Althææ, Paſta ex eo confici poteſt gratiſſima. Si ejus unciæ duæ coquantur in Aquæ communis unciis viginti quatuor ad uncias ſex, & Colaturæ addatur Sacchari albi libra, ſpecies Syrupi Gelatinæ pellucidæ conſiſtentiam habens exſurgit. Utrumlibet Præparatum delicatulis, amaritiem aſpernantibus, decocto ſubſtitui poteſt.

LICHEN PULMONARIUS, ſeu PULMONARIA ARBOREA. *Longermos.*

Hic Muſcus majoribus Arboribus, Fagis præcipuè & Quercubus, adhæret. Folia habet variè laciniata, flavicantia, veſiculis eminentibus, quibus in altera facie totidem foveæ reſpondent, notata. Saporis eſt ſalſi, leviter amari; odoris nullius.

Adversùs Tuſſim alioſque Pectoris Morbos laudatur. In curando Ictero pertinaci videtur quandoque efficacem ſe præſtitiſſe: hinc vires, ſi quas poſſidet, reſolventes habet.

LIGNUM ALOES, ſeu AGALLOCHUM. *Hout van Aloë.*

Plures ſpecies hujus Ligni apud Hiſtoriæ Naturalis Scriptores recenſentur: præſtantiſſima, Indorum *Calambac*, ſeu *Tambac*, ſub dente inſtar Ceræ mollis eſt, & in Igne tota funditur: adeoque potiùs Arboris Reſina, quam Lignum credi debet. Ab Indigenis pro Odoramentis in deliciis habetur & magno pretio venditur; ut rariſſimè ad nos deveniat. Quod ſub hoc nomine ex India Orientali ad nos transfertur, fruſta lignea exhibet variæ magnitudinis, ponderoſa, dura & texturæ admodum denſæ; coloris ferruginei, cum intermixtis venis & foraminibus nigricantibus, reſinoſis; odoris levis, non ingrati, balſamici; præcipuè ſi fricentur, aut igni admoveantur; ſaporis acris, amaricantis, aromatici. Vires optimè Spiritu Vini Rectificato extrahuntur. Parcam quantitatem Olei Odorati Diſtillatione largitur. Ad quam Arborem pertineat, & utrum communem cum Indorum *Calambac* originem habeat ignoratur.

Vires medicæ Roborantes, Nervinæ, Cephalicæ, Cardiacæ ſunt; non ſatis tentatæ.

LIGNUM QUASSI, ſeu QUASSIÆ. *Quaſſihout, of bitter Hout van Surinam.*

Ita appellantur fruſta Radicis variæ longitudinis & craſſitiéi e Surinamo allata. Lignum præbent coloris flavicantis; odoris nul-

lius; ſaporis amariſſimi, non ingrati, quod tegitur Cortice tenui, gryſeo, intus albicante, ad Simaroubam accedente. Vires tam Aqua, quam Spiritu Vini Rectificato extrahuntur.

Hoc Medicamentum, quod a paucis annis notum hic in uſu eſſe cœpit, Surinami adversùs Febres Putridas adhiberi ſolebat. In Europam allatum & tentamini ſubjectum Tonicum aliquibus ſe præbuit præſtantiſſimum, quod præſertim in roborando Ventriculo ipſum etiam Peruvianum Corticem antecelleret: vi antiſeptica tamen & febrifuga illo multò eſſet inferius. Laudatum eſt ab aliquibus in ſudoribus nocturnis Hecticorum, Salivatione nimia, Diarrhæa colliquativa, in Hydrope, Podagra retropulſa & tamquam Antihelminticum. Optimè præſcribitur Infuſum Aquoſum, amariſſimum.

LIGNUM RHODIUM. *Roozenhout.*

Ex Inſulis Canarienſibus, Rhodo, Cypro aliiſque Regionibus ſub hoc nomine adfertur Radix lignoſa, ponderoſa, in aqua ſubſidens, contorta; nodis duris, reſinoſis, intus flavis obſita; ſaporis amaricantis, ſubacris; odoris grati, roſei, quem tam Aquoſis quam Spirituoſis Menſtruis impertit. Diſtillatione largitur parcam quantitatem Olei Eſſentialis fragrantiſſimi, quod pro Odoramentis in pretio eſt, & ob quod hoc Lignum in uſu.

Omnia quæ ad hujus Ligni Hiſtoriam Naturalem pertinent confuſa & incerta ſunt: aliquibus Authoribus cum Veterum *Aſphalto* confunditur; aliis planè differt.

LILII ALBI Radix & Flores. *De Wortel en Bloemen van witte Lelie.*

LILII CONVALLIUM Flores. *De Bloemen van Mey-Leliën, of Leliën van de Dalen.*

LIMONUM Succus & Cortex. *Het Sap en de Schil van Limoenen*

LINARIÆ Folia. *De Bladeren van Vlaskruid.*

LINGUÆ CERVINÆ Folia. *De Bladeren van Hartstongen.*

LINI VULGARIS Semen. *Lynzaad, Vlaszaad.*

Maceratione in Aqua calida Mucilaginem & per expressionem multum Olei in usus medicos suppeditat. Prius obvolvendi ergo adhibetur: posterius non facilè rancescit; cito in Aëre siccatur; addito Spiritu Nitri concentrato flammam concipit, & cum Alkalinis fixis in solidum saponem non coit. Ad uncias quatuor vel sex ab aliquibus in Pleuritide ad leniendum dolorem & sputa promovendum commendatur. Præterea ad magnam dosim assumptum in pertinacissimis Alvi Obstructionibus & Colica Nephritica præstans Remedium constituit.

LITHARGYRUS. *Litharge, Zilver-Glit, Goud-Glit.*

Est Calx Plumbi plus minus vitrificata. Omnis, qui ad nos transfertur, exsurgit e Cupellatione Metallorum nobiliorum Plumbi intermedio. Constat squammis plus minus pallidis, vel rutilis: in priori casu *Lithargyrus Argenti;* in posteriori *Auri*, ridicula denominatione, dictus est: dum tota differentia a majori, vel minori Ignis & Vitrificationis gradu pendet. Facilè in Plumbum reduci potest. Ferè semper Metalla ignobiliora, quæ nobilioribus mixta erant, Cuprum præcipuè, continet: ut hinc pateat pro parando Extracto Saturni, Gallorum exemplo, melius Plumbum, quam Lithargyrium adhiberi.

Usus externus in Emplastris & Unguentis. Refrigerat, siccat.

LOPEZIANA Radix. *Lopeziaene Wortel.*

Ita a nobis appellatur, quia Lusitanis *Rais di Juan Lopez*, a primo verosimiliter illius Nationis, qui vires ejus medicas detexit, dicitur. Radicem sistit unum, duos pollices & ultra crassam, lignosam, siccam, levem; nullius ferè saporis, aut odoris. Sub-

ſtantiam habet verſùs Medullam duriorem, ex albo ſubruſam; verſùs Corticem ſpongioſiorem & pallidiorem. Ipſe Cortex rudis eſt, rugoſus, fuſcus, ſat craſſus, mollis, quaſi tomentoſus, tenui Cuticula pallidiore extrinſecus obductus. Facilè Carie exeditur. Ex India Orientali adfertur: ſed ad quam Arborem pertineat non ſolùm hactenus ignoratur; ſed etiam necdum cònſtat de loco ejus natali: aliqui enim in Inſula Malacca creſcere aſſerunt, dum alii Goæ indigenam eſſe, & hinc in dictam Inſulam deferri tantùm, contendunt.

Indi adversùs Diarrhæas, Febres & Convulſiones adhibent. Celeberrimus Gaubius, qui omnium primus in Europa ejus uſum tentavit, & in *adverſariis varii argumenti* deſcripſit, poſt inſtitutam Analyſim fatetur ſe non potuiſſe expiſcari quomodo, aut quo principio hæc Radix operetur; ſed aſſerit interim eam in domandis & ſiſtendis quibuslibet Ventris Profluviis habitualibus eximiam ſeſe præſtare, & præcipuè in colliquativa Phthiſicorum Diarrhæa tam promptam adferre opem, ut omnibus aliis remediis facilè palmam præripiat. Quin imò caſum ei a clariſſimo de Monchy communicatum adfert, in quo homo Tabe Pulmonali laborans & jam Diarrhæa aphthoſa affectus hoc Medicamento tam bene ſe habuerit, ut non ſolùm alvus illico comprimeretur, ſed etiam Aphtæ evaneſcerent, & æger præter expectationem octiduo poſt a morbo ſuo revaleſceret, etiam poſt expletum annum integerrima fruens ſanitate.

Præſcribitur in Pulvere ad dragmam dimidiam pluries de die, vel, ut Indis mos eſt, ſuper Porphyrite trita, lævigata & in pulticulam redacta. Tinctura Spiritu Vini Simplici parata omnes Radicis vires videtur retinere.

LUCII PISCIS MANDIBULA. *Het Kaekbeen van den Snoek.*

Quamvis omnia hujus Piſcis Oſſicula eaſdem vires videantur poſſidere, Mandibula tamen inferior præſertim in uſu eſſe con-

ſuevit. Laudata eſt non ſolùm in Calculo & Fluore albo, ſed etiam tamquam Specificum adverſùs Pleuritidem. In uſum ducta videtur ab aſſeclis Syſtematis HELMONTII Spinam Pleuriticam, ſeu Acidum hoſtile Pleuræ & locis intercoſtalibus infixum accuſantis. Iners & innocuum Remedium eſt: hinc Ægris, vel Medicis fiduciam in eo ponentibus, notante SWIETENIO, facilè concedi poteſt: modo interim non negligantur efficaciora Auxilia, quibus ſolis in cura periculoſi hujus Morbi confidere poſſumus.

LUMBRICI TERRESTRES. *Aardwurmen.*

Saporem habent mucilaginoſum, ſubſalſum, nauſeoſum. Acidum ex iis diſtillari GEOFFROY teſtatur: ſed id Terræ in eorum inteſtinis contentæ deberi judicat ALSTON, & probabile eſt.

Jam a GALENI temporibus in uſu erant. Vino lavantur, purgantur, ſiccantur. Eorum ſuccus vel pulvis internè anodinas, diureticas, antiſpaſmodicas, reſolventes, diſcutientes, in Podagricis & Arthriticis Affectionibus præcipuè utiles vires poſſidere perhibetur. Externè tamquam excellens Traumaticum laudantur. Quibus fidis Obſervatis omnia hæc Encomia fulta ſint planè ignoramus. Noſtrates Mulierculæ in Angina aliiſque Morbis, variis locis ſub Cataplaſmatis forma applicant; in eum finem, ut peculiari vi, qua illos pollere credunt, ſic dictam illis Morbi Malignitatem attrahant. Optimè id effectum exiſtimant, dum calore loci neceſſariò putrefacti peſſimum fœtorem ſpargunt.

LUPULUS. *Hop.*

Turiones, ſeu Stolones hujus Plantæ ad rem cibariam pertinent. Flores, ſeu Strobuli e ſquammis flaveſcentibus uni communi axi affixis facti conficiendæ Cereviſiæ, cujus viſciditatem tollunt & aciditatem præcavent, adhibentur. Saporis ſunt amari, balſamici, odorem præbent aromaticum, gravem, qui caput obnubilat & vertiginem inducit. Ob has vires ab aliquibus pro conciliando ſomno

ſub

ſub pulvinari ponuntur. Raro in Medicina adhiberi ſolent: ſcribuntur tamen internè Viſcera egregiè deobſtruere; Urinam & Menſes ciere; Acidum corrigere & in Malo Hypocondriaco, Ictero, Scorbuto frigido, nec non Febre intermittente egregium eſſe Remedium. Externè diſcutiunt, roborant, anodini ſunt. SIMON PAULLI horum fotu paroxiſmum podagricum mitigatum vidit.

LYSIMACHIÆ PURPUREÆ Folia & Radix. *De Bladeren en Wortel van Wederik of Jodekruid.*

Salicaria TOURNEFORTIO dicta eſt, aut a ſimili Foliorum figura, aut quia inter Salices paſſim creſcit. Vires non videtur poſſidere a Lutea diverſas, quamvis in uſu ordinariò præferatur. Utriuſque Decoctum addito Sale Martis fit atrum: ut evidenter adſtringant. Ob has dotes jam Veteribus perſpectas commendatur ad quoſcumque Alvi Fluxus & Hæmorrhagias a Laxitate. a Recentioribus tentamini ſubjecta famam ſuſtinuit. Ad dragmam pluries de die præſcribitur. Extus vulneraria eſt.

MACIS. *Foelie.*

Eſt cortex medius Nucis Moſchatæ, ſeu textum reticulare, quod ſub primo carnoſo cortice, putamen lignoſum, in quo dicta Nux continetur, immediatè ambit, & eidem laxè adhæret. Subſtantiam exhibet in lacinias fiſſam, ſeu e laminis anguſtioribus contextam, oleoſam, lentam, veluti membranaceam. Recens nondum diu aëri expoſita, coloris eſt purpurei, elegantis; exſiccata, ut ad nos transfertur, crocei; odoris proprii, fragrantiſſimi; ſaporis aromatici, acris, amaricantis. Diſtillatione olei odoratiſſimi, fugaciſſimi unam quadrageſimam, trigeſimam & ultra ſui ponderis largitur: per expreſſionem verò quintam circiter ſui ponderis partem Olei bruni ad Axungiæ conſiſtentiam accedentis, tenuioris, quam quod e Nuce Moſchata obtinetur. Hoc illi paſſim in Officinis ſubſtitutum

invenitur. Hæ proportiones pro ætate & qualitate hujus Aromatis variant.

Multus Macis pro condimentis ufus. Vires medicas eafdem ac Nux Mofchata poffidet. Eædem a nimio ufu noxæ. Vide NUX MOSCHATA.

MAJORANÆ Folia. *De Bladeren van zoete Marjolein.*

Hæc Herba Europæ Meridionalis indigena in hortis noftris colitur. Odoris eft grati, fragrantis; faporis acriufculi, fubamari, aromatici. Vires Aqua, meliùs Spiritu Vini Rectificato extrahuntur. Olei odorati unam fexagefimam quartam fui ponderis largitur.

Cephalicas, nervinas, uterinas vires poffidet. Extus roborat, difcutit. Errhina eft.

MALVÆ Folia & Flores. *De Bladeren en Bloemen van Maluwe, of Kaasjes-Kruid.*

MANNA. *Manna.*

Subftantia hæc frufta exhibet variæ magnitudinis & figuræ; confiftentiæ pinguis & friabilis; coloris candidi, vel leviter flavefcentis, quodammodo pellucidi; odoris nullius vel debilis, faporis dulcis, faccharini, naufeofi, cum aliqua acredine. In aëre humido liquefcit, rufefcit. Solvitur integrè Aqua. Poft folutionem ad priftinam confiftentiam redacta coloris obfcurioris eft. Solvitur etiam Spiritu Vini, præcipuè adjuvante calore. Debitè exficcata accenditur. Solutio ejus aquofa Fermentationi commiffa Liquorem fpirituofum fuppeditat. Plerifque aliis experimentis Saccharum æmulatur, & revera Sal effentiale Saccharinum continet. Minus tamen Saccharo folubilis eft; ut triplum ferè fui ponderis Aquæ requirat.

In Calabria, Sicilia, Agro Romano aliifque Regionibus fponte vel facto vulnere ftillat e trunco & majoribus ramis variarum

Fraxini ſpecierum. „ A vigeſima die menſis Junii, teſtante Geoffroy, „ ad finem Julii a meridie uſque ad veſperam ſponte fluit liquoris „ limpidi adinſtar, & ſenſim in varios grumos concreſcit, indureſcit „ & albeſcit. Illos poſtridie colligunt cultris ligneis abradendo, „ modò nox ſerena fuerit: pluvia enim aut nebula ſuperveniente, „ Manna colliqueſcit & prorſus deperditur. Collectos grumos in „ vaſculis terreis non vitreatis condunt, deinde ſuper menſas in „ chartis nitidis ſoli exponunt, donec manibus non adhæreant.

Julio deſinente Fraxini ceſſant hanc lacrymam ſponte ſtillare: tunc Ruſtici hujus Arboris Corticem incidunt, & vulneribus feſtucas, paleas & virgas tenuiſſimas inſerunt, ut Succus ſecundùm illa corpora dimanans inſpiſſetur. Ita elegantes lacrymas longiores, cavas, leves, intus veluti ſtriatas, albicantes obtinent, quibus ad nos allatis paleæ adhuc aliaque heterogenea accreta inveniuntur.

Authores Mannam ob diverſam patriam, variam fruſtorum figuram, varium colligendi modum & varias Arboris partes, e quibus obtinetur, multifariè diſtinguunt. His omnibus miſſis ſufficiat dixiſſe duas diverſas ſpecies ad nos adferri; unam ſcilicet in *lacrymis*, *bacillis*, aut *granulis*, albam, ſiccam, levem; ſaporis dulcis, non ingrati: alteram *pinguem* dictam, in grumis, ſeu fruſtis craſſioribus, minùs regularibus, melleam, minùs albam, magis humidam, minùs jucundam, multiſque ſordibus ordinariò inquinatam.

Poſterior hæc plerumque adulterata eſt: mixtum etenim e Melle, Saccharo & parca Scammonei quantitate quandoque pro hac Manna divendi probatum eſt: ut hinc pateat quam perperam plerique hanc ſpeciem, utpote majori vi purgante præditam, præferendam credant. Quo minùs fraus appareat, alii veræ Mannæ dicta additiia in majori vel minori quantitate adjiciunt: quin imò e Manna & Saccharo ſpeciem albam & ſiccam, quæ ignaris pro optima facilè imponeret, conflare norunt. Fraus pondere, conſiſtentia, pelluciditate, & ſapore detegi debet.

Manna mitiſſimum Eccoproticum eſt, quod Infantibus & Gravidis etiam tutò porrigi poteſt. Ob vim ſolventem & demulcentem in Morbis Pectoris & calculo laudatur. Ut flatus præcaveantur, quam unicam noxam aliquando ſolet producere, bene carminativum ei adjicitur.

MARGARITÆ. *Paarlen.*

Sunt corpuſcula plus minùs rotunda, ſplendentia, alba, ſaporis & odoris expertia, e ſtratis ſibi invicem incumbentibus ſacta, quæ in *Matre Perlarum*, ſeu teſta *Mytuli Margaritiferi* inveniuntur. Pro diverſa Patria diſtinguuntur in *Orientales* & *Occidentales.*

Arabes Cardiacas eis ac Alexipharmacas Virtutes adſcribebant, & in Medicinam introduxerunt. Sine præjudicio perſpectâ cauſâ, præter Acidum abſorbendi nullæ jam eis vires relictæ ſunt: quibus cum Lapides Cancrorum aliaque multa, quæ facilè & vili pretio obtineri poſſunt, non ſuperent, Officinis Pharmaceuticis ejectæ Mulieribus pro Ornamentis jam relinquuntur.

MARRUBII ALBI Folia. *De Bladeren van Andoorn.*

Præter vires aromaticas ſatis notas, optimè reſolventes, in Obſtructione, quin imò Scirro Hepatis præcipuè utiles, vires ei attribuuntur. Laudatur præterea in Tuſſi inveterata, Aſthmate aliiſque Morbis pituitoſis Pectoris. Non deſunt, qui in Pulmonum Abſceſſu ſummis laudibus extollûnt.

MARI SYRIACI Folia. *De Bladeren van Syriſche Maſtiek.*

MARI VULGARIS Folia. *De Bladeren van gemeine Maſtiek.*

MARS, vide FERRUM.

MASTYX, ſeu MASTICHE. *Maſtick.*

Eſt Reſina, quæ e Lentiſco, præſertim in Inſula Chio, effluit. Adfertur nobis ſub forma granorum variæ magnitudinis: ſicca eſt,

fragilis, pellucida; coloris pallidi, leviter citrini; odoris proprii; præcipuè calefacta, aut igni injecta, grati; saporis amaricantis, aromatici. Masticata dentibus adhæret, ductilis fit, albescit. Parcam quantitatem Olei Odorati fundit. Præter odorem Aquæ nihil impertit. Solvitur in Oleis & integrè Spiritu Vini Rectificato. Solutio hæc calida est, valde stimulans. Aqua Calcis Tincturam fortem extrahit.

Internè adhibetur tamquam Roborans in Tussi inveterata, Morbis Ventriculi & Fluore albo præcipuè utile. Suffitus in Catharrhis & Ani prolapsu laudatur. Spiritu Vini soluta & super Alutam extensa adversùs Ischiadem commendatur.

MATER PERLARUM, vide MARGARITÆ.

MATRICARIÆ Folia & Flores. *De Bladeren en Bloemen van Moederkruid.*

MECHOACANNÆ ALBÆ Radix. *De Wortel van Mechoacan.*

Mechoacan Americæ Meridionalis Provincia, e qua præsertim adfertur, huic Medicamento nomen dedit. Pertinet ad Plantam Indigenis *Jetucu*; Botanicis quibusdam *Convolvulum Americanum Mechoacan*; aliis *Bryoniam Mechoacannam Albam* dictam. Prostat in taleolas secta & siccata, quæ Jalappæ taleolis plerumque majores sunt. Corticem habet rugosum, gryseum, vel fuscescentem; Substantiam intus albidam, circulis quandoque notatam. Odorem nullum habet. Masticata viscosam se primò præbet & diu insipidam; donec tandem dulcedinem aliquam & levem Acrimoniam prodat. Continet parcam quantitatem Resinæ, quæ Resinæ Jalappæ etiam viribus similis videtur. Vetusta vel diu decocta Vires deperdit. Adjectis Bryoniæ, vel Mandragoræ Radicibus aliquando adulteratur.

Ante cognitam Jalappam, tamquam tutissimum purgans, sub *Rhabarbari Albi* nomine multùm in usu erat. Hodie, quia tardissimè agit & alia plura efficaciora substitui possunt, vix adhibetur.

Infantibus tamen hoc Medicamentem, quia insipidum & tutum, commodè propinari potest.

MEL. *Honing.*

Est Substantia fluida, sed spissioris consistentiæ; coloris albi, vel flavescentis; granulata; saporis dulcissimi, noti; odoris proprii, non ingrati; cui plerumque varius a Vegetabilibus, e quibus hauritur, accedit. Ætate flavescit. Coctione protracta amarescit, & inspissatur in solidam consistentiam. Solvitur Aqua & Spiritu Vini Rectificato. Igne inflammabilis est: ut hinc resinosam cum multa intermixta Mucilagine indolem prodat. Fermentationis Spirituosæ admodum capax est, ut probat HYDROMEL. Omnes ferè Sacchari dotes possidet, & pluribus Experimentis Saccharum Candum Crystallisatum largitur.

Mel mediæ inter Animalem & Vegetabilem naturæ est: Apes etenim id jam paratum e Nectariis omnium Florum, non excepta Aloë & Colocynthide, proboscide hauriunt; primò suo Stomacho condunt, & partim in nutrimentum suum adhibent; dum superfluum in verum Mel probabiliter elaborant, & dein in Favorum Cellulas provido instinctu evomunt, ut Hieme, deficientibus Floribus, esca non deficiat.

Pro ratione Patriæ & Florum, e quibus ab Apibus colligitur, varium est: hinc loca, ubi Rosmarinus aliæque nobiliores Plantæ crescunt, optimum suppeditant, teste *Narbonensi.* Non solùm etenim balsamicum Plantarum odorem, sed etiam saporem & vires medicas adeo retinet, ut ex Absynthio amarum, e Plantis purgantibus purgans, & e venenatis venenatum obtineri pluribus testimoniis perhibeatur. Vernum præterea & æstivum, vigentibus scilicet Floribus obtentum, autumnali præferri debet.

Quod e Favis sponte exstillat *Virgineum* appellatur. Quod ex eisdem eluitur, ecoquitur, vel torculari exprimitur, Cera aliisque

inquinatum, & hinc ad ufus medicos non adhibendum eft. Adjecta Farina aliquando adulteratur. Fraus levi negotio detegi poteft.

Ad culinarios ufus Veteres Mel adhibebant, ubi nos Saccharum. Vires medicas poffidet balfamicas, antifepticas & fummè detergentes: ut hinc etiam Alvum laxet. Mucum tenacem detergendo & incidendo Expectorationem juvat, & optimè adhibetur in variis Morbis Faucium & Pectoris glutinofis. Extus ad digerendos & maturandos Abfceffus a Chirurgis adhibetur. Ulcera detergit. Enematibus laxantibus paffim additur. E Melle ad folidam confiftentiam cocto Suppofitoria fiunt.

MELILOTI Folia & Flores. *De Bladeren en Bloemen van Meliloten, of welriekende Klaver.*

MELISSÆ Folia. *De Bladeren van Meliffe of Citroenkruid.*

MELONUM Semen. *De Zaaden van Meloenen.*

MENTHÆ VULGARIS, feu ANGUSTIFOLIÆ SPICATÆ Folia. *De Bladeren van Munt.*

MENTHÆ AQUATICÆ Folia. *De Bladeren van Watermunt.*

MENTHÆ PIPERITIDIS Folia. *De Bladeren van Pepermunt.*

Hæc omnes Menthæ fpecies omni dote fuperat. Saporem præbet acrem, piperinum, fed fugacem. Simul fenfum frigoris, ut Camphora, in ore & ftomacho exhibet. Vires Aqua & Spiritu Vini Rectificato extrahuntur, & cum eifdem diftillatis elevantur. Oleum Effentiale acerrimum largitur.

In Colica flatulenta, languore & omni affectione frigida primarum viarum promptiffimus, tutus ftimulus & excellens Remedium eft.

Omnes Menthæ externè difcutiunt, roborant; balfamicæ, vulnerariæ, antifepticæ funt.

MERCURIALIS MARIS & FŒMINÆ Folia. *De Bladeren van Bingelkruid.*

MERCURIUS VIVUS, vide ARGENTUM VIVUM.

MEI ATHAMANTICI Radix. *De Beerwortel.*

MILII SOLIS, seu LITHOSPERMI Semen. *De Zaaden van Paerlkruid, of Steenzaad.*

MILLEFOLII Folia. *De Bladeren van Duizendblad, of Geruwe.*

MILLEPEDES, seu ASELLI. *Duizendpooten, Houtluisen, Tichelbeesten.*

Nota hæc Insecta scatent multo Sale Volatili. Recentium itaque Succus meliùs, quam Pulvis adhibetur. Ob vim incidentem, attenuantem & aperientem a dicto Sale pendentem commendantur in Viscerum Obstructionibus, Hydrope, Morbis Pectoris aliisque pluribus a mucosa spissitudine ortis. Per Urinæ vias primariò creduntur agere; ut etiam in Suppressione Urinæ & ipso Calculo ab aliquibus laudentur. In incipiente Cataracta ad magnam dosim, etiam unciam integram, quotidie sumpta scribuntur aliquando profuisse.

Quamvis de dictis viribus omnino constaret, quod hactenus nobis non videtur, nauseosum semper Medicamentum efficiunt, cui alia non difficulter substitui possent & deberent: plerique etenim Ægri, quia hæc & similia quandoque in Medicos usus adhiberi non ignorant, omnia Medicamenta pertinaciter aversantur & respuunt.

Dum præscribuntur, Pharmacopœi eligant majores, nigros, in glomum contractos, utpote violenta morte peremptos.

MINIUM. *Menie.*

Est Plumbum ad lætam rubedinem, qua Cinnabarem æmulatur, calcinatum. Præparatur præsertim in Anglia, Hollandia & Germania. Sub operatione hujus Substantiæ pondus sensibiliter augetur. Secundum

dum varios Authores varia augmenti proportio eſt; ut id aliqui ſextam partem, alii tantùm vigeſimam ſtatuant. Sub reductione Minii in Plumbum id augmentum amittitur. Differt a Lithargirio calcinationis gradu, quo hoc pro magna parte vitrificatum eſt.

Tamquam Refrigerans & Exſiccans Unguenta & Emplaſtra aliqua ingreditur.

MORI Fructus, ſeu MORA. *De Moerbeziën.*

MOSCHUS. *Muskus.*

Eſt Subſtantia granuloſa, ſicca, attactu pinguis, tota inflammabilis; coloris ferruginei, vel ſubnigricantis; ſanguinem exſiccatum primo aſpectu referens; ſaporis amari, ſubacris; odoris fragrantiſſimi, penetrantiſſimi, pertinaciſſimi & ferè indelebilis, qui, niſi diſtantia, aut aliis admixtis temperatus ſit, caput gravat, obnubilat; Mulieribus nec non Hypocondriacis præſertim infeſtus eſt, & quandoque, ſi fides Itineratoribus, Narium Hæmorrhagias etiam lethales producit. Spiritus Vini Rectificatiſſimus ſolvit circiter tertiam partem hujus Subſtantiæ, Aqua duas quintas. Prius Menſtruum, quamvis parum odoratum videatur, omnem tamen Moſchi fragrantiam poſſidet, & eam aliis, quibus additur, communicat: poſterius Diſtillatione abſtractum Moſci odorem ſecum elevat: ſecus prius. Acida fragrantiam plurimùm exaltant.

Animal in Muſcovia, India Orientali & China degens, *Moſchus Moſchiferus* LINNÆO dictum, quod aliqui e Cervino, alii e Caprino genere crediderunt, ſed quod propriè ad neutrum pertinet, & potius particularem ſpeciem conſtituit, hanc Subſtantiam largitur. Dicto Animali inter Umbilicum & Genitalia Folliculus, Ovi gallinacei circiter magnitudinem habens & duplici extra corpus orificio inſtructus, excreſcit, in quo Moſchus ſecernitur & conſervatur. Utrique ſexui, in ignotum hactenus uſum, hoc organum exiſtit, ſed ſolis Maribus verus Moſchus videtur ſecerni, & præcipuè Œſtri venerei

tempore magis evectus esse: tum Animal prurienti stimulo adactum se lapidibus & Arborum truncis affricat; donec irritanti hac Substantia se liberet. Ita perfectè elaboratus, optimus Moschus colligitur, qui rarissimè ad nos transfertur. Apud nos prostat cum toto Folliculo, etiam cute tecto, a Venatoribus exscisso. Folliculi pilis badiis obsessi *Chinenses* sunt & optimi: pilis albis, *Russici*; multum deteriores.

Moschus, cum magno pretio vendatur, & in parca copia magnam quantitatem cujuscumque materiæ fragrantia sua possit inficere, rarissimè non adulteratus prostat. Venatores etenim Folliculos minùs turgidos Sanguine, Arena; quin imo Plumbo pro augendo pondere & lucro complent, vel sumpta quacumque alia Animalis Moschiferi pellis parte Folliculos tam artificiosè consuunt, & pauxillo Moschi aliisque addititiis replent, ut naturales facilè mentiantur. Mercatores Indi, si odore aut gustu fraudem detegere nequeant, filum Allio imbutum per Folliculum ducunt, tuncque bonum existimant, quando Allii fœtor Moschi odore victus evanescit. Apud nos probatur, si forti & penetranti polleat fragrantia; si super chartam cultro, vel spatula se totum extendi patiatur; sicque extensus coloris flavioris sit, & splendeat; si ferro candenti impositus flammam capiat & vix non totus consumatur, & certissimo demum criterio, si exigua quantitas magnam Alkoholis copiam fragrantia sua imbuat.

Multus hujus Substantiæ pro Odoramentis usus est. Arabes eam apud Europæos in Medicinam introduxerunt atque Calidum, Roborans, Lætificans, & Aphrodisiacum Medicamentum statuerunt. Exigua apud illos dosis erat. Constat jam multis celeberrimorum Medicorum testimoniis illam ad grana viginti, quadraginta, imò sexaginta, etiam pluries de die, exhibitam inordinatos spirituum motus potentissimè & sine ardore compescere; ut in Febribus, ubi Convulsiones, Singultus aliaque prava symptomata se produnt, præstantissimum Remedium sit. Laudatur præterea in Mania, Passione

Hyſterica, Exanthematibus retropulſis, Podagra retrograda &c. Ordinariò mitem, refocillantem Diaphoreſim excitat, quam placidus ſomnus excipit. In Hydrophobia deſperatis jam ægri rebus, ſi fides obſervatis, tam promptè quandoque opem tulit, ut ab aliquibus Specificum adverſùs hunc Morbum habita ſit. Moſchum collo appenſum adverſùs Variolas Prophylacticum Remedium CELEB. LINNÆUS credidit. Hoc ultimum experientia videtur improbare.

MYROBALANI. *Myrobalaenen.*

Sunt Fructus exſiccati, qui nobis ex India Orientali adferuntur. Quinque in Officinis proſtant ſpecies tritis his verſiculis expreſſæ:

Myrobalanorum ſpecies ſunt quinque bonorum.
Citrinus, Chebulus, Bellericus, Emblicus, Indus.

Quamvis figura, magnitudine & colore inter ſe differant, ex eadem tamen Arbore, ſed diverſo tempore, peti aliqui contendunt. Alii quamlibet ſpeciem ad diverſam Arborem pertinere referunt. Utraque ſententia teſtes Oculares adfert.

Ob vim leviter purgantem, quam poſſident, olim multum in uſu erant. Jam alia multa tam feliciter ſubſtituuntur, ut e pluribus Pharmacopœis ejecti ſint. Omni dote & evidenter adſtringunt; hinc Indis ad atramentum conficiendum, & depſenda coria inſerviunt. Ob hanc vim, ea doſi ut purgare non poſſint, præcipuè Bellerici laudantur ad ani procidentiam. Eorum Decoctum dentes firmat.

MYRRHA. *Myrrhe.*

Eſt ſubſtantia reſinoſo gummea, quæ in fruſtis variæ magnitudinis & figuræ, mox Avellanas, mox Juglandes æquantibus; coloris flavi, rufi, vel ferruginei, ad nos adfertur. Subpellucida eſt, arida, fragilis, intus ſtriis albicantibus notata; ſaporis ſubacris, amari, parum nauſeoſi; odoris aromatici, non ingrati. Maſticata tota ferè in ore ſolvitur, & ſalivæ ſuas dotes impertit: hinc oris fœtorem corrigit. Igni injecta flammam concipit, & ſuffitum non in-

gratum largitur. Spiritus Vini rectificatus ſolvit circiter unam tertiam. Tinctura hæc odorem aromaticum, amaritiem & omnes dotes hujus ſubſtantiæ poſſidet. Aqua ſolvit circiter duas tertias. Aqua Calcis Tincturam validam extrahit. Parcam quantitatem Olei Odorati fundit.

Adfertur ex Arabia, Æthiopia & Ægypto; ſed cujus Arboris productum ſit needum liquet. Variis addititiis adulterata ordinariò apud nos proſtat, quæ, cum genuinis illico deſcriptis Myrrhæ dotibus careant, facilè diſtingui poſſunt, & rejici debent.

Myrrha aperit, diſcutit, abſtergit, roborat, & calefacit: hinc in Morbis Pulmonum & primarum viarum, a glutine ſpontaneo & laxitate ſolidorum pendentibus, præcipuè præſcribitur, & prodeſt. Non deſunt qui in ulceribus internis; quin imò in ipſa Phthiſi commendant. Ubicumque tamen Febris adeſt, ſuſpecta eſſe debet: motum etenim humorum tam manifeſtè incitat, ut Abortum & Mictum Cruentum aliquando produxerit. Extus, tamquam abſtergens & putredinem potentiſſimè arcens Remedium, ad Gangrænam, Ulcera putrida & Cariem Oſſium cum ſucceſſu adhibetur.

MYRTI Baccæ. *De Beziën van den Myrtenboom.*

NARDUS CELTICA, ſeu SPICA NARDI CELTICA. *Celtiſche of Alpiſche Nardus.*

NARDUS INDICA, ſeu SPICA NARDI INDICA. *Ooſtindiſche Nardus.*

NASTURTII AQUATICI Folia. *De Bladeren van Waterkers.*

NASTURTII HORTENSIS Folia & Semen. *De Bladeren en Zaaden van Tuinkers.*

Eadem utrique ſpeciei virtus, priori tamen eminentior eſt. Hanc omnem exſiccatione, ut & coctione perdunt: ut hinc pateat optimè ipſam Herbam ab Ægris comedi, vel ipſum Succum expreſſum præſcribi. Coclearcæ æmulæ plantæ ſunt & adverſùs Scorbutum frigidum alioſque morbos ab humoribus viſcidis & ſolido-

rum laxitate pendentes optimum Remedium constituunt. Stimulo suo solidorum motus reduplicando agunt: ut hinc etiam Diureticæ & Emmenagogæ sint.

NEPETÆ, seu MENTHÆ CATARIÆ Folia. *De Bladeren van Nip of Kattekruid.*

NICOTIANÆ Folia. *Tabakbladeren.*

Ita a NICOTIO Regis Galliæ in Lusitaniam Legato, cujus præsertim nutu hæc Planta circa medium sæculi decimi sexti in Europa primùm innotuit, appellata est. Hispani quia eam in Insula Tabago, seu Tabaco, in Mari Mexicano sita, primùm detexerunt, *Tabacum* vocarunt. Americanis *petum* dicebatur; hinc CLUSIO *petum latifolium* dictum est, & ob æmulam vim narcoticam aliquibus Botanicis *Hyosciami Peruviani* nomine insignitur. Colitur jam per omnem Europam. Odorem præbet gravem, pungentem, sternutationem excitantem; saporem acrem, amarum, nauseosum, pertinacem, salivam copiosè elicientem. Vires Aqua, meliùs Spiritu Vini Rectificato extrahuntur. Oleum distillatum fundit acerrimum, quod Animalium sanguini affusum ea brevi interemit.

Pica Nasi, pestis illa, ut & aliæ plures, e novo Orbe delata, quæ contagio suo jam omnes gentes infecit, maximam partem hujus Plantæ sibi vindicat. Multi præterea ejus fumum per fistulam attrahunt, ore retinent, volvunt, & ejus stimulo delectati efflant; dum alii in eumdem finem ipsa folia masticant. Ita Europæi omni modo consumendis Americæ productis & multiplicandis suis necessitatibus videntur studuisse. Insuetos tamen hi omnes hanc Plantam adhibendi modi mirè turbant: caput etenim omnibus veluti ebriis obnubilatur, & a fumo præcipuè sursum deorsumque violenter & quandoque non sine discrimine, purgantur. Narcoticas itaque & acres omnino vires prodit, easque introsumpta confirmat. Quin variis corporis locis in Cataplasmate vel fomento applicata easdem turbas visa est excitasse. His non obstantibus venenosis dotibus, in

Medicinam introducta eſt, & in pluribus caſibus locum tenere poteſt. Pulvis enim naribus attractus inſuetis Ptarmicum eſt fortiſſimum. Fumus ore hauſtus Sialagogum eſt Remedium, quod in laxis, obeſis humidiſque corporibus, & morbis a ſeroſa colluvie pendentibus, opem ſæpius attulit. Idem ano immiſſus Aſcarides necat, & in pertinaciſſimis Alvi Obſtructionibus, Ileo, nec non Hernia incarcerata, aliis remediis non auſcultantibus, quandoque ſe præbuit efficaciſſimum. Folia maſticata famem ſedant, ſitim extinguunt, Odontalgiam curant, & oris fœtorem corrigunt. Eorum effluvia Pediculos, Pulices, Cimices necant, &, teſte DIEMERBROEKIO aliiſque, a Peſte & aliis morbis contagioſis præſervant. Eadem cum Aceto in Cataplaſma redacta optimè reſolvunt, & diſcutiunt, illorumque Decoctum ſaturatum, in Act. Nat. Curioſ. Vol. IX. pag. 392., & Nov. Act. Phyſico-Med. Vol. primo pag. 99., laudatur ad Abſceſſus ſinuoſos & Fiſtulas.

Sed & interno uſu explorata eſt. Compertum eſt itaque illam diuturna in Aqua coctione, diſſipatis acrioribus, vim emeticam deponere, & ſolam purgantem retinere; eâdemque ulterius protractâ, detergens, aperiens, diureticum demum, & alterans exſurgere Medicamentum, quod, præſertim tamquam expectorationem juvans, in Aſthmate & Tuſſi a muco craſſo, viſcido, pulmones infarciente, ab aliquibus ſummis laudibus extollitur. Quin Decoctum unciæ unius foliorum Tabaci in Aquæ libris duabus, ad medietatis conſumptionem, addito in coctionis fine foliorum Malvæ, Brancæ Urſinæ, & Violarum āā manipulo uno, calidiſſimum pluries de die potum a celeberrimo RUTTY in Vomica Pulmonum, ad materiam purulentam evacuandam, & ulcus conſolidandum, ſcribitur valere.

NIGELLÆ Semen. *De Zaaden van Fenkelbloem.*

NINSING, ſeu NISI Radix. *Ninſing- of Niſi-Wortel.*

Ita Japonenſibus vocatur Radix, quæ Chinenſibus *Gens-Eng*, ſeu *Ginſing* dici ab aliquibus perhibetur. Alii diverſis his nominibus,

figura & viribus ferè ſimiles quidem, ſed ad genere & ſpecie diverſas Plantas pertinentes Radices exprimi contendunt. Itineratorum & Botanicorum incuria fecit, ut, quid hic credi debeat, ægrè ſtatui poſſit. Interim ſub his titulis adferuntur e Japonia, China & Regno Siam Radices rugoſæ; calami, vel ad ſummum Digiti Auricularis craſſitiem habentes; unum duoſve pollices longæ; plerumque bifurcatæ; ad baſim fibroſæ; coloris albidi, vel flaveſcentis; adeo reſinoſæ, ut aliquando ſubpelluceant, & Cornu quaſi referant; odoris leviter aromatici; ſaporis ſubdulcis, leviter amari & acris, non ingrati.

Similis Radix circa initium hujus Sæculi in Novo Orbe, & nominatim in Canada detecta eſt: differunt tamen, quod hæc craſſior, magis rugoſa, coloris obſcurioris, & minùs reſinoſa ſit.

Hæc Radix apud Chinenſes & Japonenſes tanti habetur, ut libra una tribus Argenti Libris ordinariò vendatur. Ob hanc cauſam rarò ad nos transfertur. In Hollandia Uncia una quandoque centum & quinquaginta Florenis conſtitit. Multò minùs cara Americana eſt. Si Orientalibus fides, Cardiacum eſt, cui nullum par hactenus prodiit, & omnibus ferè Morbis Antidotum. Vitæ fons, ſecundùm illos, ſi languerit, hoc Remedio promptiſſimè ſuſtentatur & reſuſcitatur; ut in pluribus Cerebri Morbis, & præſertim in labefactione virium a nimia Venere inducta, certiſſima ſit Medela. In Europa tentamini ſubjecta tam parum ſpecioſis his promiſſis ſtetit, ut multis aliis Indigenis ei facilè ſuppleri, & hinc illam in Patria ſua ſine Materici Medicæ damno relinqui poſſe, ſit decretum.

NITRUM. *Salpeter.*

Eſt Sal neuter conſtans Acido proprio, *Nitroſo* dicto, & Alkali Fixo Vegetabili, ad Saturationem ſimul unitis. Cryſtallos exhibet priſmaticas, ſexangulares, utrimque ſimili Apice terminatas. Coloris eſt candidi, ſubpellucidi; odoris nullius, ſaporis ſalſi, leviter amari, nauſeoſi, & ſimul ſenſum Frigoris Linguæ imprimit. In Aëre

non deliquefcit. Solvitur in fexies circiter fuo pondere Aquæ, præfertim ebullientis. Sub Solutione Menftruum refrigerat, ut Thermometrum evidenter deprimatur: minùs tamen, quam fub Solutione Salis Ammoniaci. Peracta Solutione Thermometrum etiam ad priftinam altitudinem redit. Igni expofitum fixum eft, funditur, & Cryftallifationis Aquam pertinaciter retinet. Sub hoc ftatu cum Materia Inflammabili Flammam concipit, cum majori vel minori pro circumftantiis Fragore. Peculiare hoc Phœnomenum, quod Nitrum ab omni alio Sale diftinguit, *Detonatio* apellatur, & Acido Nitrofo, quod cum Phlogifto *Sulphur Nitrofum*, de fe in Aëre libero inflammabile, conftituit, debetur. Sub Operatione liberatum Acidum avolat, & poft illam remanet Alkali Nitri, quod falfò *Nitrum Fixatum* hac vel illa Subftantia, quæ in hunc ufum adhibita fuit, appellatur. Præter Phlogifton hunc Salem decomponunt Acidum Vitriolicum, etiam Bafi Terreæ, aut Metallicæ junctum, Acidum Phofphoricum, Sal Sedativum & Arfenicum.

Origo hujus Salis inter Naturæ Arcana hactenus numerari debet. Naturale, totum præparatum, & unicè e Terra eluendum in India Orientali aliifque locis invenitur. Tale e quibufdam Plantis etiam apud nos in parca copia obtinetur. Paffim in Europa e Parietibus & Terris diu fubftantiarum putrefcentium vaporibus, in Aëre libero, expofitis extrahitur: fed Bafi tum conftat Calcarea; ita ut, quo cryftallifabile & genuinum Nitrum evadat, ulteriori Præparatione indigeat. Bafi ergo Terreæ Alkali Vegetabile, fimplici methodo ob majorem Affinitatem, facilè fubftituitur, & in hoc omne Artificium verum Nitrum conficiendi confiftit. Latet interim nos, & æternùm fortè latebit, quomodo peculiare hujus Salis Acidum generetur & Bafi Terreæ accrefcat.

Nitri pro præparando Pulvere Pyrio multus ufus. In Medicina ob varias dotes multum adhibetur, & laudatur: virtute enim, præ reliquis Salibus, pollet antifeptica, & evidenter refrigerat; ut inter

inter Antaphrodisiaca numeretur. Sanguinem præterea fluidiorem, rubicundiorem reddit, & inflammatoriam spissitudinem pulchrè solvit. Ob hunc effectum sitim compescit. Diureticum etiam est, & Alvum laxat. In majori tamen dosi, aut diutius adhibitum languorem inducere, Stomacho nocere, in Vias Urinarias præcipuè agere easque dolore afficere scribitur. Quin etiam Dyspnœam & Paralysim aliquando produxisse perhibetur. Ob vim solventem nocet in Febre Hectica cum signis colliquativis.

NUMMULARIÆ Folia. *De Bladeren van Penningkruid.*

NUX MOSCHATA. *Nootmuscaet.*

Ob frequentissimos usus culinarios satis nota est. Pertinet ad Arborem in omnibus Moluccis, & præcipuè in Insula Banda crescentem. Continetur in putamine ligneo, quod Macis immediatè cingit. Vide Macis. Ut hi Nuclei meliùs conserventur, antequam ad nos transferantur, Aquâ Calcis aliquamdiu macerantur; dein fumo exponuntur. Præferuntur rotundi & ponderosiores: oblongi sylvestres creduntur. Multo turgent Oleo, ut, dum acu calido vulnerantur, illud fundant, & per expressionem circiter unam tertiam sui ponderis largiantur. Oleum hoc odoratum, flavum est, & frigefactum Sebi consistentiam habet. Quod ab exteris adfertur ordinariò variis pinguedinibus adulteratum est. Olei Essentialis unam vigesimam & ultra quandoque sui ponderis præbent. Vires optimè Spiritu Vini Rectificato extrahuntur.

Nux Moschata Virtutem possidet aromaticam, nervinam, stomachicam, anticolicam & emmenagogam. In Vomitu & Alvi Fluxu præcipuè laudatur, & revera sæpe in his morbis cum successu adhibetur: hinc Vires Adstringentes ei adscriptæ sunt. Has non videtur mereri; sed potiùs vi narcotica & stupefaciente in his morbis agere: nam in majori dosi, præcipuè dum recens est, has dotes adeo evidenter possidet, ut multiplici Experimento & Authoritate

Temulentiam, Stuporem, Delirium & Apoplexiam induxerit. HOFFMANNUS e Nuce Moſchata & Alumine Febrifugum conficit.

NUX VOMICA. *Kraeyenoogen.*

Ita vocantur Nuclei, ſeu Semina orbiculata, utrimque compreſſa, umbilicata, villoſa; corneæ duritiei; coloris cinerei; odoris nullius, ſaporis amariſſimi, ingrati, quæ ex India Orientali & nominatim e Malabaria adferuntur. Quindecim numero in Pulpa cujuſdam Baccæ, ſeu Fructus dicuntur inveniri: Arbor, ad quam pertinent, *Strychnos nux vomica* a LINNÆO nuncupatur. Spiritus Vini Rectificatus omnem amaritiem extrahit, quæ conſequenter in Reſinoſa Parte videtur hærere. Faba Sti Ignatii ſecundum aliquos Authores ad eamdem familiam pertinet. Non ſatis liquet.

Canibus, Felibus, Gliribus aliiſque multis Animalibus certiſſimis experimentis, vi narcotica, deleteria eſt. Ad pauca grana Stuporem, Rigorem, convulſionem inducendo brevi poſt aſſumptionem interimit. In Nervos videtur venenoſam vim explodere: plerumque enim in Interfectis Brutis nec Inflammationis, nec Gangrænæ veſtigia in ſtomacho reperta ſunt. Neque Homini, ſi fides obſervatis, omnino tuta videtur; quamvis talis a Noſtratibus paſſim credatur. In Materiem Medicam tamen introducta eſt, & ſuos commendatores invenit: Arabes itaque primi adversùs Serpentum ictus laudarunt, ſi una, aut duæ quotidie per longum temporis ſpatium aſſumantur. In Inſula Ceylan in eundem finem adhuc adhiberi ſcribitur: E recentioribus aliqui eam Febres Intermittentes obſtinatiſſimas ſcribunt percuraſſe. Alii adversùs Peſtem Antidotum eſſe; antihelminticam vim poſſidere; hyſtericas, hypocondriacas, maniacas, turbas ſedare; Ulcera mali moris & ipſam Hydrophobiam curare contendunt. Nec deſunt, qui in Gonnorrhæa Virulenta præſens Remedium eſſe, & in Dyſenteria præmiſſis evacuantibus mira qnandoque præſtitiſſe perhibent. Non obſtantibus his encomiis cum SPIELMANNO prudentis Medici eſſe ducimus, cum adversùs hos

Morbos securiora prostent Medicamenta, ab usu suspecti desistere, & Nuces Vomicas non, nisi pro necandis Animalibus nocivis, adhibere.

NYMPHÆÆ ALBÆ Flores & Radix. *De Bloemen en Wortel van witte Water-Leliën.*

OCYMI Folia. *De Bladeren van Basilicum.*

OLEÆ FRUCTUS EORUMDEMQUE OLEUM. *De Vrugten van den Olyfboom en der zelver Olie.*

Arbor hæc sponte crescit in Gallia Meridionali, Hispania, Italia aliisque calidioribus Regionibus. Fructus, *Olivæ* dicti, immaturi, virides, conditi ad nos adferuntur, & apud multos in deliciis sunt. Maturi multo scatent Oleo. Id Torculari exprimitur, quodque sic primò prodit, limpidum, insipidum, inodorum, Oleo Amigdalarum non absimile, præstantissimum est, & *Virgineum* appellatur: quod postea adjecta aqua, vel calefactis Olivis, Majori etiam adhibita pressione obtinetur, vilius est & amurcosum. Mucilaginosus liquor, qui ex immaturis Fructibus exprimi potest, olim sub *Olei Omphacini* nomine in usu erat.

Olivæ scribuntur Oris halitum emendare, Stomachum roborare, Appetitum excitare, & Viscerum Obstructiones potenter solvere. Earum *Oleum* omnium Pinguedinum Principia & Vires habet: ob fluiditatem tamen, quæ unicè a diversa principiorum proportione pendet, faciliùs adhibetur, & plerumque in usus medicos præferri debet. Præcipuæ ejus dotes sunt Acria obvolvere; irritatas, rosas partes demulcere; tensas, convulsas fibras laxare, & cum obviis Salibus Alkalinis, teste Sapone Hispanico ejus producto, innocuum Saponem constituere. Ob has virtutes non solùm omnium Venenorum assumptorum, præcipuè acrium, effectibus optimè medetur; sed etiam Alkalinis verum Antidotum est. Præ cæteris in similibus ca-

ſibus famam ſibi conciliavit, quia, dum in majori quantitate aſſumitur, vomitum excitat, & aſſumptum venenum plerumque feliciter expellit. In hunc uſum affatim ad plures libras inodorum, inſipidum, optimum adhibeatur: rancidum enim ipſum Venenum eſt. In atrociſſimis præterea primarum Viarum Doloribus ab alia cauſa pendentibus & in nephritide laudatur. Antihelminticum eſt. Ejus inunctione Hydropem curari aliqui contendunt. Tepidi Olei Embrocatione & Balneo horrendiſſimæ Convulſiones ſedantur. Laxandi, emolliendi, lubricandi ergo in Enematibus adhibetur. Plurima Emplaſtra, Unguenta, Linimenta & Olea compoſita ingreditur.

OLIBANUM. *Wierook.*

Eſt Subſtantia gummeo-reſinoſa, quæ grana exhibet variæ magnitudinis & figuræ, granis Maſtichis ordinariò majora, pellucida, coloris citrini; dum vetuſtior eſt, ruſeſcentis. Odorem præbet proprium, fortem, balſamicum: maſticata Dentibus adhæret, lenteſcit, Salivam lacteam reddit, & ſaporis eſt ſubacris, amari. Fragilis eſt, Flammam facilè capit, & ſuffitum tum gratum ſpargit. Spiritus Vini Rectificatus tres circiter quartas partes ſolvit, & omnes Vires extrahit. In Aqua tota ferè ſuſpenditur eamdemque lacteam reddit. Emulſio hæc odoris fragrantis eſt, terebinthinacei. Secundum plures Authores Arboris, quæ LINNÆO *Juniperus Lycia* dicitur, productum eſt. Alii dubitant. Teſte celeb. HASSELQUIST in utraque Arabia colligitur.

Veterum Olibani diſtinctiones, a diverſa Glebarum figura & magnitudine, in *Marem*, *Fœminam*, *Thus Orobæum* & *Mannam* frivolæ ſunt.

Vix hodie internè adhibetur; quamvis Myrrhæ vires videatur poſſidere. Laudatur ab aliquibus in Alvi Fluxu, Tuſſi & Pleuritide, præſertim epidemica. An hic aliquid præſtare poſſit dubitamus. Credimus potiùs Suffitum ejus roborare, diſcutere. Emplaſtra aliqua,

tamquam Vulnerarium, ingreditur. Albumine Ovi subactum scribitur Maculas Faciei delere.

OPIUM. *Heulsap. Het verdikte Sap van de Maankoppen.*

Opium, quod ad nos transfertur, secundùm KÆMPFERUM aliosque oculares Testes, est inspissatus Succus lacteus, stillans ex incisis Capitibus *Papaveris Albi.* Coctione ex eisdem Capitibus extractum, & hinc Veterum tantum *Meconium* esse, alii contendunt. Priorem sententiam, pro magna saltem parte, veram esse, & Opium coctione extractum tantam Resinæ proportionem non continere, quantam Opium apud nos prostans, aut ex effluente succo paratum prodit, probat CL. ALSTON in *Medical essays and observations* vol. V. adfertur in panes coactum, qui variis foliis teguntur. Consistentiæ est solidioris; ut tamen facilè subigi & duci possit. Coloris extus est obscurioris; intus e fulvo nigricantis; dum in pulverem redactum est, flavioris. Odorem præbet ingratum, virosum, caput gravantem; saporem amarum, calidum, acrem: ut diu ore retentum Linguam & Palatum inflammet & exulceret. Totum relictis solis heterogeneis solvitur Spiritu Vini tenuiori, Vino & Aceto; una tertia circiter Alkohole; duæ circiter tertiæ Aquâ: ut hinc pateat substantiam esse resinoso gummeam. Duæ hæc principia videntur uniri Oleo, quod protracta per plures menses, in fervida, digestione sensim separatur. Hac methodo, ablato principiorum vinculo, Opium decomponitur, & pars ejus Gummosa libera obtineri potest. Vide *Elementa Pharmaceutica* CL. BAUMÈ.

Hæc substantia adfertur e Persia & Ægypto. Commendari passim solet Opium Thebaicum: sed notante SPIELMANNO potiùs ad puritatem, quam ad patriam respiciendum est. Aliqui Opium, quod e Planta nostrate præparatur, ab Orientali viribus non differre; alii multò inferius esse, asserunt. Pro priori parte pugnant CL. HALLERI tentamina. Quod coctione apud nos obtinetur saltem debilius esse Opio Orientali, & duplam quidem ejus dosim requiri, statuit ARNOT in *Medical essays and observations* vol. V.

In parca dosi, & opportunè exhibitum, præstantissimum, & sine quo Medicinam multi facere nollent, Medicamentum est; in majori quantitate assumptum, Venenum. A grano dimidio, vel integro in non assuetis pulsus fit plenior, frequentior; augetur corporis calor; rubet facies. Concomitantur hæc mentis serenitas, hilaritas; imaginatio vividior: hinc in aliquibus subjectis irritabilior fit & pronior in iram animus. Sequitur Temulentia, Delirium, Doloris, si quis ante adfuit, oblivio. Sensuum & motuum muscularium organa tum sensim obtunduntur. Nascitur Insensibilitas, Stupor, Somnus, sub quo Sudor erumpit, diminutis interim manifestè reliquis excretionibus. Post aliquot horas Somnus excutitur, & succedit sensus frigoris & Debilitas. Major dosis illico Delirium, Somnum inducit; pulsum, respirationem deprimit, & Lethargum, Apoplexiam, ac Mortem infert.

Fortè ob hunc interficiendi modum a GALENO & ejus schola frigidum in quarto gradu Opium pronuntiatum est: intelligitur tamen ex dictis, partim calidas, stimulantes; partim sedantes, narcoticas vires possidere, &, perspecta tota effectuum serie, ut Vinum agere. Orientalibus, qui perpetuo usu maximæ dosi, etiam plurium Dragmarum, sensim assuescunt, idem omnino videtur præstare, quod Nostratibus Spiritus Frumenti: Venerem scilicet illis exstimulat; animum eorum & audaciam erigit. Senim etiam longo ejus usu tristes, stupidi fiunt, & ad idem Remedium continuò coguntur recurrere. Egregium itaque in non assuetis est Cardiacum, quod podagricum, arthriticum, exanthematicum, & quodvis acre repulsum ideo, feliciùs aliis Remediis stimulantibus, ad exteriora repellit, quòd comites Nervorum turbas, sive hæ mali causæ sint, sive effectus, sedet.

Ob vires sedantes & narcoticas præscribitur in omnibus doloribus non inflammatoriis, dum Medici mens est inducias Ægrorum tormentis pacisci. Doloris sensum tum quidem in mente sopit; sed, nisi excitato a Remedio sudore, vel relaxatâ penitùs fibrâ, cujus tensio dolorem creaverat, Morbus radicitus curetur, manet causa

doloris, qui, evanidis post aliquot horas Opii viribus, denuò, & aucto quidem cum impetu plerumque, redit: ut dolendum sit, non nisi palliativum in multis casibus esse Remedium. Ob easdem vires vigiliis nimiis medetur, & inordinatos Spirituum motus feliciſſimè compescit: hinc in hystericis, hypocondriacis turbis; omnibus motibus & constrictionibus spasmodicis maximi est usus: etiam, adhibitâ cautelâ, ubi materia eliminanda a spasticè constrictis Colatoriis retinetur: ut in omni ferè Colicæ genere, in difficili & dolorifica menstruatione, Hæmorrhoidum moliminibus, doloribus Partùs spuriis &c. in irritata multùm fibra; ut in Tussi inani, ferina, morbillosa, libera cæteroquin Respiratione, singultu, vomitu &c. princeps est Remedium. Profusiores evacuationes præsertim per alvum sedat. Cum successu in debellandis febribus intermittentibus additur Cortici Peruviano, cujus vires purgantes etiam infringit. Quin ad granum unum alterumve, in initio paroxismi adhibitum, ejusdem violentiam & durationem minuit, nec non Ægri constitutionem inalteratam servat. Hanc methodum, non novam, CELEB. LIND reduxit; post eum plures affirmant. In Gangræna, præsertim illa, quæ Senum extremitatibus quandoque accidit, mira præstare CL. PERCIVAL POTT scripsit. Cum Cortice Peruviano in variis istiusmodi casibus stupendam opem tulisse vidimus. Cardiacas hic vires exercet. Variis præterea Couvulsionibus, Epilepsiæ sine materiâ, Episthotono & Spasmo Maxillæ inferioris cynico medetur. Plura hujus rei exempla prostant in *Medical observations and inquiries*. Tamdiu in omnibus his casibus augenda dosis, donec Somnolentia altiùs ascendere vetet. Egregiam quantitatem his morbis detenti ordinariò ferunt. Nobis Mulier sedecim quotidie grana sine somno & cum optimo eventu assumpsit. Viginti, quin etiam vigenti sex tempore viginti quatuor horarum dedit CELEB. FARR. *Medical observations and inquiries*. Vol. IV.

Cum Opium manifestè sanguinis circulum intendat, & calidum sit Remedium, proscribi debet in omni Inflammatione, in omni Hæ-

morrhagia, in Febre intenſiori, & in omnibus Naturæ criticis & ſalutaribus moliminibus. Non deſunt exceptiones. Eas adducere longum foret. Prudens Medicus, a quo ſolo hoc Remedium præſcribi poteſt, has dignoſcere debet.

Cuti applicatum eam irritat, rubefacit; nec ſciri præciſè poteſt, quota ejus pars corpus ſubintret: hinc externum uſum CELEBERRIMUS TRALLES rejecit. Glandulis tamen induratis & tumidis Teſticulis maximo cum fructu ab Orientalibus adhiberi ocularis teſtis eſt CELEB. KERR. *Medical obſervations and inquiries.* Vol. V.

Adverſus ejus Venenum proponuntur Vomitus aliaque generaliora; Acida.

OPOBALSAMUM; BALSAMUM JUDAICUM; BALSAMUM E MECHA, GILEADENSE, SYRIACUM &c. *Opobalſamum; Balſem van Gilead, Mecha &c.*

Eſt Balſamum Terebinthinâ fluidius; coloris citrini, paulò rubicantis; odoris varii pro ætate, ſuavis, aromatici, fragrantis, terebinthinacei, qui Corticum Citri, Lavendulæ & Seminum Aniſi odores videtur adjunctos habere. Saporis eſt amari, acris, aromatici. Recens Lac coagulat.

Pertinet ad Arbuſculam, quæ aliquibus *Balſamum verum;* LINNÆO *Amyris Opobalſamum* dicitur, & Arabiæ propriè indigena eſt.

Tres hujus Balſami ſpecies notantur. Prior fluit ex inciſa Arbore, pretioſiſſima eſt, & ad Principum duntaxat orientalium manus pervenit. Altera primâ & levi coctione e foliis & ramuſculis elicitur. Tertia fortiori & protractiori. Hæc ſola ad nos videtur transferri.

Balſamo canadenſi, Terebinthinâ, variis Oleis Eſſentialibus, quin etiam Unguinoſis plerumque adulteratur. Fraus ægrè detegi poteſt. Recentis gutta Aquæ inſtillata ſe in Telam diffundit, quæ cohærens,

rens, alba se integram calamo auferri patitur. Id genuini Opobalsami criterium statuitur. Cùm annosius Aquæ fundum petat, pro solo recenti hoc concludit.

Aliorum Balsamorum, in multis morbis frigidis utiles, vires possidet. Diureticum est, & urinam odore suo inficit. Commendatur in ulceribus Pulmonum, Renum & Vesicæ. Cùm reliquis Balsamis minùs calefaciat, tutior ejus usus videtur; reliquas laudes orientalium phantasiis & raritati suæ debet.

Externè vulnerarium est, Roborat; discutit Œdemata. Laudatur adversùs Perniones.

OPOPONAX. *Opoponax; het verdikte Zap van Angelika, of Panacè-Kruid der warmer Landen.*

Est concretus Succus lacteus, gummeo-resinosus, qui in Oriente stillat è vulnerata, circa radicem, *Pastinaca Opopanace* LINNÆI. Adsertur nobis in granis, Juglande ordinariò minoribus, vel in massa e similibus granis conglutinata. Glebæ coloris intus albidi sunt; extus lutei, pro ætate obscurioris. Friabilis est: in ore pinguem tamen se præbet, solvitur, & saporem habet proprium, amarum, acrem, nauseosum. Odor ejus fortis est, & balsamicus. Una tertia circiter hujus substantiæ solvitur Alkohole. Tota, exceptis sordibus, quæ ordinariò non paucæ, suspenditur in Aqua, quam lacteam reddit. Flammam concipit.

Vires incidentes, resolventes, leviter stimulantes; hinc in omnibus morbis a laxa fibra & obstruente viscido Muco utiles, possidet. Ob has dotes Urinas, Menses movet, & in majori dosi per Alvum purgat.

Externè Tumores frigidos emollit, resolvit, discutit.

ORIGANI Folia. *De Bladeren van wilde Marjolein.*

ORYZÆ Semen. *Ryst.*

Ita vocantur satis nota Semina Plantæ, quæ Indiæ, Nigritiæ, Insulis Philippinis, nec non Americæ indigena est, & LINNÆO

Oryza Sativa dicitur. Hodie colitur in omni Oriente, in Italia, Hiſpania &c.

Oryza videtur aliquid Acidi continere; nam Lac cum ea cruda coctum ſæpe coagulatur. Fermentationis ſpirituoſæ admodum capax eſt; & pluribus in locis non ſolùm Cereviſia, ſed & Spiritus Inflammabiles multùm inebriantes ex illa parantur. Spiritus, qui ſub nomine *Arrack* ad nos adſertur, paſſim ex illa conſici creditur: aſſerunt tamen oculares Teſtes illum non e ſola Oryza, ſed e Nucibus Coccos, Canna Sacchariſera & Oryza parari, Indoſque omnem Spiritum Inflammabilem nomine *Arrack* inſignire.

In Diarrhœa, Dyſenteria, Hæmoptoë aliiſque morbis, ab humorum acrimonia pendentibus, leve, incraſſans, demulcens, obvolvens Nutrimentum & Medicamentum eſt. Sæviſſimi Stomachi dolores, etiam a Scirrho, vel Cancro hujus partis producti, quovis alio cibo exaſperati, hoc Nutrimentum bene tulerunt, & multùm tolerabiliores facti ſunt. Vim alvum ſiſtendi, quæ ei a noſtratibus paſſim adſcribitur, tunc tantùm obtinet, quando alvus ab acri in Inteſtinis hærente laxior eſt

OS E CORDE CERVI.

Oſſiculum variæ magnitudinis, & figuræ irregularis, quod non aliud erat, quam Cordis, vel magnorum circa Cor vaſorum particula in hoc animali oſſea facta, olim in Oſſicinis Pharmaceuticis proſtabat: aeſi vires præſtantiores, quam quodvis hujus, vel alterius Animalis Oſſiculum habuiſſet. Ad eamdem deliramentorum claſſem pertinet

OS SEPIÆ. *Zeeſchuim, of de Schulp van Inktvis.*

In Gonnorrhœa, Fluore albo, & Alvi Fluxu laudabatur. Abſorbens eſt, quod a reliquis nihil diverſum habet, & quo conſequenter facilè carere poſſumus.

OSTEOCOLLA. *Osteocolla.*

Sub hoc nomine prostant corpora cylindriaca, extus alba, aspera; intus perforata, vel substantiâ ligneâ repleta, quæ in variis Germaniæ locis e Sabulo effodiuntur. Stalactites sunt, vel Arborum Radices carie excesæ, & Terra Calcaria incrustatæ. Magnam Sabuli copiam ordinariò adjunctam habent.

Osteocollam Ossa fracta consolidare MATTHIOLUS somniavit; ut hinc nomen receperit. Tanta Authoritas hunc errorem in Scholas & Posteros transtulit. Inter adstringentia numeratur, & aliqui ad Fluorem album laudant. Absorbens est, cui alia puriora facilè substitui possunt.

OSTREORUM TESTÆ. *Oesterschulpen.*

Inter optima Absorbentia numerantur. Vi Ignis in acerrimam Calcem convertuntur, cujus Aqua immersos Calculos potentiùs solvere scribitur, quam Aqua Calcis ordinaria.

PÆONIÆ Flore pleno majore rubro, seu FŒMINÆ Radices, Flores & Semina. *De Wortels, Bloemen en Zaaden van Wyfjes Peonie.*

PÆONIÆ Folio nigricante splendido, seu MARIS Radices, Flores & Semina. *De Wortels, Bloemen en Zaaden van Mannetjes Peonie.*

Prior, quia Flore pulchriori est, passim in hortis nostris colitur, & sola ferè in Officinis prostat. Eadem tamen utrique Virtus est. Flores & Radix, præcipuè recentes, spirant aliquid papaverini, quod Caput gravat, & Narcoticum videtur. Aliqui Authores, inter quos eminet CULLENIUS, has partes omni Veneni suspicione non absolvunt. Laudantur tamquam Emmenagoga, & adversùs Morbos Convulsivos: quin Radix Collo appensa Puerum epilepsia laborantem curasse a GALENO tot circumstantiis perhibetur, ut, nisi Experimentum fallax esse sciremus, vix dubium superesset. Hanc vim FORESTUS, FERNELIUS aliique comprobant. Notante tamen

Spielmanno „ eam ne unica quidem, cui fidere possemus, confir-
„ mavit Experientia. Noctu effodiendam esse jam Theophrastus
„ præcepit. Alia absurda circa colligendi rationem addiderunt me-
„ dio ævo Astrologi. Semina & Flores ad Radices accedere sibi
„ persuaserunt. Medicamentum superstitione excitatum, Astrologia
„ suffultum evilescere cœpit. „

PALMÆ OLEUM. *Palm-Olie.*

Adfertur e Guinea, Jamaica, Insulis Barbadensibus &c. ubi e Nucleis Nucum *Coccos* exprimitur. In aere nostro Unguenti consistentiam habet. Recens coloris est aurantii; odoris fortis, non ingrati; nullius ferè saporis: vetustius factum sensim albescit, & fit inodorum.

Usus internus nullus. Externè commendatur ad Rachitidem, Partes Paralyticas, Perniones &c. Aliquid adversus hos morbos posse, hactenus tam parùm probatum est, ut transferri non mereatur.

PAPAVERIS ALBI Folia, Capita & Semina. *De Bladeren, Koppen en Zaaden van witte Paparer, of groote Tuin Maankoppen.*

PAPAVERIS NIGRI Folia, Capita & Semina. *De Bladeren, Koppen en Zaaden van kleine Tuin Paparer, of zwarte Maankoppen.*

Duæ hæ species, quamvis Florum & Seminum colore differant, easdem tamen vires possident. Folia & præsertim Capita Succum continent lacteum, virosum, narcoticum. Vide Opium.

Utriusque semina saporis sunt dulcis, farinacei, unctuosi, & expressa multum Olei insipidi præbent. Quod, præter generales Oleorum vires, nullas particulares possidet. Nec ipsa Semina somnifera sunt.

PAPAVERIS ERRATICI, seu RHÆADOS Flores. *De Bloemen van Koornroozen, of wilde roode Maankoppen.*

Succum possident obscurè rubrum, qui tam aquosis, quam spirituosis Menstruis extrahitur. Odor, qui in recentibus observatur, in desiccatis perit.

Laudantur tamquam demulcentes & anodini; præſertim in Morbis Pectoris. Quibus Experimentis eorum Virtus probata ſit, planè ignoramus.

PARALYSEOS, PRIMULÆ VERIS, ſeu VERBASCULI PRATENSIS ODORATI Flores. *De Bloemen van St. Pieterskruid, of Hemelſleutel; Sleutelbloemen.*

PAREIRÆ BRAVÆ Radix. *De Wortel van Amerikaenſche wilde Wyngaerd.*

Pertinet ad Plantam, quæ in America meridionali creſcit, & LINNÆO *Ciſſampelos Pareira*; RAJO *Convolvulus Braſilianus Flore Octopetalo Monococcos*; Indigenis, & PISONI *Caapeba* dicitur. Nunc digiti, modò etiam brachii craſſitiem habet. Tortuoſa eſt, & rugoſum habet Corticem, qui exteriùs, coloris eſt in juniori e cinereo nigricantis, in annoſiori verò omnino nigricat. Subſtantia interna lignoſa eſt, & obſcurè flaveſcit. Tranſverſim diſſecta multos circulos concentricos exhibet, qui fibris a centro ad circumferentiam decurrentibus decuſſantur. Odorem vix ullum habet, ſaporem dulcamarum, quo radicem Liquiritiæ æmulatur.

Jam circiter a ſæculo hic innotuit, & magnam illico famam conſecuta eſt. Laudatur in Aſthmate humorali, Obſtructionibus Viſcerum abdominalium, Ictero; in variis Viarum urinariarum vitiis a Muco, vel Calculo pendentibus, etiam harum partium Ulceribus; in Podagra, Gonnorrhæa, Fluore albo &c. Mite reſolvens, diureticum, & innocuum ſemper Medicamentum videtur, quod aliqui etiam celeberrimi Authores ultra merita laudarunt. Tam parum ejus viribus credit BOERHAAVIUS, ut, qui multum ei tribuunt, nugaces Medicos appellare non dubitaverit.

PARIETARIÆ Folia. *De Bladeren van Muurkruid, Glaskruid*

PASSULÆ, ſive UVÆ PASSÆ MAJORES. *Rozynen.*

PASSULÆ, ſive UVÆ PASSÆ MINORES. *Korenten.*

PASTINACÆ SATIVÆ, ſeu HORTENSIS Radix & Semen. *De Wortel en Zaaden van Tuinpaſtinaken.*

PASTINACÆ SYLVESTRIS Semen. *De Zaaden van wilde Paſtinaken.*

PENTAPHYLLI, ſeu QUINQUEFOLII Radix. *De Wortel van Vyfblad, of Vyfvinger-Kruid.*

PEPONUM Semen. *De Zaaden van Pompoenen.*

PERLÆ. Vide MARGARITÆ.

PERSICARIÆ MITIS, ſeu MACULOSÆ Folia. *De Bladeren van Perſikkruid, of Vlooikruid.*

PERSICARIÆ URENTIS, ſeu HYDROPIPERIS Folia. *De Bladeren van Waterpeper, of bytend Perſikkruid.*

Prior ſpecies vix in uſu eſt, nec eſſe meretur. Poſterioris Folia Succum poſſident calidum, & tam acrem, ut Cuti applicata eamdem admodum rubefaciant. Acrimonia, hæc, ut Coclearíæ & Naſturtii, coctione perit.

Ob vim ſtimulantem & incidentem in Morbis a laxa fibra & glutinoſis humoribus; ut Scorbuto frigido, Viſcerum Infarctu, Chloroſi, Œdemate &c., laudem meretur, & Diureſim promovet. Vis lithontriptica ei tantis encomiis ab aliquibus attributa non ſatis probata eſt: quin in nuperis Cl. Hartley Experimentis Aqua communis in diſſolvendo Calculo plus effecit, quam Aqua diſtillata; Decoctum, vel Succus hujus Herbæ.

PERUVIANUS CORTEX. Vide CORTEX PERUVIANUS.

Nova hujus Medicamenti ſpecies, ab eo tempore quo Articulus Cortex Peruvianus prælo datus eſt, in has Regiones ſub *Cor-*

ticis Peruviani rubri nomine introducta eſt. Optima ſpecies dotibus externis ab ordinario Cortice adeo differt, ut in prima ejus auctione Oſtendæ habita a Pharmacopolis fraudem ſuſpicantibus deſpiceretur, & emptores non inveniret. Fruſta exhibet magna, inter quæ non rarò pollicem & amplius lata occurrunt, craſſa, non convoluta, manifeſtè majoris circuli ſegmenta. Tria in illis diſtinguuntur ſtrata: extimum tenue, inæquale, coloris rubrofuſci eſt & plerumque Muſco tegitur. Medium craſſius, magis compactum, coloris obſcurioris, ſæpè nigricantis, & ferè totum reſinoſum eſt. Intimum coloris rubri, magis rutili, fibroſam, ligneam exhibet ſubſtantiam. Fruſta odore Corticem ordinarium æmulantur, ſed Pulvis & alia hujus Corticis præparata odorem præbent magis aromaticum. Sapor magis amarus eſt, minùs acerbus & gratior. Dentibus facilius ſe patitur comminui, & Salivam tingit Colore rubro. Omnia ejus Præparata pharmaceutica rubicundiora, magis ſaturata & præſtantiora ſunt. Multò majorem quantitatem Extracti, ferè etiam dimidium ſui ponderis, largitur.

Videtur eamdem cum ordinaria ſpecie originem habere, &, ut illa, ad *Cinchonam Officinalem* LINNÆI pertinere: ſed e trunco & majoribus ramis, vel fortè e vetuſtioribus etiam Arboribus deſumitur; dum vulgaris ſpecies manifeſtè ramuſculorum Cortex eſt. E DALEI hujus Medicamenti deſcriptione, & clarius adhuc e LISTERI verbis patet, Corticem rubrum circa hujus ſæculi initium in uſu fuiſſe; & probabiliter eadem hujus Medicamenti ſpecies eſt, cujus paucis dragmis MORTONUS, SYDENHAMUS & eorum coætanei tam feliciter Intermittentes fugabant.

Vires eaſdem, ſed multò præſtantiores Cortice vulgari poſſidet. Uncia dimidia, etiam in febrium caſibus obſtinatiſſimis, ubi Corticem ordinarium in maxima quantitate datum parum efficere ſæpe doluimus, rarò, ſi umquam, fallet; modo Cortex Ruber optimus, & ab omni lignoſo purgatus adhibeatur.

PETASITIDIS Radix. *De Wortel van Dokke Bladeren.*

Hæc Radix, odoris gravis; ſaporis amaricantis & acris, commendatur tamquam cardiaca, alexipharmaca, incidens, diaphoretica in Peſte, Febribus autumnalibus, Aſthmate &c.

Externè in Ulceribus malignis & Bubonibus peſtilentialibus laudatur. Ejus Pulvere Verrucas venereas felicius, quam Sabinâ, eradicari, & Folia hujus Herbæ podagrico membro applicata ſolatio eſſe ſcribitur. Non ſatis liquet.

PETROLEUM. *Steen-Olie.*

Eſt liquidum, quod omnia Bituminum principia videtur poſſidere, & è Terra, vel Rupibus in quibuſdam Italiæ, Galliæ aliarumque Regionum locis effluit, & Fontibus ſupernatat. Variæ ſpecies memorantur, quæ colore, conſiſtentia, puritate; non principiis videntur differre. Fluidiſſimum, album, Ignis rapaciſſimum, quod apud nos vix proſtat, *Naphta* appellatur: craſſius, lenteſcens, flavum, fuſcum, nigrum, ſimpliciter *Petroleum*, vel *Oleum Terræ.* Omnes ſpecies ſunt odoris fortis, bituminoſi, pertinaciſſimi; ſaporis acris, amaricantis, balſamici. En Naphtæ proprietates: Tincturam Violarum mutat in colorem viridem. Diſtillata tota, immutata, leviter tamen debilitata tranſit. Aquæ inſtillata ſe in latam telam diffundit, quæ in ipſa aqua flammam attrahit, accenditur, & conſumitur. Omnibus Liquoribus Spirituoſis, etiam Alkoholi innatat; neque illis ſolvitur, niſi mediantibus Acidis Mineralibus, quibus ſolvi, & inſpiſſari poteſt; ſed non accendi. Cum Oleis Eſſentialibus facilè miſcetur: ut hinc Terebinthinæ Oleo frequenter adulteretur. Frigore ſæviſſimo non congelatur.

E Carbonibus foſſilibus Diſtillatione Oleum elicitur, quod Petroleo ſimillimum eſt.

Naphta vix ad uſus medicos adhibetur: laudatur tamen ad juvandam Expectorationem, adverſùs Colicam Pictonum, dolores oſteocopos,

osteocopos, & tamquam efficacissimum Antihelminticum, quo solo, optimo cum successu, Teste CELEB. HASSELQUIST, contra tæniam Caïrenses utuntur.

Externè ad Perniones scribitur valere, & Rheumatismo Remedium esse. Secundum aliquos, Lethargicorum, Apoplecticorum, colicis Doloribus vexatorum Temporibus, Naribus, Abdomini non sine fructu inungitur. Petroleum minus efficax est; ad eosdem tamen usus adhiberi posse scribitur.

PETROSELINI MACEDONICI Semen. *De Zaaden van Selderie.*

PETROSELINI VULGARIS Semen, Folia, Radix. *De Zaaden, Bladeren en Wortel van gemeene Pieterselie.*

PEUCEDANI Radix. *De Wortel van Boeren-Fenkel, of Varkens-Fenkel.*

PHU. Vide VALERIANA SYLVESTRIS.

PIMPINELLÆ SANGUISORBÆ Folia. *De Bladeren van Pimpenel.*

PIMPINELLÆ SAXIFRAGÆ Folia, Radix, Semen. *De Bladeren, Wortel en Zaaden van Steenbrekende Pimpenel.*

Prior adstringens, vulneraria censetur: posterioris variæ species, inter quas *Alba* numeratur, easdem virtutes possident. Calidum scilicet & acre Medicamentum præstant, quod in Morbis frigidis, mucosis maximæ utilitatis esse posset, & me judice non satis ad usus medicos adhibetur. Ob vires lithontripticas primùm in Medicinam introducta est, & hinc *Saxifragæ* titulo celebrata. Hanc laudem non videtur mereri. Potiori jure Menses & Lochia movere potest. Laudatur adversùs Morbos a Mercurio.

Radix masticata Sialogoga est, & Cuti applicata eam rubefacit, inflammat.

PIPER ALBUM. *Witte Peper.*

PIPER NIGRUM. *Zwarte Peper.*

Grana noti hujus Aromatis ſunt Fructus Plantæ, quæ in Malabaria, Inſula Java aliiſque Indiæ Orientalis Regionibus creſcit. Decerpuntur immaturi, virides, & exſiccando ſenſim nigreſcunt. Maturi Fructus ex eadem Planta deſumpti, luteſcentes, in Aqua ſalſa macerantur; donec exterior cuticula decidat. Tum Sole indurantur, & *Piper Album*, tam maturitate, quam maceratione *Nigro* debilius, conſtituunt. Sapor hujus Aromatis non in Oleo Eſſentiali, ut aliorum, ſed in reſinoſo & fixa parte videtur hærere: nam Oleum mite Heistero, Gaubio & Spielmanno ſuppeditavit, & Alkohol omnem ſaporem extrahit; dum interim Aqua ebulliens, vel etiam repetita coctio vix aliquid elevat, aut extrahit. Extractum Spirituoſum fervidiſſimum, igneum eſt.

Condimento & Stomachi irritamento potiùs, quam Medicamento ſervire ſolet: optimum tamen adverſùs Morbos frigidos, mucoſos, præſertim Primarum Viarum, Remedium eſſe poteſt, quod ideo fortè nimis negligimus, quia omnium Culinas ingrediens familiariſſimum eſt. Præeunte Dioscoride adverſùs Febres Intermittentes laudatur, & aliquot horas ante paroxiſmum adhibetur. Conſideratà ejus naturâ, in aliquibus caſibus ſucceſſum habet; in aliis non ſine periculo adhibetur.

Externè rubefaciens eſt, & Sinapiſmis, revellendi ergo, adjicitur. Frigidos Uvulæ tumores diſcutit. Denti carioſo immiſſum nudum Nervum adurit quaſi, & dolorem adimit. Inſecta necat.

PIPER LONGUM, ſeu MACROPIPER. *Lange Peper.*

Ad diverſam Plantam, earumdem Regionum indigenam, pertinet. Fructus exhibet cylindriacos, ſemipollicem circiter longos, qui figuram Julorum Coryli habent, & coloris extus ſunt cinerei, vel ſubnigricantis. E numeroſis Granulis vermiculato plexu diſpoſi-

tis, si faciem externam spectas, constare videntur. Odoris sunt aromatici; saporis piperini, fervidi, Linguam adurentis.

Piperis nigri principia possidet; sed fortius & præstantius ejus Aroma est, & ad usus medicos præferri debet.

PIX LIQUIDA; CEDRIUM, seu CEDRIA LIQUIDA. *Teer of Terre.*

Est Substantia fluida, pinguis tamen & spissa, quæ in Suecia præsertim & Norvegia e pinguioribus Pini Abietisque partibus vi ignis eliquatur. Coloris est nigricantis; odoris gravis, empyreumatici; saporis amari, calidi, acris. A meris resinosis succis ex eisdem Arboribus sponte effluentibus differt non solùm nigredine ab Igne contracta; sed etiam quod multa Salia contineat, quibus pars Olei Terebinthinæ, quod Pix continet, in Aqua fit solubilis. In Spiritu Vini rectificato ferè tota solvitur.

Sueci hanc Substantiam in Variolis interno usu adhibent. Norvegici in Febribus malignis. Apud nos vix in usu erat; donec *Aqua Picis* ex America deducta, Auctore CL. BERKELEY Episcopo Hiberno, innotesceret, & ubique tentaretur. Ex una parte Picis & duabus Aquæ simul mixtis, & per quadraginta octo horas in quiete repositis, conficiebatur. Decantabatur dein Aqua, quæ, continens supradicta Picis Salia & quidquid mediantibus eisdem in Aqua solvi poterat, balsamica, calida erat & acris. Ad unam duasve libras quotidie præscribebatur, & testante TRILLERO, „ credebatur tum ferè ab omnibus hoc Aurum quasi potabile „ non solùm præsentem Sanitatem diutissimè custodire; sed & jam „ amissam citissimè restituere, & omnis generis morbos certissimè „ profligare. „ Excusso demum post aliquod tempus præjudicii furore, & re saniori mente perspecta, constitit, hanc Aquam, ob vim calidam & stimulantem, Circulum intendere, perspirationem promovere aliosque Circuli aucti effectus producere: adeoque in frigidis, mucosis morbis utilem; in calidis, biliosis nocivam esse:

ita ut, cum ejus utilitati aliis multis minùs ingratis facilè suppleri possit, penitus tandem eviluerit.

Externè digerere & Suppurationem promovere scribitur. Notante Cl. Rutty „ cum pannis laneis duplicatis, cruribus Hydro-„ picorum tepidè admota per tres, quatuor, vel quinque dies „ exulcerat cutim, & fluxum largum excitat, hocque singulare „ habet, quod nihil hinc metus sit Gangrænæ, secus quam in incisionibus.

PIX SICCA. *Pek.*

Nota hæc Substantia fit e Pice Liquida, quæ Evaporatione ad solidam consistentiam ducitur. Sub operatione, cum aquosis partibus, volatiliora & præstantiora quædam principia avolant: hinc Pice liquida minus efficax est. Eadem cæterùm principia easdemque vires possidet.

Emplastra digerendi, maturandi, conglutinandi ergo ingreditur.

PIX BURGUNDICA. *Bourgondische Pek.*

Mollior est, & facile subigi se patitur. Coloris est brunnei, rubicantis; odoris gratioris; saporis subacris, terebinthinacei. Teste Cl. Geoffroy fit e Resina pinea seu candida, *Galipot* dicta, liquata cum Terebinthina communi & Oleo Terebinthinæ.

Cum Pice arida ferè viribus convenit. Externè solùm adhibetur. Rubefaciens est, quod aliqui adversùs Tusses rebelles, ab acri Pulmones irritante, inter scapulas non sine fructu applicari perhibent.

PLANTAGINIS LATIFOLIÆ, seu SEPTINERVIÆ Folia & Semen. *De Bladeren en Zaaden van gemeene breedblarige Weegbree, of Plantyn.*

PLUMBUM, seu SATURNUS. *Lood.*

Videtur omnium Metallorum imperfectissimum esse. Colore albido, splendente Stannum æmulatur; magis tamen cærulescit. Odoris,

ut etiam ſaporis, eſt particularis, proprii. Tenacitate, ductilitate, duritie, elaſticitate reliquis Metallis cedit; eadem tamen, ſi Aurum, Platinam & Mercurium exceperis, ſpecifica gravitate ſuperat: ferè duodecies enim ſimili volumine Aquæ gravius eſt. Aëri expoſitum cito griſeam rubiginem contrahit: unitis tamen Aeris & Aquæ viribus magis, quam Ferrum & Cuprum reſiſtit. Ante candeſcentiam, quingenteſimo quinquageſimo circiter gradu Farenheitiano, funditur. Sub hoc ſtatu fumum emittit, cito pulvere cinereo tegitur, & tandem totum in eumdem fatiſcit. Calx eſt hujus Metalli, quæ continuato igne flaveſcit, & *Maſſicot* vocatur; eodemque protracto rubeſcit & appellatur *Minium.* Aucto igne Minium abit in *Lithargirium*; tandem in penetrantiſſimum Plumbi Vitrum. Omnes hæ Subſtantiæ adiecto Phlogiſto facillimè in Plumbum reduci poſſunt. Hoc Metallum colliquatione reliquis Metallis, excepto Ferro, uniri poteſt. Solvitur omnibus Acidis, & cum eiſdem Salia conſtituit pro diverſo Acido diverſa. Ex his ea ſola, quæ Acidi Aceti unione naſcuntur, in uſus medicos recipiuntur. Vide CERUSA, ACETUM SATURNI, EXTRACTUM SATURNI, SACCHARUM SATURNI.

Hoc Metallum numquam nativum obtinet; ſed varia ejus Terra & Minera ſat copioſè per Europam occùrrit.

Jam Veteres tamquam exſiccans & repellens externè adhibuerunt. Annotarunt ſimul internè ſumptum venenatos effectus edere. Ab eo tempore uſque ad nos continuis celeberrimorum Medicorum Obſervatis hæc Sententia ſtabilita eſt. Sæviſſimos ſcilicet Inteſtinorum dolores; Alvi pertinacem obſtructionem, ſub Colicæ Pictonum denominatione, Præcordiorum Anguſtias; Membrorum Tremores, Convulſiones, Debilitatem, Paralyſim & totius Corporis Atrophiam producit. Longus vaſorum plumbeorum uſus, Vina Lithargyrio adulterata & præſertim hujus Metalli fuſi fumus eaſdem omnino Tragœdias agit; ut paſſim probant ægritudines Opificum hoc Metallo multùm illaborantium. Mercuriali principio hi effectus

paſſim adſcribi ſolent: in Plumbo puro nulla tamen arte Argentum Vivum detegi poteſt.

Adverſus vim ejus deleteriam laudantur pinguia, oleoſa, Lac, Balnea aliaque emollientia continuò & diu, tam intus quam extus, applicata.

Uſum externum frequentem & celebrem reddidit Cl. Goulard. Vide Extractum Saturni, & Aqua Vegeto Mineralis.

POLII MONTANI Summitates. *De Toppen van Bergpoley.*

POLYGALÆ VULGARIS Radix. *Melkwortel.*

POLYGALÆ SENEGÆ, ſeu VIRGINIANÆ; vel ſimpliciter SENECÆ Radix. *De Wortel van Senzka, of Virginiaenſche Melkwortel.*

Hæc Radix, pertinens ad Plantam Virginiæ, Penſilvaniæ & Marilandiæ indigenam, ramoſa eſt, fibroſa, nodoſa, variè contorta, digitum minorem circiter craſſa & longa, intus alba, lignoſa; Cortice craſſo, quaſi reſinoſo, flaveſcenti, quem cinerea Epidermis inveſtit, tecta. Odorem vix ullum præbet; ſaporem primò ſubacidum, mox acrem, inter Pimpinellam & Pyrethrum medium. Ore retenta Salivam elicit; fauces pungit, conſtringit, & tuſſiculam excitat. In Cortice præſertim vires hærent. Unam tertiam circiter Extracti Aquoſi, omnem radicis acrimomiam poſſidentis; unam quartam ferè Spirituoſi, debilioris, largitur.

Clariſſimus Tennent primam hujus Radicis notitiam, in Tractatu de Pleuritide anno 1736. Philadelphiæ edito, nobis impertiit. Indigenæ Serpentis Cratolophori, ſeu Caudiſoni morſui, omnibus Peripneumoniæ veræ Symptomatibus necanti, illâ feliciſſimè mederi ſolebant; quod cum Vir ille didiciſſet, ob convenientia ſymptomata, ad Inflammationes Pectoris Remedium tranſtulit. Fauſtus eventus paulò poſt a celeberrimis Lemery, De Jussieu, Du Hamel, Bou-

VART, LINNÆO aliisque comprobatus eſt, conſtititque repetitis & collatis Experimentis hoc Remedium inflammatoriam ſpiſſitudinem & quamlibet aliam humorum tenacitatem potenter ſolvere. Ut etiam adverſùs Rheumatiſmum, Arthritidem, Podagram & Febres intermittentes non ineſſicax Remedium a GRONOVIO inventum ſit. Quandoque Vomitum excitat, ſolutoſque humores per Cutis poros, Alvum & Urinæ Vias ſolet expellere: hinc in Hydrope, ubi omnia alia fefellerant, optimo cum effectu a BOUVARTIO tentata eſt. Poſt hæc encomia mirari oportet, eam in hac patria adeo neglectam eſſe, ut vix in Officinis pharmaceuticis proſtet. Sæpe nimis properè de novi Remedii viribus judicamus, idemque, prout pauca prima Experimenta ſuadent, vel ultra merita laudamus, vel, quia illico non juvit, tamquam ſemper inutile rejicimus.

Præſcribitur ad dragmam dimidiam in pulvere pro doſi, vel ejus uncia una cum duabus libris Aquæ, ad remanentiam unius libræ, coquitur, & omni hora coclear exhibetur.

Polygala vulgaris ab aliquibus *Virginianæ* ſubſtituta eſt, & ad ejus vires videtur accedere; ſed eaſdem multò debiliores poſſidet. Adverſùs Pleuritidem ſe efficacem præſtitit, & in Noſocomiis Viennenſibus, auctore magno SWIETENIO, adverſùs Phtiſim pulmonalem ulceroſam optimo hinc inde cum eventu eſt exhibita. In Hydrope tamen nihil effeciſſe, & Pleuritidis ſymptomata potiùs auxiſſe fatetur celeb. COLLIN.

POLYPODII Radix. *De Wortel van Boomvaren of Veelvoet.*

Hæc Planta ab articulis aſperis, quibus Radix notatur, videtur nomen accepiſſe. Quercubus innaſcentem viribus medicis præſtare fabula eſt. Recens in maxima & nauſeoſa doſi Alvum leniter ſubducit, & aperiens eſt: vetuſta, ſicca has dotes amittit, leviter adſtringit, & ad eos uſus, ad quos paſſim præſcribi ſolet, ſit planè ineſſicax.

POMPHOLYX, ſeu NIHIL ALBUM. *Witniet, Oogniet.*

Eſt ſubſtantia alba, quandoque flavicans, ſicca, Calcem ſeu Terram referens, inſipida, inodora, quæ ſub deflagratione Zinci, vel Lapidis Calaminaris, ejus mineræ, cum Metallis, ſub flocculorum forma, elevatur, & Fornacum parietibus adhæret. Quæ apud nos proſtat conſtat Floribus Zinci & exigua quantitate Cupri. Internè ſumpta vomitum violentum excitat; externè ſiccat. Exulet impoſterum, & perpetuò ei Flores Zinci ſubſtituantur.

POPULI NIGRÆ Gemmæ. *De Knoppen, of Botten van de zwarte Populierboom.*

Hæ Gemmæ odoris ſunt grati, balſamici; ad Storacem accedentis. Ad attactum pingues, glutinoſas ſe præbent ob Succum, quem continent, balſamicum, reſinoſum, flavum, multis Balſamis exoticis facilè æquiparandum. Spiritus Vini omnem hunc Succum & vires extrahit. Hæc Tinctura laudatur ad Alvi Fluxus ad omnia alia rebelles. Earum dotes hactenus prætervisæ, & nimis neglectæ videntur; nam ſi Unguentum exceperis, cui nomen impertiunt, vix aut numquam adhibentur.

PORRUM. *De Porrey.*

PORTULACÆ Semen. *De Zaaden van Porſelyn.*

PRUNELLÆ, ſeu BRUNELLÆ Folia. *De Bladeren van Smeerwortel, of Spekwortel.*

PRUNA GALLICA. *Franſche, of gemeene Pruimen.*

PRUNA DAMASCENA. *Pruimen van Damaſt.*

PRUNA SYLVESTRIA. *Sleepruimen; de Vrugt van den gemeenen zwarten Doorn.* Vide ACACIÆ SUCCUS.

PSYLLII Semen. *De Zaaden van Vlooikruid.*

Quia *Pulicaris* ab aliquibus vocatur Pulices paſſim arcere creditur: ſed has vires non poſſidet, & a Seminum figura nomen recèpit.

cepit. Hæc Semina masticanti glutinosa se præbent & acria; in Aqua cocta multam Mucilaginem fundunt: eorum acredo in Cortice videtur hærere, & Spiritu Vini extrahitur.

Mucilago laudatur ad fissuras labiorum, excoriationes mammarum &c. Internè inter Alvum ducentia numeratur, & teste ALPINO ab Ægyptiis adversùs Febres ardentes, biliosas, Pleuritidem aliosque Morbos præscribitur. Non videtur diversas ab aliis Mucilaginibus vires possidere.

PTARMICÆ Radix. *De Wortel van Nieskruid, of wilde Bertram.*

PULEGII LATIFOLII Folia. *De Bladeren van Poley.*

PULMONARIA ARBOREA. Vide LICHEN PULMONARIUS.

PULMONARIÆ MACULOSÆ Folia. *De Bladeren van gevlakt Longekruid.*

PULSATILLÆ NIGRICANTIS Folia. *De Bladeren van Keukenschelle, Windbloeme, Paaschbloeme.*

Venenatam hanc Plantam, ut plures alias, tentaminibus subjecit, & in Medicinam introduxit illustrissimus STOERCKIUS, qui in Opusculo anno 1771. edito, ubi eam variis factis commendat, ut probè distingueretur, Iconem adjecit. Est *Anemone pratensis* LINNÆI, pedunculo involucrato petalis apice reflexis, foliis bipinnatis distincta; BAUHINI *Pulsatilla Flore minore, nigricante, & Pulsatilla vulgaris, saturatiore Flore* CLUSII. Ejus Folia vix odorem præbent; sed naribus diutius admota in eis ardorem excitant: effluviis suis oculos lædunt: masticata acrem, urentem saporem linguæ imprimunt: cuti applicata eam inflammant, & in vesicam attollunt. Eorum Aqua Distillata acris est & penetrans. Auctor Extractum cum magna Sacchari quantitate in pulveres redactum passim exhibuit, Asseritque non solùm sine noxa posse assumi, ut in se ipso illustrissimus Vir expertus est; sed etiam pauca hujus Extracti grana

in fœdiſſimis Linguæ & Faucium Ulceribus, etiam venereis, Oſſium Carie, Gonnorrhæa inveterata, Parotide ſcirroſa, Teſticulis induratis, tumore lymphatico genu & hinc inducta immobilitate ſe præſtitiſſe efficacia. Scribit præterea levamen attuliſſe in Paralyſi, Melancholia & pertinaciſſimis Oculorum Morbis; ut Amauroſi, Glaucomate, Cataracta, Ophtalmia, Albugine & Corneæ Panno etiam poſt Variolas relicto. Tanta auctoritate commendata ab aliis & ubique tentata eſt; ſed nullibi promiſſis videtur ſtetiſſe. In Oculorum Morbis ea ſe fruſtra uſum eſſe conqueritur clariſſimus BERGIUS. Nos Extractum ab ipſo illuſtriſſimi STOERCKII Pharmacopœo præparatum & huc Viennâ allatum nihil vidimus effeciſſe.

PYRETHRI Radix. *Vuurwortel; Speekſelwortel; de Wortel van Bertram.*

Dum hæc Radix maſticatur primò Aciditas, mox ignea illa Acredo, quæ Herbæ nomen impoſuit, linguæ imprimitur, & copioſa Saliva elicitur. Expreſſus e recenti Radice Succus mitis eſt, & ejus acrimonia in reſinoſa parte videtur hærere: nam vix Aquâ; omnis Spiritu Vini extrahitur, & Diſtillatione non elevatur. Siccata etiam Radix recenti acrior eſt.

Planta, quæ hanc Radicem largitur, LINNÆO *Anthemis Pyrethrum* dicitur, & in Africa, nec non Europa Meridionali creſcit. Craſſiores & acriores Radices e Regno Tunetano afferri dicuntur.

Tamquam Maſticatorium præſertim præſcribitur, ac laudatur in Morbis Capitis & Dentium, nec non Linguæ Paralyſi a cauſa frigida; ubi ſtimulus & multæ Salivæ excretio utilis eſſe poteſt. Internè vix adhibetur: commendatur tamen ab aliquibus ad ſcrupulum unum vel duos tamquam Diaphoreticum & Diureticum adverſùs Morbos frigidos.

QUASSIA. Vide LIGNUM QUASSI.

QUERCUS Cortex & Glandes. *De Baſt van den Eekenboom*, *en de Eekelen.*

Omnes hujus Arboris partes vires adſtringentes poſſident. Uſu interno tam Cortex, quam Glandes laudantur adverſùs Diarrhœas, Dyſenterias & Febres intermittentes. Data adſtringendi & roborandi indicatione, in dictis Morbis Corticem Peruvianum certiùs agere, & præferri debere judicamus. Brunvicenſes adverſùs Eryſipelas Glandum dragmam dimidiam pro doſi in Cereviſia aſſumere, & mox in lecto ſudorem exſpectare, hocque Remedio poſt duodecim horas nec tumoris, nec ruboris veſtigium ſupereſſe, aſſeritur. Earumdem toſtarum Decoctum nuper a clariſſimo SCHROEDERO adverſùs Scrophulas, Atrophiam, Scabiem alioſque Morbos commendatum eſt. Addit celebris Vir, hoc Remedium producto tenaci fœtido ſudore curare. Hæc laus, notante cl. MURRAY, pluribus adhuc Experimentis indiget.

Uſu externo, qui interno frequentior eſt, & quo in pluribus caſibus fortè Cortici Peruviano ſubſtitui poſſet, commendatur Cortex a celeb. PLENKIO in Ulceribus Œdematoſis & Gangrænoſis. Addit illuſtris Vir aſſertum D. DESESSART: ſacculum ſcilicet cum Pulvere Corticis Quercini aliquantum impletum & Vino rubro calido aliquamdiu maceratum loco hernioſo imponi, Bracherio firmari, hacque applicatione quotidie renovata, Infantes intra quatuordecim dies, Adultos intra menſem radicaliter ab Hernia curari.

RANA. *De Kikvorſch.*

Ranarum Juſculum, tamquam demulcens Nutrimentum, Hecticis & Phtiſicis ab aliquibus commendatur. Decoctum ſex Ranarum boni habitus pro conficiendo Emplaſtro VIGONIS adhibetur. Ranarum etiam Sperma, ſubſtantiam ſcilicet illam viſcidam, corpuſcula

rotunda nigra continentem, quæ tempore verno Aquis innatat, somnium PARACELSI, tamquam efficacissimè externè refrigerans, in Medicinam introduxit. Oleum, Aquam, Emplastrum ex hoc Spermate conficere aliqui hanc Authoritatem cæcè secuti postea excogitarunt. Neglexerunt interim utrum aliquid præstet & in Materia Medica locum tenere mereatur, Experimentis evincere: quod si fecissent, jam dudum Ranæ Stagnis relinquerentur, vel saltem e Pharmacopœis exularent.

RAPHANI RUSTICANI Radix. *Mirkswortel, Capucynen Mostaert.*

Vocatur etiam *Radix Armoraciæ*, & Planta, quæ eam largitur, vocatur LINNÆO *Coclearia Armoracia*, *Foliis radicalibus lanceolatis crenatis, caulinis incisis.* Brachium crassa, ramosa, alba, cylindriaca est. Recens odore volatili, stimulante nares fortiter ferit; saporis est acris, pungentis, penetrantis. Manibus tractata effluviis suis lacrymas ex oculis excutit. Comesta ructus multos fœtidos alliaceos producit. Cuti applicata eam rubefacit. Hæ dotes in Cortice præsertim hærent, fugaces sunt, & tam Exsiccatione quam Coctione perduntur. Sub Siccatione saporem primò dulcem acquirit; post sensim fit insipida. Aqua & Spiritus Vini sola Infusione omnes Vires extrahunt, easdemque Distillatione secum elevant. Cum Aqua paucum Oleum Essentiale, fundum petens, omnem Raphani Acrimoniam possidens ascendit.

Vires incidentes, stimulantes, diureticas possidet: hinc in Scorbuto, Asthmate, Hydrope, Arthritide aliisque Morbis, ubi vasa inertia exstimulanda, & humores viscidi resolvendi sunt, tot encomia consecuta est. Eam aliqui non solùm Calculos pellere, sed etiam dissolvere contendunt: alii Antihelminticam asserunt. Nec his, nec illis credimus. Externè epispastica est.

RHABARBARI, seu RHEI Radix. *Rhabarber.*

Plantæ, quæ hanc Radicem largitur, Lapathi species videtur, & LINNÆO *Rheum Palmatum*, *Foliis Palmatis acuminatis* dicitur.

Orientis & præſertim Imperii Chinenſis indigena eſt: ab aliquibus tamen annis in Angliam, Galliam & Belgium tranſlata, harum Regionum Hiemes bene tulit.

Rhabarbarum, ut ad nos adfertur, fruſta exhibet quatuor aut quinque pollices paſſim longa; variæ figuræ (pro maxima parte oblongæ, vel ſubrotundæ) tuberoſa, ponderoſa, Cortice orbata; extus coloris flavi; intus ſtriis rubicundis, ut Nux Moſchata, variegata; odoris proprii, non nihil aromatici, adverſi; ſaporis acris, amari, adſtringentis, nauſeoſi. Maſticatum Salivam colore croceo tingit. Aqua ferè dimidium ponderis extrahit; Spiritus Vini circiter tres octavas. Vires purgantes in priori Tinctura prævalent; in poſteriori adſtringentes & aromaticæ: illæ in principio volatili hærere videntur; nam Coctione, ut etiam Toſtione, multùm deperduntur, & Aqua Diſtillatione aliquam virtutem purgantem ſecum elevat. Extractum hinc ferè iners eſt.

Partim Navibus directè ex India Orientali; partim terreſtri itinere e China in Perſiam & Ruſſiam adfertur: ut omne Rheum ejuſdem originis & patriæ videatur. Poſterius tamen mollius eſt, texturæ laxioris, minùs ponderoſum, & vires, præcipuè purgantes præſtantiores poſſidet. Hæ differentiæ a diverſo Anni tempore, quo Radices colliguntur; vel a diverſa methodo eaſdem tractandi & exſiccandi; vel a cautelis, quæ in Ruſſia in hujus Medicamenti emptione adhiberi ſcribuntur; vel tandem ab ipſo itinere pendere poſſunt.

Rheum facilè mucidum fit, & carie exeditur. Ruſſico præcipuè id accidit. Avidi Mercatores, ut hoc vitium tegant, Foraminula artificioſè implent, eademque exterius optimi Rhei Pulvere tam cautè celant, ut etiam exercitatiſſimi, niſi ſingula fruſta ſcrupuloſo examine obſervent, decipi poſſint.

Familiare, mite & ſemper innocuum Purgans eſt, quod optimè in ſubſtantia adhibetur, & Canalis Alimentarii tonum minimè dejicit:

quin in refracta dosi eumdem roborat. Urinam, Sudorem colore croceo inficit. Antihelminticum est.

RHAMNI CATHARTICI, seu SPINÆ CERVINÆ Baccæ. *De Beziën van Hartsdoorn.*

Nigræ, rotundæ sunt; pisum magnitudine æquant, & quatuor ordinariò semina continent. Hoc ultimo criterio a *Frangulæ* & *Corni fœminæ* Baccis, quibus adulterari, vel quæ eis substitui possent, distinguuntur. Implentur Succo e viridi nigrescenti, lurido, acri, adstringenti, nauseoso.

Tamquam Purgans, præsertim in Hydrope & Arthritide, laudantur. Syrupus ex eisdem confectus, ob additum Saccharum & Aromata, ipsis Baccis, vel earum Succo minùs ingratus multùm SYDENHAMO in usu erat. Nulla tamen apparet ratio, ob quam hoc Medicamentum aliis Purgantibus deberet præferri: quin contra difficiliùs agit; tormina producit; Os & Fauces siccat.

RHAPONTICI, seu RHABARBARI ANTIQUORUM Radix. *Raponticum.*

Pertinet ad Plantam a PROSPERO ALPINO circa annum 1610. e Thracia in Europam ductam, quæ C. BAUHINO *Rhaponticum Folio Lapathi majoris glabro*; LINNÆO *Rheum Rhaponticum* appellatur. Radix est oblonga, duos circiter pollices crassa; Rhei veri Radice mollior, levior, magis spongiosa; intus & extus ejusdem coloris, flavicantis; odoris minùs aversi; saporis acris, adstringentis, minùs nauseosi. Diu masticata viscidam se præbet, & transversim dissecta strias exhibet, a centro ad circumferentiam porrectas, quibus a vero Rhabarbaro facilè distingui potest.

Ad duplam triplamve dosim exhibita vires easdem ferè, quas Rheum verum, edit. Parum tamen in usu est.

RHUS OBSONIORUM. Vide SUMACH.

RIBESIA NIGRA, ſeu GROSSULARIÆ NIGRÆ Fructus. *Zwarte Aelbeziën.*

RIBESIA RUBRA, ſeu GROSSULARIÆ RIBES Fructus. *Roode Aelbeziën, Genevers.*

RICINI, ſeu CATAPUTIÆ MAJORIS Semen. *De Zaaden van gemeene Wonderboom.*

Semina hæc ovata ſub Cortice nigro, ſtriis gryſeis pulchrè variegato, Medullam albam includunt, & ſaporis ſunt acèrrimi. Duplex habere Oleum perhibentur; unum mite & dulce; alterum acerrimum, igneum. Quidquid ſit, coctione in Aqua, vel melius Expreſſione fundunt unam tertiam circiter Olei acris, quod *Oleum Ricini; Oleum Palmæ Chriſti; Oleum Cicinum, de Therva* &c. appellatur, & jam Veteribus cognitum erat. Id apud nos vix in uſu medico eſt; ſed teſte celeb. FRASER (*Medical Obſervations and Inquiries* Vol. II.) in India Occidentali optimo eventu præſcribitur in Morbis Bilioſis; obſtinatiſſimis Alvi Conſtipationibus; Colica Pictonum; Morbis renum, in quibus Alvum laxare convenit, & in ipſa Dyſenteria. Vires ab omni oleoſo expectandas habet, & agit præterea tamquam mitiſſimum Purgans, quod etiam Infantibus recens natis ad evacuandum Meconium ſine noxa porrigi poteſt. Alii non solùm has vires confirmarunt; ſed & Antihelminticas addiderunt. Omni hora coclear exhibetur.

ROSA PALLIDA. *Bleeke Roos.*

ROSA RUBRA. *Roode Roos.*

E pluribus Roſarum ſpeciebus hæ duæ præcipuè ad uſus medicos adhibentur. Ob fragrantiam ſuam analepticæ, refocillantes ſunt, & Nervis conducunt; ſed & ob idem principium quandoque Caput gravant, corpus mirè turbant; Abortum, vehementes Sternutationes, Lipothymiam, & lethalem Syncopen inducunt, ut hinc indè apud obſervatores legitur. Pallidæ his dotibus reliquas ſpecies

præcellunt. Cumque præterea multo humore saponaceo, solvente scateant, ad leniter laxandam alvum præsertim præscribuntur. Ophtalmicæ vires, quibus hactenus pollere creditæ sunt, nullo fido Experimento nituntur, & infirmo stant talo.

Rubræ evidenter balsamicæ sunt, & adstringentes. Tam extus quam intus has vires produnt. Teste clariss. MACBRIDE efficaciùs, quam Sal Marinus, putredini resistunt. Laudantur præsertim in Morbis Pectoris a laxo & debili Pulmone. Multos etiam Phtisicos earum Conservâ integrè curatos fuisse, legitur apud SCHENKIUM & in *Miscellaneis curiosis*. Optimè earum vis in his casibus, adjectis aliquot guttis Spiritùs Vitrioli, aut addito Cortice Peruviano, juvatur.

RORISMARINI Summitates & Flores. *De Toppen en Bloemen van Roosmaryn.*

Planta hæc Europæ Meridionalis incola in Hortis nostris colitur. Ejus Flores in Officinis passim *Flores Anthos* dicuntur. Tota Planta odorem habet fragrantem, balsamicum, camphoratum, proprium; saporem amarum, calidum, aromaticum, ad Lavendulam accedentem. His dotibus Flores Foliis cedunt. Vires aliquæ Aqua; omnes Spiritu Vini extrahuntur. Spiritus a Floribus Distillatione abstractus est *Aqua Reginæ Hungariæ*. Oleum odoratum, viridescens largitur, quod aliqui ad guttas quatuor vel sex, in convenienti Vehiculo, ante paroxismum exhibitum multas Febres intermittentes curasse perhibent.

Perspectis dotibus, in Morbis frigidis interno usu utilis Planta videtur: nec desunt, qui eam adversùs Morbos Capitis, Paralysim, Hydropem, Fluorem album, Ventriculi Languorem, Menstruorum defectum aliosque Morbos summis laudibus extollunt. Vix tamen præscribitur.

Extus discutit, roborat.

RUBIA TINCTORUM. *Meekrap.*

Ita vocatur Radix Plantæ LINNÆO *Rubiæ Foliis ſubſenis*; CASPARI BAUHINO *Rubiæ Tinctorum ſativæ* dictæ. Oblonga eſt, calamum circiter craſſa, lignea, fibroſa, intus & extus rubra. Saporem habet primò ſubdulcem, tum leviter amaricantem & adſtringentem; odorem vix ullum.

Multùm ad uſus tinctorios adhibetur, & in hunc finem præſertim colitur. In Medicina diureticum, detergens, aperiens Medicamentum creditur, & in Ictero præcipuè laudatur: at illi in hoc Morbo, ſæpius a Calculis Biliariis pendenti, non fidendum innuit celeberrimus CULLENIUS. Hæc Radix comeſta, jam obſervante GALENO, Urinam colore rubro inficit. Fortè ob hoc Phœnomenon Diuretici famam, ut plura alia Medicamenta, quorum aliquid immutatum per Urinas excernitur, conſecuta eſt. Minimè tamen hic effectus hanc vim probat: nam Perſpirabilis Materia & Lac Nutricum, quæ hanc Radicem aſſumpſerunt, eodem colore tingitur; ut probavit celeb. YOUNG. Quin imo Oſſa Animalium, præſertim juniorum, eâdem paſtorum multis clariſſimorum Virorum Experimentis rubra evadunt. Probatum eſt nulli alteri ſolidæ Corporis parti, nequidem etiam cartilagini, id accidere, & Animal ſub ejus uſu langueſcere, ægrotare, ac intra paucos dies perire; ſubſtitutoque alio Nutrimento, ut mors præcaveatur, ſenſim evaneſcere Oſſium Rubedinem.

Ex his Phœnomenis concluſum eſt efficax, penetrantiſſimum Remedium eſſe; quod ad difficillimos Oſſium Morbos fortè aliquid poſſet. Tentata eſt itaque adverſùs Rachitidem, & revera in hoc Morbo efficacem ſe præſtitiſſe teſtantur LEVRET, COSNIER, ROBERT, & alii. Obſervatis celebrium horum Virorum nec fidem nec famam detrahere nolumus: ſed credimus eos non ſat firmo talo ad Experimenta ſua acceſſiſſe: nam conſtat quidem Materiam Colorantem ad Oſſa penetrare; at pendentne medicæ vires hujus Radicis ab ipſa Materia Coloranti? nonne etiam Oſſa tinguntur ab *Aſperula*

Cynanchica ; a *Galio vero* ; *Galio mollugine* aliisque, quibus tamen ideo eadem Virtus non adscribitur?

RUBI IDÆI Fructus. *De Braambeziën.*

RUBI VULGARIS Folia & Fructus. *De Bladeren van gemeine Braam, en zwarte Braambeziën.*

RUTÆ Folia & Semen. *De Bladeren en Zaaden van Wynruyt.*

Hæc Planta multum apud nos culta, & hinc satis nota odoris est gravis, adversi, penetrantissimi; saporis amari, calidi, acris. Hæ dotes, præcipuè priores, exsiccatione multum minuuntur. Olei Essentialis, frigore consistentis, parvam quantitatem largitur. Multæ Vires Aqua; plures Spiritu Vini extrahuntur. Prius Menstruum Distillatione Rutæ odorem & partem acrimoniæ secum elevat; posterius nihil, ut Vis in fixa parte videatur hærere.

Tamquam resolvens, Flatus discutiens, Venenis resistens; imò Pestem arcens a Veteribus summis laudibus elata est. Apud nos stimulantes, nervinas, discutientes Vires retinuit, & in Affectionibus Hystericis, Epilepsia, Morbis frigidis; ubi solida exstimulanda, & Humores resolvendi sunt, commendatur. Antihelmintica est, & optimè in Enemate ad Ascarides præscribitur.

Externè, præsertim recens, rubefaciens est; Vires antisepticas edit, & tamquam discutiens ad contusa præscribitur. Ultimam laudem non solùm factis, sed etiam a ratione videtur mereri: nam solida leniter exstimulat, & Sanguinem e Vena missum, teste celeb. SCHWENCKE, attenuat.

SABINÆ Summitates. *De Toppen van Zevenboom, of Zavelboom.*

CASPARI BAUHINO *Sabina Folio Tamarisci* fruticosa & perpetuò virens hæc Planta appellatur; LINNÆO *Juniperus Sabina.* Sponte crescit in Europa Meridionali, & Oriente; apud nos non difficul-

ter colitur. Ejus folia odoris ſunt validi, gravis, aromatici, reſinoſi; ſaporis acris, calidi, amari. Libra una fundit circiter uncias duas & dimidiam Olei Eſſentialis calidiſſimi. Vires partim Aqua, optimè Spiritu Vini extrahuntur.

Introſumpta ob Oleum acre & calidiſſimum ſtimulat potenter Solida, & Sanguinem exagitat. Eumdem præterea, juxta celeb. SCHWENCKE Experimenta, fluidiorem & rubicundiorem reddit. Ob duos hos effectus, teſte illuſtriſſimo HALLERO, in Puella Hæmopthiſim produxit. Ob eoſdem, non ob vim peculiarem, qua in Uterum agit, Menſtrua pellit. Id præſertim efficit in iis, quibus laxa Fibra eſt & Humores viſcidi. A GALENI tempore Hæmorrhagias uterinas & Abortum producere credita eſt. Hanc vim illuſtres Viri confirmant, & non ſine Matris diſcrimine id agi aſſerunt: alii negant. Stupendam Foliorum quantitatem a gravida Puella devoratam, & ab alia unciam integram Olei Eſſentialis aſſumptam vidimus ſine abortu. Utramque tamen invaſit Cardialgia, ſummus Ventriculi Ardor, Sitis inextinguibilis & validiſſima Febris: ut hinc ſuſpectam ſaltem debere haberi concluderemus. Parca tamen ejus doſis in Morbis frigidis utilis eſſe poteſt. Ad dragmam dimidiam in Pulvere, aut ad duplam quantitatem in Decocto laudatur in Paralyſi, Fluore albo, Aſthmate &c.

Externè commendatur ad Scabiem; Ulcera ſordida, calloſa, ſpongioſa; adverſùs Gangrænam, Cariem Oſſium & Cerebri Fungum. Verrucæ venereæ, Condylomata &c. inſperſo ejus Pulvere pulchre ſubiguntur. In Aceto decocta laudatur ad Strumas. Antihelmintica eſt: ut etiam Folia umbilico impoſita, & Oleum Ventri inunctum Vermes necare credatur.

SACCHARUM. *Suiker.*

Eſt Sal Eſſentiale ſapore dulci, grato inſtructum, quod, teſte celeb. MARGRAF, e Betæ tam albæ quam rubræ, Dauci ac Siſeri Radicibus extrahi, & probabiliter e multis aliis Vegetabilibus ob-

tineri poteſt. Quod apud nos in uſu eſt pertinet ad *Arundinem Sacchariſeram*, Plantam ſcilicet inter Tropicos ſponte creſcentem, & in variis aliis Aſiæ, Africæ & Americæ Regionibus feliciter cultam. Ejus expreſſus ſuccus, ut clarificetur, & ſecundùm celeb. BERGMAN ſuperfluo Acido liberetur, pluries cum Aqua Calcis & Cinerum Lixivio coquitur: tum evaporatur; donec maxima pars frigore coaguletur, & confuſam Cryſtalliſationem ſubeat. Id concretum, *Saccharum Crudum*, ſeu *Thomæum* eſt; ob multas adhuc adhærentes extractivas & mucilaginoſas partes coloris ruſi ſeu brunnei, attactu pingue, in Aëre deliqueſcens.

Sub hac forma magnis doliis incluſum paſſim in Europam transfertur; ubi ulteriori Operatione, quam *Refinationem* vocant, & quæ egregiè ab illuſtri DU HAMEL deſcripta eſt; novâ ſcilicet Solutione in Aqua, coctione, additione Calcis, Sanguinis Bovini & Albuminum Ovorum depuratur; ut in Panes Conicos, vel in Cryſtallos regulares, *Saccharum Candum* dictas, & pro puritate adhibiti Sacchari albas vel brunneas, efformetur. Sub vario depurationis gradu Saccharum colorem mutat, & conſiſtentiam; ut tandem ultimo labore in Panes Pyramidales redactum niveum, durum, ſonorum, ſplendens ſe præbeat; in Aëre ſiccum maneat, & *Canarienſe*, ſeu *Regium* appelletur; vel cryſtalliſatum Saccharum candum largiatur albiſſimum, pellucidum.

Sub variis his varium Saccharum conficiendi proceſſibus ſemper defluit major vel minor copia Syrupi, qui pro multiplici puritatis Gradu diverſum ſe præbet, & ratione Sacchari, quod continet, in Fermentationem Spirituoſam pronus eſt. Ex eo in India diſtillatur Spiritus *Rum*, ſeu *Taffiâ* dictus.

Saccharum ita heterogeneis liberatum & ſui juris factum, ſecundùm experimenta clariſſimorum MARGRAF, LA ROUELLE, BERGMAN & SCHRICKEL, conſtat Acido peculiari, forti, unito Terræ tenuiſſimæ, & Oleo blando. In igne liqueſcit: inflammabile eſt.

& Fermentationis Spirituosæ admodum capax. Solvitur Spiritu Vini & in dimidio sui ponderis Aquæ. Misceri etiam potest Oleis, quæ, ut Resinas, Aquæ miscibilia reddit: hinc coagulationem Lactis impedit.

Tamquam gratum Condimentum multùm ad usus culinarios adhibetur. In Pharmacopœis gratiæ vel conservationis causâ Trochiscos, Conservas, Condita, Rob, Syrupos &c. ingreditur. Tamquam saponaceum, blandissimum resolvens, abstergens & potentissimum antisepticum in Medicina laudatur. Ob has dotes, & præsertim cum in Aciditatem vergere constet, tam in inflammatoriis, quam putridis Morbis optimè & cum fructu adhibetur. Ob easdem vires, quibus demulcens addi potest, laudatur in Morbis Pectoris, & quidem ob vim detergentem in Pulmonum Ulceribus. In his casibus Sacchari cum Rosis connubium utilissimum est. Testibus BECHERO, PRINGLE, MACBRIDE optimum est antiscorbuticum, cujus usu familiari Lepra & Morbi putridi jam rariùs, quam olim, incidunt. Ejus usum HELMONTIUS, DOLÆUS aliique illustres Viri condemnarunt, & ejus Acidum Dentibus, Stomacho, Nervis inimicum esse perhibuerunt. Maximam interim Sacchari quantitatem quotidie sine noxa, quin potiùs cum emolumento, devorari posse SWIETENIUS, HOFFMANNUS, TRILLERUS exemplis probant. Fatendum tamen est nimia ejus quantitate ingesta Fermentationem in primis viis oriri posse: hinc extricato Acore molestias posse adferre. Caveant ergo ab ejus usu Infantes, Virgines chloroticæ, Hystericæ, Hypocondriaci, in quibus plerumque jam indè Acidum prædominatur, & quorum præsertim dentes ejus usu denigrescunt. Vermes generare & Gluten producere passim a nostratibus Mulierculis creditur: sed utrique potius remedium esse celebres Medici testantur. Nimiæ obesitati mederi perhibetur. Si verum sit, id efficit solvendo Olea. Macilentis ergo nocere, &, ut ab aliquibus scribitur, eosdem tabidos reddere potest.

Thomæum Clysmatibus additur, ut Alvus sollicitetur. Carbonibus ardentibus inspersum Aërem depurat, & hic Vapor laudatur

ab aliquibus ad coryſas. Pulvis ejus tenuiſſimus per Calamum ſcriptorium Oculo inflatur ad delendas Corneæ maculas. Ulcerum Carnem fungoſam reprimit, eademque conſolidat.

SAGAPENUM, ſeu GUMMI SERAPINUM. *Sagapenum.*

Eſt concretus Succus gummeo-reſinoſus, qui in Media, Perſia aliiſque orientalibus Regionibus ex inciſo Frutice, needum ſatis Botanicis noto, ſtillat. Adſertur in granis, vel in maſſis, quæ evidenter e lacrymis compactæ videntur. Coloris eſt exterius ruſeſcentis; intus albidi, ſubpellucidi. Odorem habet gravem, viroſum, ex Aſſa fœtida & Galbano compoſitum; ſaporem calidum, ſtimulantem, acrem, pertinacem. Digitis ſubactum molleſcit, eiſdemque adhæret. Inflammabile eſt pruniſque injectum ſœtorem ſpargit ad Porrum accedentem. Trituratione ſuſpenditur in Aqua, & cum ea redit in nativam formam lacteam, ſub qua e frutice ſtillat. Ferè tres quartas ſui ponderis Extracti Aquoſi largitur; unam tertiam Spirituoſi. Poſterius plures Sagapeni Vires retinet.

Attenuans, reſolvens, aperiens eſt, in Viſcerum obſtructionibus Morbiſque frigidis ab hac cauſa pendentibus; ut Hydrope, Aſthmate, Menſium defectu &c. utiliſſimum. Laudatur præterea, ut Aſſa fœtida, in Morbis ſpaſmodicis a Spirituum Ataxia. Ad magnam doſim, v. g. dragmas duas vel tres, purgantes vires edit. Fœtum expellere; hinc gravidas ab eo debere abſtinere, Arabum figmentum eſt.

Externè reſolvendi, diſcutiendi, maturandi ergo ad Glandulas induratas commendatur. Ut alia Gummata acria Cutim rubefacit, Puſtulas excitat.

SAGO, ſeu SAGU. *Sago.*

Sub hoc nomine e variis Indiæ Orientalis Regionibus; nominatim ex Inſulis Moluccis, Amboina & Ternate, ad nos adferuntur Grana Hordei mundati Granis ad aſpectum non abſimilia; pauló tamen

minora; coloris extus pallidi, vel flavicantis, intus albi; odoris expertia; saporis vix ullius. Sub Dente tenacia se præbent, & vix in Pulverem redigi possunt: sponte tamen solvuntur in Mucilaginem in ebulliente Aqua, Lacte, Vino.

Grana hæc artificialia sunt: Medulla scilicet Arborum, quæ ab Itineratoribus, & Botanicis *Palmæ* species statuuntur, contunditur, Aquà eluitur, & in Panes redigitur, ut Indis Nutrimento sit; vel in Grana figuratur, & ad nos sub nomine *Sago* transfertur.

Circa initium hujus sæculi primùm in Europa in usus medicatos adhibita sunt. Leve Nutrimentum præbent, quod Infantibus præsertim & Phtisicis commendatur. Cæterùm nullas particulares virtutes possident.

SAL AMMONIACUS. *Ammoniak Zout*, *Salmiak.*

Est Sal neutrum constans Acido Marino & Alkali Volatili ad saturationem invicem unitis. Reperitur quidem *Nativum*; sed aliis plerumque junctum & in parca copia. Quod passim in Officinis prostat *Artificiale* est, & ex Ægypto sub forma Panum rotundorum, variæ diametri; tres, quatuor, quinquè libras ordinariò pendentium; una parte convexorum, alterâ concavorum adfertur. Paratur ope Sublimationis ex Fuligine combustorum excrementorum, quæ Animalia multo Sale communi pasta deponunt. Substantiam exhibet salinam, ex striis paralelis concretam, pellucidam; sed quæ in Panibus ad nos allatis plerumque sordida, nigra, fuliginosa admixta gerit. Saporem præbet salinum, amarum, omni alio Sale neutro magis acrem, & penetrantem. Frigoris sensum Linguæ imprimit. Solvitur in duplo circiter pondere Aquæ, eamque sub solutione ad Thermometrum multò frigidiorem reddit. Evaporata solutione Sal Ammoniacus in Crystallos lanuginosas, penniformes concrescit. Solvitur etiam in trigesies bis suo pondere Spiritus Vini Rectificati. In Aëre humido deliquescit. Calori perse expositus non

mutatur; sed majore, quam Aquæ ebullientis, adhibito, sublimatur. Decomponitur tam Acido Nitroso quam Vitriolico. Hæc, expulso Acido marino, se basi ejus jungunt, & cum ea *Salia Ammoniacalia* constituunt, ab adhibito Acido denominanda. Contra, Alkali fixum, tam vegetabile quam minerale, & vi ignis Terræ calcareæ se Acido Marino uniunt, ac Alkali Volatile expellunt; quod ita concretum obtinetur. Sal Ammoniacus cum Calce mixtus, & Distillationi subjectus Alkali Volatile largitur magis causticum, semper liquidum, quod Nares fortiter ferit, & in Officinis sub *Spiritus Salis Ammoniaci Volatilis urinosi*, vel *caustici* titulo prostat. Plures præterea Substantiæ Metallicæ hunc Salem decomponunt, & sub omni Decompositione a liberata volatili Basi percipitur odor urinosus.

Ab aliquot retro lustris hic Sal Brunsvigæ paratur. Ibi in Panes conicos, ut Saccharum pyramidale efformatur; purior, albissimus est, &, teste Spielmanno, minorem proportionem Alkali Volatilis continet.

Vires habet leviter stimulantes, incidentes, attenuantes, aperientes, & antisepticas: hinc utilis est in Viscerum Obstructionibus & omnibus Morbis a Vasorum inertia & Muco spisso pendentibus. Ad scrupulum unum alterumve per Sudores, vel Urinas agit: major dosis purgat: ad tres quatuorve dragmas exhibitus excitat Vomitum. Famam habet in Febribus Intermittentibus, &, attentis dictis dotibus, & intermittentium naturâ, plerumque meretur. Optimè Cortici Peruviano jungitur, dum fuganda Febris est, & tamen Viscerum Obstructiones Corticis usum suspectum reddunt. Sanguinis Coagulum impedit.

Externè ob vires antisepticas Gangrænæ opponitur. In Gargarismatibus adversùs Anginam mucosam & Linguæ Paralysim laudatur. Tamquam resolvens & discutiens applicatur Tumoribus frigidis. Celeb. Plenk præscribit ad Scabiem.

SAL

SAL CATHARTICUS AMARUS; SAL ANGLICANUS, EBSHAMENSIS, vel EPSOMENSIS. *Engelsch Zout; bitter buikzuiverende Zout.*

Hi tituli propriè significant Salem neutrum, nativum, e variis Fontibus, nominatim ex Anglico illo Urbi Epsomensi vicino, evaporatione obtentum, constantem Acido Vitriolico unito Terræ omnino particulari, tenuissimæ, levissimæ, & albissimæ, quæ, adjuncto Alkali liberata, *Magnesia Anglicana* dicitur, & tam natura quam præstantioribus viribus, omnino diversa est a Magnesia illa ordinaria, quæ e Lixivio Nitri, aut Salis communis, post horum Salium Crystallisationem & ablationem, obtinetur. Sal Epsomensis albus, pellucidus est; crystallis rectangularibus prismaticis Salem Glauberi æmulatur, & saporem prabet salinum, parùm acrem, amarum, non adstringentem. Aëris humiditatem attrahit. Nullatenus in Spiritu Vini rectificato; sed in æquali pondere Aquæ, præcipuè ebullientis, facilè solvitur. Ejus Crystallisatio magnam Aquæ quantitatem requirit: nam Igni expositus primò liquescit; dein continuato calore, & evaporatâ Crystallisationis Aquâ, concrescit in massam albam, opacam, spongiosam, friabilem, quæ dimidium sui ponderis amisit, & denuò in Aqua solvi potest.

Ei in Officinis passim substitutum prostat mixtum salinum, post Salis marini Crystallisationem & ablationem ex ejus Muria obtentum, quod constat Sale Glauberi, Sale communi, & Sale ex Acido Marino & Terra calcarea facto; vel merum Sal Glauberi, cujus Crystallisatio, ne fraudem proderet, de industria turbata est. Facile tamen hæ substitutiones dignosci possunt: nam Alkali Solutioni genuini Salis epsomensis adjectum eamdem turbat, & quantitatem Magnesiæ Anglicanæ adhibito Sali proportionatam præcipitat: cum verò Salem Glauberi non decomponat, ejus Solutionem non immutat. Idem, Solutioni Salis e residua Muria Salis marini obtenti additum, decomponit quidem Salem marinum Basi calcarea, & Terram albam dejicit; sed paucum est, neque adhibito Sali proportionatum, & diversæ indolis Præcipitatum.

Sal epsoniensis ad unciam unam, aut unciam unam & dimidiam exhibitus mite, semper tutum purgans est, cui plurimæ Aquæ medicatæ vim Alvum laxandi & suam Celebritatem debent. In minori dosi tutissimum Alterans est, quod, ut alia, pro diversis circumstantiis, hic non notandis, per diversas vias agit. SAL SEDLITZENSIS ab Epsoniensi Origine, non Natura, diversus est.

Clarissimus COTHENIUS anno 1775. Academiæ regiæ Scientiarum & elegantiorum Litterarum Berolinensi retulit, & chemicis Experimentis probavit, magnam hujus Salis quantitatem quotannis in Comitatu astensi, prope Vicum *Canal* dictum, e Telluris superficie efflorescere.

SAL COMMUNIS, vel MARINUS; SAL GEMMÆ, vel FOSSILIS. *Gemein Zout, Zeezout.*

Est Sal perfectè neuter constans Acido proprio, *Marino* dicto, & Alkali particulari, quod *Alkali Marinum*, vel *Minerale* appellatur. Dotes externas exhibet sat notas. In figuras regulares, semper cubicas, crystallisari potest. Solviter in ter suo pondere Aquæ, tam frigidæ, quam ebullientis. In Aëre humido liquescit. Igni, etiam violentissimo, expositus non decomponitur, sed primò decrepitat; id est, ejus Crystalli cum fragore in frusta dissiliunt; post aucto Igne funditur, eodemque amoto concrescit in solidam albam massam, quæ parum sui ponderis amisit: ut hinc constet parcam esse Crystallisationis Aquam. Sal sedativum, Acidum nitrosum & vitriolicum, expulso Acido marino, se ejus basi uniunt: posterius cum ea Salem Glauberi constituit.

Obtinetur ex Aqua marina, & Fontibus salinis ope Evaporationis, quæ in calidioribus Regionibus solo Sole, in frigidioribus Igne promovetur; vel jam sub forma solida eruitur e Terræ visceribus in variis Regionibus: tunc *Sal Fossilis*, vel *Gemmæ* vocatur. Utrumque iteratis Solutionibus & Crystallisatione a sordibus, Sale Glauberi, quem semper continet, aliisque depuratur.

Cibis adjectus eorumdem saporem evehit, non mutat; Stomachum ad munus exstimulat, comestorum & humorum in primis viis nidulantium viscositatem corrigit; antisepticus est. Ob has dotes tam necessariò Culinas nostras ingreditur, ut ejus penuria funestissimos tandem morbos producat. Ut alii Sales neutri vires incidentes possidet; sed os siccat, & sitim creat. In majori dosi, ut Sal Epsoniensis, vires purgantes edit.

Externè putredinem arcere quotidiano usu notum est. In minori tamen dosi eam potius accelerare docent Experimenta clar. PRINGLE, MACBRIDE & GARDANE. Fomentis adjectum Sugillationes discutit, contusiones curat. Stimulandi ergo Enemata ingreditur.

SALEP, seu SALAB RADICES. *De Wortels van Persisch Balletjes Kruid, of Standelkruid.*

Sub hoc nomine e Persia & Turcia adferuntur Radices bulbosæ, Epidermide orbatæ, plerumque sphæroideæ; variæ magnitudinis; compactæ, duræ, hinc inde corrugatæ; coloris albi, vel flavescentis; subpellucidæ; odoris nullius; saporis farinacei, mucilaginosi, ut Gummi Tragacanthi. Earum septem octavæ partes aquosis Menstruis, & juvante Calore, solvuntur in Mucilaginem.

Pertinent ad Plantam, quæ orchidis species est, & LINNÆO *Orchis morio* dicitur. Collectæ Radices, teste GEOFFROY, detractâ cuticulâ, Aqua paulisper decoquuntur; dein exsiccantur. Ita ventricosæ manent, & subpellucidæ fiunt. Radices *Satyrii*, seu *Orchidis nostratis* methodo celeb. MOULT & PERCIVAL præparatæ easdem dotes & vires habent.

Persæ analepticas, aphrodisiacas eis vires tribuunt. Has non videntur possidere; sed copiosa sua Mucilagine egregiè demulcent, & obvolvunt: hinc in Morbis, ubi acres Humores involvi, aut solidæ partes adversus qualemcumque Stimulum defendi debent;

ut in Dysenteria, Scorbuto, Vitiis Renum & Vesicæ, molesta Tussi &c. optimè præscribuntur. Leve Nutrimentum, Hecticis & Phtisicis utilissimum, præbent. Earum Mucilago multùm laudatur adversùs Morbos convulsivos Infantum.

SALVIÆ HORTENSIS MAJORIS, seu LATIFOLIÆ Folia. *De Bladeren van gemeene Salie.*

SALVIÆ HORTENSIS MINORIS, seu ANGUSTIFOLIÆ Summitates & Folia. *De Toppen en Bladeren van kleine Salie.*

Promiscuus in Officinis harum specierum usus est: posterior tamen dotibus externis præstantiores vires spondet. Olei essentialis viridis parcam quantitatem largiuntur. Vires optimè Spiritu Vini rectificato extrahuntur: nam extractum aquosum leviter tantùm amarum & adstringens est; spirituosum aromaticum præterea, camphoratum. Has Plantas ab accolentibus Busonibus venenatas reddi fabula est. Ob Insecta tamen in Foliis nidulantia subinde periculosas fuisse, hinc ante usum lavari debere, a cl. RUTTY notatur.

Salviam Veteres Materiæ medicæ Scriptores a *Salvando* nomen perhibent recepisse: eorum aliqui eam *Herbam Sacram* appellarunt, camdemque tot encomiis celebrarunt, tantisque viribus præditam crediderunt, ut mirarentur, *cur moreretur homo, cui Salvia crescit in horto.* Præcipuè adversùs Venena, Pestem, aliosque contagiosos Morbos, tamquam præstantissimum & vix fallens prophylacticum & alexipharmacum Remedium laudarunt: donec tandem Observatio sensim præjudicium excusserit. Remanserunt ergo stimulantes, calidæ, nervinæ, leviter adstringentes, in Morbis frigidis, præsertim Uteri, Pulmonum, Generis nervosi, utiles Vires. Ab illustrissimo SWIETENIO præscribitur ad sudores nocturnos a laxitate post Morbos relicta pendentes, & in fluxu seroso Mammarum post ablactationem superstite.

Usu externo discutit Tumores frigidos, Œdemata. In Gargarismate laudatur ad Aphtas, Ulcera Oris &c. Antiseptica est; nam Carnem diutius, quam ipse Peruvianus Cortex, a Putredine arcet.

SAMBUCI Folia, Flores, Baccæ & Cortex. *De Bladeren, Bloemen, Beziën en Bast van den Vlierboom.*

Folia & præsertim *Gemmæ* purgant, minùs tamen quam Cortex medianus. Extus laudantur ad dolores Hæmorrhoidum, Erysipelas, Combustiones, & Ulcera Phagadænica.

Flores volatili, leviter aromatico gaudent principio, quod Distillatione cum Aqua elevatur, & spirituosis Menstruis extrahitur. Id sub umbra Sambuci decumbentibus soporiferum esse, & nocere perhibetur: ut apud LINNÆUM, & in *Miscellaneis Curiosis* Febrium hinc ortarum Exempla prostent. Eodem principio Vasa blandè exstimulant, & Humores resolvunt. Internè itaque Sudores movent, & in Sero Lactis aliove Vehiculo infusi Commendantur ad Morbos a perspirabili retento, Erysipelas &c. Lac Nutricibus augere ETMULLERUS, & WERLHOFF testantur.

Extus discutiunt, resolvunt, anodini sunt, & Inflammationibus, Erysipelati, omnibusque ferè Doloribus opponuntur.

Baccæ Succum continent antiphlogisticum, resolventem. Exsiccatæ *Grana actes* dicuntur.

Cortex medianus ad unciam dimidiam assumptus purgat per Alvum; in majori dosi Vomitum excitat; in minori alterat, aperit, & per Urinas vel Sudores agit: hinc Hydropicorum Aquas quandoque feliciter expellit, & apud Nostrates adversùs hunc Morbum Specifici Famam obtinuit.

SANDARACHA. Vide ARSENICUM.

SANGUIS DRACONIS. *Drakenbloed.*

Ita vocatur Substantia resinosa, sicca, dura, friabilis: coloris extus obscurè rubri, intus paulò vividioris; dum in Pulverem re-

dacta est, sanguinei; odoris & saporis ferè expers, quæ ex India orientali in Massis, seu Lacrymis ovalibus, junceo tegmine tectis, & Filo inter se nexis, ad nos transfertur. Dum genuina est in Igne liquescit, inflammabilis est, & accensa Suffitum spargit leviter balsamicum, subacidum, non ingratum. Solvitur tota in Spiritu Vini Rectificato; nullatenus in Aqua. Cl. FOTHERGILL *In Medical Observations and Inquiries. Vol. I.* Speciem hujus Medicamenti e Gambia allatam describit, cujus minora Frusta pulchrè pellucent, quæ saporem magis adstringentem prodit, & in Aquâ tota solvitur. Hæc, si ad Nos perveniret, ad usus medicos præstantior foret. Species, quam hic descripsimus, stillat e variis Arboribus. Inter illas una COMMELINO *Draco Arbor Indica siliquosa, populi folio*; LINNÆO *Pterocarpus Draco* dicitur. Ex hac Origine & Colore Medicamentum nomen recepit.

Plerumque Minio, Bolo armena, & variis Resinis adulteratus prostat. Qui in Tabellis extus & intus splendentibus, unciam unam alteramve pendentibus ex Hollandia præsertim adfertur, videtur fusionem subiisse, & constat variis Gummatibus cum genuino Sanguine Draconis mixtis. Igne, vel Solutione in Spiritu Vini rectificato fraus detegi potest.

Hæc Substantia, tamquam adstringens, ad Hæmorrhagias, Diarrœas, Gonnorrhœam, Fluorem album &c. passim laudari solet; sed, cum aquosis Menstruis non solvatur, hinc Sanguinem nostrum subintrare nequeat, quid inde boni sperari potest? Absurdissimè in casu ab alto commendari SPIELMANNUS notat. Ergo, nisi quis eam pro Dentrifriciis servare vellet, sine damno e Materia medica ejici posse credimus.

SANICULÆ Folia. *De Bladeren van Sanikel of Wondkruid.*

SANTALUM ALBUM. *Wit Sandelhout.*

Ita vocatur Lignum ponderosum, ex India in magnis frustis allatum, quod omni dote ad Santalum citrinum mox descri-

bendum accedit; sed debilius est, & Coloris albi. Fibras exhibet rectas.

Vix ad usus medicos adhibetur.

SANTALUM CITRINUM, seu FLAVUM. *Geel Sandelhout.*

Est Lignum durum, solidum, ponderosum, coloris citrini, fibras exhibens rectas; odoris, præcipuè dum fricatur, vel raditur, fragrantis, aromatici, grati, e Moschi & Rosæ odoribus compositi; saporis, dum diutius masticatur, amaricantis, resinosi, subacris & non ingratè stimulantis. Distillatione cum Aqua largitur unam sexagesimam quartam Olei fragrantissimi, frigore ad Balsami consistentiam coëuntis. Vires in resinosa parte præsertim hærent; nam Spiritu Vini rectificatissimo optimè extrahuntur. Tinctura hæc spirituosa flava est, eaque inspissata Balsamum præbet coloris brunci, odoris grati, ad Balsamum peruvianum accedentem.

Adfertur ex India orientali, & pertinet ad Arborem, quæ incolis *Sercanda* dicitur. Ejusdem Arboris *Santalum Album* alburnum esse; *Flavum* Medullam aliqui asserunt. Alii duo hæc Ligna ex eadem quidem Arboris specie; sed album e juniori; flavum ex annosiori desumi, hinc posterius colorem magis evectum habere, & dotibus præstare, contendunt.

Ob vires stimulantes, analepticas, sudoriferas, quas, testibus Oleo essentiali & Tinctura spirituosa, revera possidere videtur, ab Arabibus in usus medicos receptum est: sed cum alia plura eaque præstantiora hujus Classis Medicamenta possideamus, & præterea non raro aliis Lignis adulteretur, ejus usus sensim eviluit, nec meretur reduci.

SANTALUM RUBRUM. *Rood Sandelhout.*

Adfertur etiam ex India orientali, & Medulla est Arboris, quæ Indigenis *Pantaga*, vel *Pantoga* dicitur. Fibras habet hic rectas,

illic crispas. Compactum est, ponderosum; ut Aquæ injectum illico fundum petat. Coloris est exterius e rubro nigricantis, intus sanguinei. Odorem vix ullum; saporem leviter adstringentem, & dum diu masticatur, subacrem prodit. Tinctura spirituosa intensè rubra est; aquosa subflava. Hoc Criterio, ut etiam pondere & soliditate, a Ligno *Bresilio*, cujus Tinctura aquea intensè rubra est, & quod ei passim substituitur, distingui potest.

Adstringentes, roborantes, in Hæmorrhagiis, nimiis Sudoribus aliisque profusioribus Evacuationibus utiles vires ei adscriptæ sunt. Nos e Pharmacopœis expellendum, & omne Tinctoribus cedendum credimus.

SANTONICI SEMEN; SEMEN SANCTUM; SEMEN CINÆ; SEMEN ZEDOARIÆ; SEMEN CONTRA VERMES, vel simpliciter SEMEN CONTRA. *Wurmzaad.*

Sub variis his nominibus prostant Semina parva, oblonga, e pluribus Tunicis squamosis facta; coloris viridescentis; Odoris balsamici, fortis, nauseosi; Saporis amari, subacris. Tam aquosis quam spirituosis Menstruis Odor & Sapor extrahitur. Stipites, Arenulas aliaque heterogenea plerumque admixta gerit: quin additis variis Seminibus quandoque sophisticatur.

Adfertur ex Oriente; sed nondum præcisè constat, cujus Plantæ productum sit: teste enim CARTHEUSERO „ multi recentioris ævi „ Scriptores hanc Plantam Absynthii speciebus accensent, eamque „ cum CASPARE BAUHINO plerumque *Absynthium Santonicum Judaicum & Alexandrinum* vocant. CLEYERUS, D. DE JAGER & complures alii eamdem inter Abrotani species referunt. Immo nonnulli; uti v. g. ETMULLERUS, Semen Cinæ modernum neque „ Absynthii, neque Abrotani Santonici; sed Tanaceti Semen esse, „ opinantur. „

Tamquam Carminativum, Roborans, Emmenagogum, & præsertim tamquam Antihelminticum, nec immeritò, præscribitur.

SAPO

SAPO DURUS, ALBUS, HISPANICUS; SAPO VENETUS. *Witte Spaansche Zeep; Venetische Zeep.*

Omnis Substantia orta ex unione cujuscumque Olei cum Sale tam acido, quam alkalino, Aquâ & Spiritu Vini solubilis, *Saponis Artificialis* nomine insignitur, & pro diverso adhibito Oleo, vel Sale varia est, ac varias recipit denominationes: hinc Sapo amigdalinus, starkeianus, acidus, alkalinus &c.

Sapones, de quibus hic agitur, & qui passim promiscuò ad usus medicos adhibentur, fiunt ex Oleo Olivarum & Sale alkalino addita Calce viva caustico reddito. Substantiam exhibent albam, duram, in Aëre humido non deliquescentem. Solvuntur Aqua & Spiritu Vini rectificato; sed prior Solutio turbida, flocculenta, lactea est; posterior limpida. Cum Resinis, Oleis & Balsamis subacti eadem Aquæ, & consequenter Humoribus nostris, miscibilia reddunt: ut hinc optimè cum eisdem ad usum medicum internum præscribantur. Decomponuntur omnibus Acidis, quæ se alkalino Sali uniunt, & Oleum liberant. Idem præstant etiam Acida aliis Substantiis, quam Alkali, vel Phlogisto juncta: ut hinc plures aquæ puteales ob Salem selenitosum, quem continent, Saponem decomponant.

In Laboratoriis saponariis unio Olei cum Alkali Coctione peragitur, & Sapo adjecto Sebo, vel vitiata proportione plerumque adulteratur: hinc omnis, qui ad usus medicos adhibetur, ab ipsis Pharmacopœis viâ frigidâ deberet componi. Facilis operatio est. Sumuntur partes duæ Sodæ Hispanicæ, una Calcis vivæ, & duodecim Aquæ: coquuntur paulisper simul in Vase ferreo: tum colata Solutio Evaporatione concentratur; donec ejusdem undecim dragmæ contineantur in Mensura, quæ præcisè tenet unciam Aquæ. Parti uni hujus Lixivii adduntur partes duæ Olei Olivarum, vel Amigdalarum. Mixtum subinde agitatum sensim inspissatur, albescit, & spatio septem vel octo dierum optimus exsurgit Sapo.

Juxta Analysim a celeb. GEOFFROY institutam, unciæ duæ Saponis albi communis continent unciam unam, dragmas tres, & scrupulum Olei; dragmam unam, & scrupulum Salis Alkali fossilis omni Aqua Crystallisationis orbati, & dragmas circiter duas Aquæ. Omnes ejus vires dependent a Sale Alkali, quod hic magnam virium partem retinet, & Oleo saturatum in magna dosi tutò assumi potest. Optimè hinc Sapo Acido in primis viis nidulanti Morbisque ab eodem pendentibus medetur, &, assumptis Venenis acidis; ut Aqua forti, Sublimato Corrosivo &c., præsentissimum & tutissimum Remedium constituit. Efficacissimum præterea Aperiens & Detergens est, quod non solùm optimo cum effectu Viscerum Obstructionibus; sed etiam Calculo opponitur. Ultimum hunc effectum Arcanum Domicillæ STEPHENS præsertim docuit, quod, quamvis Calculum non dissolvat, ejus augmentum tamen impedit, &, solvendo nectens Gluten, ad miserum hunc Morbum dispositos ab eodem immunes servare videtur. Plerumque in dosi peccamus, & Saponem avara nimis manu præscribimus: ut enim hic aliquid præstet, ad unciam dimidiam, aut majorem adhuc Dosim, donec Alvum laxam reddat, adhiberi debet. Notandum tamen est longum ejus usum, Humores solvendo eosdemque alkalinos reddendo, Scorbutum, Dysenteriam, quin imò Phtisim induxisse.

Externè aquosis, vel spirituosis menstruis solutus locis Rheumatismo, Arthritide, Podagra affectis, Mammis Lacte coagulato induratis, & ubicumque materiam impactam solvere mens est, applicatur.

SAPONARIÆ Folia & Radix. *De Bladeren en Wortel van Zeepkruid.*

Folia hujus Plantæ cum Aqua agitata, Saponis more, eamdem viscidam, spumosam, & tam detergentem reddunt, ut Monachos hac herba loco Saponis uti ad Pannos eluendum TRAGUS scribat. Ab his dotibus *Saponaria* dicta est, & ab aliquibus *Herbæ Fullonum*,

ac *Lychnidis Lanariæ* nomina recepit. Viſcida illa & detergens Materia, quam continet, in eo a Mucilagine diverſa videtur, quod tam Spiritu Vini, quam Aqua ſolvatur.

Radix longa, tenuis, fibroſa eſt; coloris extus flaveſcentis, intus albi; ſaporis primò dulcis, dein calidi, & acris; odoris vix ullius.

Folia vim reſolventem poſſident; vix tamen in uſu ſunt. Externè tamquam Ptarmica & Coſmetica laudantur.

Radices ab aliquibus ſummis laudibus extolluntur. CARTHEUSERUS eas ad ſatis activa attenuantia, aperitiva, diuretica, diaphoretica, Sanguinem purificantia, emmenagoga, & pectoralia Medicamenta ſpectare & in curandis multis Morbis Radices Sarſaparillæ multùm ſuperare contendit. Inter eos Luem veneream enumerat: ſed ſuſpicamur celebrem hunc Virum potiùs SEPTALII, STAHLII, & NEUMANNI Authoritatibus, quam propriis Experimentis, & Obſervatis crediddiſſe. Nuperrimè tamen celeb. SEGUY hanc Plantam revera Luem veneream curare ſe expertum aſſerit. In multis caſibus non nocebit Tentâmina repetere. Foliorum unciam dimidiam, & Radicum unciam & dimidiam coquit in tribus pintis Aquæ ad tertiæ partis conſumptionem. Æger pintam unam, vel duas quotidie aſſumit. Author pro ratione ſymptomatum præter Decoctum Ægris Pulverem, vel Extractum etiam exhibet, & ad mala topica, Fomenta, vel Cataplaſmata ex eadem Herba parata præſcribit. Vide *Affiches, Annonces & Avis divers*. Vel *Eſprit des Journaux. Juin* 1784.

SARCOCOLLA. *Sarcocolla*, *Vleeſch-Lym.*

Sub hoc nomine e Perſia & Arabia adferuntur grana parva, rugoſa, friabilia; coloris, dum recentia ſunt, albicantis, dum vetuſtiora, flavicantis cum adjuncta rubedine. Odorem præbent vix ullum; ſaporem ſubdulcem, amaricantem, ſubacrem, nauſeoſum. Igni injecta primò in bullas inflantur, tum accenduntur, & odorem ſuavem emittunt. Tota ſolvuntur in Aqua; aliqua pars in Spiritu Vini.

Testante LINNÆO stillant e Planta, quæ ei *Penæa Sarcocolla* appellatur.

Hanc substantiam vulnera consolidare GALENUS credidit, & ab hac Virtute nomen recepit. Laudatur præterea tamquam Cosmeticum, & cum Lacte ad Ophtalmiam serosam. Varias partes a Pituita liberare; sed simul suspectam esse, quia Stomacho nocet, & Calvitiem gignit, MESUE reliquit. In magna dosi exhibita revera vires purgantes edit: reliquas laudes imaginarias, & ejus vires necdum satis exploratas credimus.

SARSAPARILLÆ Radix. *Salseparille.*

Ita vocantur Radices sarmentosæ, aliquot pedes longæ, Calami anserini circiter crassitiem habentes, flexiles, tenaces, Fibrillas Capillares hinc inde emittentes. Corticem habent rufescentem, qui Substantiam cingit albam, farinaceam, Nervum medullarem album tenacem includentem. Fibras exhibent longitudinales, & facile secundùm totam longitudinem findi possunt. Odorem præbent vix ullum; saporem farinaceum, diu masticatæ glutinosum, leviter amaricantem. In Aqua coctæ eamdem colore rubro tingunt, eique omnes vires impertiunt.

Pertinent ad Plantam, quæ in pluribus Americæ meridionalis Provinciis sponte crescit, & CASPARI BAUHINO *Smilax aspera Peruviana*, seu *Salsaparilla*; LINNÆO *Smilax Salsaparilla* dicitur. Multæ numero e Capitulo pollicem circiter crasso emergunt. Adferuntur in Gyros flexæ, Corbibus coercitæ, vel in fasciculos ligatæ. Varias sordes heterogeneas plerumque admixtas ferunt. Rejici debent fragiles, extus nigræ, intus non albissimæ, cariosæ.

Hæc Radix tamquam potentissimum adversùs Luem veneream Medicamentum circa annum 1563. ab Hispanis primùm in Europam allata est. Hanc virtutem negarunt multi celebres Viri; alii allatis Experimentis comprobarunt. Celeb. FORDYCE, in *Medical Observations and Inquiries Vol. I.* plúres casus venereos adducit, in quibus

hoc Remedium, Mercurio & Ligno Guajaci frustra tentatis, opem attulit. Cl. HUNTERUS, STOERCKIUS, PLENCKIUS aliique hanc rem confirmant. Omnibus sine præjudicio perpensis, videtur revera optimum aperiens, resolvens Medicamentum esse, quod in humorum spissitudine, & Morbis ab ea pendentibus, ut Rheumatismo, Arthritide, Morbis pluribus cutaneis &c. in quibuscumque Subjectis, etiam Infantibus & Phtisicis, tutò adhiberi potest. Non desunt, qui in incipiente Cancro laudarunt, & sanationum exempla attulerunt. Optimè Mercurio jungitur, vel adversùs Luis reliquias post eum præscribitur. Radicis recentis unciæ tres in Aquæ libris tribus ad tertiæ partis consumptionem decoquuntur, & hæc quantitas quotidie ab Ægro assumitur. Eodem Decocto Ulcera, si quæ adsunt, lavantur.

SASSAFRAS Lignum ejusque Cortex. *Het Hout en den Bast van Sassafras.*

Sub hoc nomine ad nos adferuntur longa frusta Radicis Arboris americanæ, quæ LINNÆO *Laurus foliis integris trilobisque*; CASPARI BAUHINO *Sassafras arbor ex Florida ficulneo folio* appellatur. Lignum leve est, fibrosum; coloris ex albido flavescentis; odoris aromatici, non ingrati, ad Fœniculum accedentis; saporis subdulcis, subacris, balsamici. Cortex crassus, rugosus, spongiosus, extus cinereus, intus ferrugineus odore & sapore Lignum superat. Olei odorati, stimulantis, penetrantissimi, in Aqua subsidentis circiter unam trigesimam secundam sui ponderis largitur. Vires optimè Spiritu Vini rectificato extrahuntur: protracta coctione in Aqua deperduntur.

Circa medium sæculi decimi sexti hoc Medicamentum in Europam allatum est. Ob Aroma, quod continet, calidas, stimulantes, in Morbis frigidis, ubi ob laxam fibram excretiones torpent, utiles vires exercet. In hoc casu, cùm diaphoreticum, diureticum, resolvens, carminativum, roborans quandoque se præbeat, tot titulos nactum est. Eadem virtute non raró Morbos cutaneos a prædicta

causa pendentes curavit. At poteſtne aliquid adverſùs Luem veneream? dubitamus. Arbitramur potiùs aliquos Morbos a ſpiſſis humoribus & torpida fibra, ob ſymptomata communia, pro Lue venerea impoſuiſſe, & quia hoc Remedio curati ſunt, feciſſe, ut hactenus creditum ſit ſpecificas contra hunc Morbum vires poſſidere.

SATUREIÆ Folia. *De Bladeren van Keule, of Peperkruid.*

SATYRII MARIS Radix. *De Wortel van Satyrion Orchis.*

Pro viribus, vide SALEP.

SAXIFRAGÆ ALBÆ Folia & Radix. *De Bladeren en Wortel van Steenbreken met witte Bloemen.*

SAXIFRAGÆ VULGARIS Folia & Semen. *De Bladeren en Zaaden van gemeine Steenbreken, of Steenbreken der Weiden.*

SCABIOSÆ Folia. *De Bladeren van Apoſteumkruid.*

SCAMMONIUM. *Scammonie.*

Eſt Subſtantia ſicca, levis, ſpongioſa, minimo niſu in pulverem redigenda; coloris gryſei, ſubnigricantis; odoris ingrati, nauſeoſi, putridi; ſaporis amaricantis, acris. Igni injecta flammam concipit. Tota ſolvitur in Spiritu Vini probato: in Aqua ſuſpenditur, velut Emulſum lacteum. Extracti reſinoſi ultra dimidium ſui ponderis largitur; gummoſi circiter tres octavas.

Eſt Succus concretus Plantæ aſiaticæ, quæ LINNÆO *Convolvulus Scammonia* dicitur. Teſte oculari Celeb. RUSSEL, qui exactam Plantæ delineationem Societati Medicæ Londinenſi transmiſit, & eamdem in congruis Americæ locis coli curavit, menſe Junio Indigenæ Radicis ſummitatem Terrâ liberatam obliquè diſcindunt, & infra plagam Concham radici adaptant, in qua exſtillantem lacteum Succum colligant, qui exſiccatus Scammonium conſtituit. Addit celeb. Vir, optimi Scammonii colorem varium eſſe, cumque a ſic-

candi modo pendêre: cæterùm hoc Medicamentum, quia quælibet Radix paucas tantùm dragmas largitur, raró genuinùm ad nos pervenire; ſed adjectis Farina, Sabulo, Cineribus ut plurimùm adulterari; indigenaſque idem approbare, ſi leve, friabile ſit, & digito madido tractatum lacteum ſe præbeat: meliùs tamen pro detegenda fraude Solutioni ſubjici.

Præter Scammonium hic deſcriptum, quod a Patria *Aleppenſe* vocatur, altera ſpecies, ſub *Smyrnæi* nomine, quia eò ex Galatia & Capadocia adſertur, in Officinis pharmaceuticis proſtat. Diſtinguitur a priori, quod magis compactum, ponderoſius, minùs friabile ſit; ſtrias exhibeat latas, nigras, ſplendentes; minorem longè Reſinæ quantitatem poſſideat, & impurius, frequentiusque adulteratum ſit.

Validum purgans eſt, quod in ſubſtantia exhibitum plerumque ſatis mite ſe præbet, quandoque tantas turbas excitat, ut aliqui venenatum crediderint. Non deſunt Scriptores, qui poſterius ex eo fieri ſtatuunt, quod hinc indè Euphorbio adulterari putent. Id tamen Teſtes oculares negant. Videtur potiùs ob diverſam primarum viarum diſpoſitionem diverſo modo agere. Aliqui Acidis mineralibus virulentiam corrigere annisi ſunt: hinc *Diagrydium*. Correctore tamen non videtur egere, modò cum Saccharo, vel Amigdalis bene ſubactum & ſolutum exhibeatur. Smyrnæum perpetuò exulare deberet.

SCHŒNANTHUS. Vide JUNCUS ODORATUS.

SCILLÆ, ſeu SQUILLÆ Radix. *De Wortel van Zeeajuin.*

Eſt Radix bulboſa Plantæ, quæ ad littora Maris, præſertim in Hiſpania, Sicilia, aliiſque Europæ meridionalis arenoſis locis creſcit, & LINNÆO *Scilla maritima*; CASPARI BAUHINO *Scilla vulgaris*: aliis *Cepa maritima* appellatur. Non raró hic Bulbus ad aliquot pugnorum magnitudinem excreſcit: inferius multas fibras emittit: conſtat

Lamellis, ſeu Squammis craſſis, multo Succo mucilagineo, pertinaciter amaricante, acri, nauſeoſo plenis. Recens Cuti applicata eamdem rubeſacit, & in veſicam attollit; diſciſſâ odorem Ceparum prodit, & volatili principio Lacrymas excitat: ſub exſiccatione ſenſim volatilem hanc acrimoniam diperdit, & ſit inodora. Vires tam aqueis, quam ſpirituoſis Menſtruis extrahuntur.

A colore dividitur in *Albam*, ſeu *Marem*, & *Rubram*, ſeu *Fœminam*. Eadem utrique virtus eſt, & præjudicata opinio eſt, quæ hanc hactenus prætulit.

Solida exſtimulat, Humores potenter incidit: ſic optimum reſolvens eſt: ſed tantâ ſcatet acrimoniâ, ut in majori doſi venenatos effectus edat. Ut hoc vitium corrigatur, præcepit DIOSCORIDES, ut paſtâ farinaceâ obducta in Clibano coquatur. Ad grana decem vel duodecim exhibita per Emeſim, vel Alvum agit; ad granum unum alterumve per diureſim, vel ſudores. Sic in Aſthmate, vario Hydrope, Nephritide mucoſa aliiſque hujus generis morbis optimum Medicamentum efficit, quod multò adhuc præſtantius foret, ſi Ventriculi tonum non dejiceret. Optimè cum Salibus neutris præſcribitur. Ejus acredo, quæ paſſim alkalinæ indolis credita eſt, teſte CARTHEUSERO, Salibus alkalinis mutatur, & corrigitur.

SCOLOPENDRIUM, Vide LINGUA CERVINA.

SCORDII Folia. *De Bladeren van Waterlook.*

SCORPIONES. *Scorpioenen.*

Vulnera ab his Animalibus inflicta venenata & lethalia cenſentur, eorumque Oleum hujus Veneni antidotum ſtatuitur. Prius, ſaltem hic in Europa, falſum eſt; poſterius ubique ſomnium. Idem oleum, lumbis illitum, aut Urethræ injectum, Calculum ſolvere Arabum figmentum eſt.

SCORZONERÆ Radix. *Scorzoneelen.*

SCROPHULARIÆ VULGARIS Folia, & Radix. *De Bladeren en Wortel van Speenkruid, of Kankerwortel.*

A Radice tuberoſa & nodoſa primò veroſimiliter nomen adepta eſt; dein a nomine adverſùs Scrophulas laudata. Similis error multis aliis Medicamentis virtutem adſcripſit. Quin eò quondam Medicorum figmenta proceſſerunt, ut fortè a figura ad Hæmorrhoides commendetur. Quidquid aliqui probare nitantur, nec in hunc, nec in illum Morbum videtur aliquid poſſe, & vires, ſi quas habet, hactenus ignotæ ſunt.

SEBESTEN. *Een ſoort van Borſtpruimen.*

Sunt Fructus ex India orientali allati, prunis ſimiles, ſed minores. Pulpa carnoſa, dulcis, mucilaginoſa arctè Oſſiculo, Neucleum dulcem includenti, adhæret.

Inter pectoralia demulcentia numerantur. Vix amplius in uſu ſunt.

SEDI MAJORIS, ſeu SEMPERVIVI MAJORIS Folia. *Donder-Bladeren, de Bladeren van Huislook.*

Succus Foliorum clarificatus, cum æquali quantitate Spiritus Vini per ſe rectificati mixtus, Coagulum prodit album, quod ope filtrationis a Liquore ſeparatum Cremorem Lactis aſpectu æmulatur; ſaporis herbacei, acris eſt, & libero aëri expoſitum citò avolat. Celeb. BURGHART, qui primus hoc phœnomenon videtur detexiſſe, cum crederet Spiritum Vini liquorem eſſe ad Acidorum naturam accedentem, ex eodem concluſit, Sedum in ſe continere Salem maximè volatilem, urinoſo præ cæteris ſimilem: ſed celeb. CARTHEUSERUS, Alkoholis indolem melius doctus, contrarium ex eo deduxit, & inſtitutis ulterioribus Experimentis probavit, Sedi Succum acidæ potius indolis eſſe: nam ab addito Alkali, tam volatili, quam

fixo, idem præterpropter nascitur Coagulum, & ab adjectis quibuscumque Acidis non mutatur. Vide CARTHEUSERI *Fundamenta Materiæ Medicæ.* Tom. I. pag. 474.

Aliqui usum Succi internum, titulo refrigerandi, suadent in Febribus, & adversus Diarrhæas putridas. Non sine fructu Aphtis & Ulceribus laxis, putridis, præcipuè scorbuticis, adhibetur. Commendatur etiam ad Clavos Pedum & Verrucas.

SEDI MINORIS, seu ILLECEBRÆ Folia. *De Bladeren van Muurpeper.*

Hæc Planta est *Sedum acre* LINNÆI; *Sedum minus, vermiculatum, acre* CASPARIS BAUHINI; *Sedum parvum acre, flore luteo* TOURNEFORTII; *Illecebra, seu Sempervivum tertium* DODONÆI. Saporis est acerrimi, pertinacis: introsumpta Vomitum excitat, & cuti applicata eamdem rubefacit; in vesicam attollit, & exulcerat. Ejus acrimonia fixa est; nec ab Alkalinis, nec ab Acidis mutatur, & tam aquosis, quam spirituosis Menstruis extrahitur.

Viribus ad præcedens Sedum accedit; sed longè majori pollet acrimonia. Ab aliquibus proponitur tamquam insigne Antiscorbuticum.

Extus Tumores scrophulosos scribitur resolvere, & Cancrum saltem multùm emendare.

SENEKA Radix. Vide POLYGALA SENEGA.

SENNÆ Folia & FOLLICULI. *Zenebladeren en Zaadvaten.*

Plures species Foliorum a varia Patria variè denominandæ ad nos adferuntur. *Alexandrina* folia sunt quartam pollicis partem lata; pollicem circiter longa; sine acuto terminata, firma, lævigata; coloris ex viridi flavescentis; odoris proprii, languidi, non ingrati; saporis amari, subacris, nauseosi, dum diu masticantur, viscosi.

Vires tam ſpirituoſis, quam aquoſis Menſtruis extrahuntur, & Extracti aquoſi unam quartam, ſpirituoſi unam octavam CARTHEUSERO & NEUMANNO dederunt.

Sæpè Foliis his alexandrinis ſubſtituuntur 1°. *tripolitana*, quæ majora ſunt, viridiora, ſine terminantur magis obtuſo, & odorem habent debiliorem; 2°. *italica*, majora, rotundiora, tenuiora, fragiliora, magnis venis diſtincta; 3°. *mokana*, anguſtiora, longiora, acutiora. Tres hæ ſpecies viliores cenſentur: pertinent tamen ad eamdem Arbuſculam, LINNÆO *Caſſiam Sennam* appellatam, eadem ferè Principia largiuntur, & viribus ad Sennam alexandrinam tam prope accedunt, ut aliqui, inter quos eminet LINNÆUS, malè poſtponi aſſerant.

Folliculi ſunt Capſulæ ſeminales, ſemilunares, compreſſæ, virides, plura Semina oblonga, nigricantia includentes. Saporem Foliorum, ſed debiliorem habent; odorem vix ullum. Reliquis dotibus vix differunt.

Tam Folliculi, quam Folia familiariſſimum Purgans conſtituunt, & præſertim præſcribuntur in Decocto, quod tamen per ſe ingrati odoris & ſaporis eſt. Hæc vitia aliqui additione Foliorum *Scrophulariæ aquaticæ* corrigi volunt: meliùs & certius odor leni coctione; ſapor addito Aromate emendatur. Sæpè tormina producunt. Id non a Stipitibus, ut paſſim creditur, ſed a Reſina Inteſtinis adhærente pendet, & multùm præcavetur, ſi in majori quantitate Vehiculi decoquantur. Protractiorem Coctionem non ferunt.

SERPENTARIÆ VIRGINIANÆ Radix. *De Virginiaenſche Slangenwortel.*

Eſt Radix Plantæ perennis in Virginia & Carolina creſcentis, quæ Ariſtolochiæ ſpecies videtur, atque hinc LINNÆO *Ariſtolochia ſerpentaria* dicitur. Multæ tenues fibrillæ e communi capite emiſſæ hanc Radicem conſtituunt. Dum ad nos affertur ei hinc indè

Plantæ folium adhuc adhæret. Coloris est extus brunei, intus flavescentis; odoris aromatici, camphorati, ad Valerianæ Radicem accedentis, sed gratioris; saporis amari, calidi, acris. Hæ dotes tam aquosis, quam spirituosis Menstruis extrahuntur; Tinctura spirituosa aquosâ tamen acrior est. Olei essentialis acris parcam quantitatem largitur.

Circa medium præcedentis sœculi, tamquam præstantissimum Alexipharmacum, ad nos allata est. Ab Americæ Incolis, tam introsumpta, quam extus adhibita, adversus Venenum Serpentum summis encomiis celebrabatur: hinc videtur nomen recepisse; sed de hac virtute dubitamus. Ob vires aromaticas & antisepticas, quas certò insignes possidet, laudatur a celeb. PRINGLE in Febribus exanthematicis & malignis, ubi vis Vitæ exstimulanda est: sed monet ipse clarissimus Vir ob vires calidas in parciori dosi debere præscribi. Fatetur celeb. CULLENIUS se optimos hinc indè hujus Medicamenti effectus observasse: sed notat simul in merè nervosis febribus nocere, malignas rarius occurrere, aliaque dari minus incendiaria, quæ tutius adhiberi possunt; ut asserat demum, se ab ejus usu omnino destitisse. Aliqui adversùs Febres intermittentes utiliter Cortici peruviano jungi asserunt. Nec desunt, qui tantam, vim febrifugam ei attribuunt, ut non rarò quartanas pertinacissimas, frustra etiam adhibito Cortice, percurare contendant. Virtus diaphoretica, quæ passim ei adscribitur, pendet ab Aromate. WILLISIUS commendat ad Motus convulsivos.

SERPYLLI Folia. *De Bladeren van wilden Thym.*

Virtutem habent aromaticam, ad Thymum vulgarem accedentem, sed debiliorem: sine damno itaque exulare posset: nisi quis ob vim specificam, qua, teste LINNÆO, Cephalæam a Crapula inductam tollit, retinere vellet.

SESELIS VULGARIS, seu SILERI MONTANI, vel LIGUSTICI Semen. *De Zaaden van Seselikruid.*

SESELIS MASSILIENSIS Semen. *De Zaaden van italiaensche Holwortel.*

Aromaticis his Seminibus multa alia sine damno substitui possunt: hinc vix adhibentur. Posterius Cicutæ Antidotum esse SCHRODERUS somniavit.

SIGILLI SALAMONIS Radix. *De Wortel van Salamons Segel.*

SIMAROUBÆ Cortex. *De Bast van Simarouba.*

Est Cortex Arboris in variis Americæ meridionalis locis crescentis, sed needum satis bene distinctæ. Adfertur in frustis latis, longis, in lacinias divisis, fibrosis, tenacibus, quibus non raro portiones Ligni albi, levis, insipidi adhærent. Extus leviter rugosus est, coloris flavescentis, intus pallidioris: odorem habet nullum, saporem amarum. Vires optimè Aqua extrahuntur: coctione eamdem lacteam, spumosam reddit. Hoc criterio ab aliis Corticibus, quibus quandoque adulteratur, dignosci potest. Cum Vitriolo Martis nullam adstringentiam prodit.

Tamquam Specificum adversùs Dysenteriam anno 1713. e Guiana in Europam allatus est. Medici galli in epidemica Dysenteria anni 1718. cum jussu regio primi tentaminibus subjecerunt, & ejus virtutem laudarunt: hanc postea plures celebres Viri non solum confirmarunt, sed & addiderunt, hoc Medicamentum specifica quadam vi Morbi fomitem corrigere & eliminare; nullatenus verò adstringendo agere. Considerata varietate Dysenteriæ ab Observatoribus allata, specifica hæc vis difficulter concipitur. Datur sub forma Pulveris; vel dragmæ duæ in duabus Aquæ libris decoquuntur, ad tertiæ partis consumtionem, & tertiâ quaque horâ unciæ quatuor exhibentur. Non obstante hac celebritate candidè fatemur, nos pluries in Dysenteria annorum 1781. & 1782. hoc Decoctum, præmissis strenuè evacuantibus, tentasse, idemque nihil nobis effecisse. Vires Medicamentorum tam densis mersæ adhuc la-

tent tenebris, easdemque stabilire res est tot difficultatibus, tot erroribus obnoxia, ut saltem suspicari liceat, hujus Corticis effectus needum satis bene evictos esse, & ejus famam præjudicata hactenus niti opinione. In magna dosi Vomitum excitare, & Alvum potenter solvere scribitur: si fides relatis, ad tantam dosim Guiani exhibent: sic illi morbi fomitem fortè feliciùs, quam quovis alio Remedio, expellunt. Turbis verò hac methodo excitatis perterriti Europæi Medici dosim correxerunt, & illam fortè tum demum salubritatis punctum attigisse crediderunt, quando inefficax facta est. Certè Guianorum methodus apud nos non satis probata videtur, & a Viris præjudicio liberis deberet repeti.

Nostra dosis varios alios Alvi fluxus, Colicam habitualem, & Uteri Hæmorrhagias scribitur curasse. Fortè potiùs viribus alterantibus, quam roborantibus.

SINAPIS Semen. *Mostaerdzaad.*

Nota hæc Semina Distillatione cum Aqua Oleum fundunt limpidum, acerrimum, Aqua specificè gravius: expressione verò ordinarià Oleum mite, insipidum; quo ablato, pasta remanet acrior. Lacti addita idem coagulant, & Serum largiuntur acre. Eorum vires optimè aquosis Menstruis extrahuntur.

Introsumpta Stomachi fibras exstimulant, & viscidum Gluten primarum viarum parietibus adhærens attenuant: hinc non inutile Condimentum constituunt. In majori dosi Vomitum excitant: dragma una alterave eorum Pulveris id efficit; dum tamen integra Semina ad unciam dimidiam, vel integram assumpta non Vomitum, sed Alvum movent. In minori dosi diureticam, vel diaphoreticam vim exercent. Videtur eorum stimulus citò per totum corpus diffundi, & in Nervorum Morbis a causa frigida; ut Paralysi, Apoplexia &c., meritò laudari. Vi antiscorbutica Coeleariam æmulantur, celebri Rupellensium exemplo: ob hanc causam ad Hydropem, & adversùs Febres intermittentes per se, vel cum Cor-

tice peruviano ab aliquibus commendantur. In nimia copia assumpta sanguinem adeo attenuant, ut lethales Hæmorrhagias scribantur produxisse.

Externè attrahunt, revellunt, rubefaciunt: hinc Supplantariis frequentissimè adduntur. Tumoribus duris imposita eosdem discutiunt, vel eorum Suppurationem adjuvant.

SOLANUM LETHALE. Vide BELLADONA.

SOLDANELLÆ, seu BRASSICÆ MARINÆ Folia. *De Bladeren van Zeewinde of Zeekool.*

SOPHIÆ CHIRURGORUM Semen. *De Zaaden van Harikskruid.*

SORBI SYLVESTRIS Cortex & Fructus. *De Bast en Vruchten van den Sorbenboom.*

SPERMA CETI. *Spermaceti.*

Ita perperam vocatur substantia alba, sicca, quæ sub Squammarum, vel Lamellarum nonnihil splendentium & subpellucidarum forma ad nos transfertur. Tenera est, fragilis; saporis pinguis, mitis; odoris proprii, levis, non ingrati. Ætate flavescit, & fit rancidum. Hoc vitium tamen Lixivio alkalino & Spiritu Vini auferri potest. Minimo calore funditur, & facescit in verum Oleum, denuo concrescens Calore evanido. Sulphuri uniri potest; inflammabilis est: Aquæ connubium respuit: solvitur omnibus Oleis, Mucilaginibus, Vitello Ovi. Duabus posterioribus substantiis juncta Aquæ miscibilis fit. Cum Saccharo subacta, affuso aquoso Vehiculo, separatur. Spiritus Vini rectificatissimus parum Olei subtilioris extrahit, reliquam substantiam intactam relinquit. Hoc præ aliis Pinguedinibus peculiare habet, quod Alkali parum in eam possit, & quod Distillationi subjecta, tota sine vestigio ferè Empyreumatis, sub forma materiæ butyraceæ, transeat.

Desumitur e Cerebri & Medullæ spinalis Balænarum Oleo, in quo ex Animali exempto velut in Crystallos concrescit. Liberatur ab admixto Oleo heterogeneo additione Lixivii alkalini, Lotione &c.

Recens vires habet demulcentes, relaxantes, obvolventes, ab aliis blandis Oleis non diversas: ut eadem, rancidum factum etiam irritans, acre, venenatum est. Reliqua encomia imaginaria sunt.

SPICA VULGARIS, seu LAVENDULA ANGUSTIFOLIA. Vide LAVENDULA.

SPICA NARDI. Vide NARDUS INDICA.

SPIGELIA ANTHELMIA, seu ANTHELMINTICA. *Brasiliaensch Wormkruid.*

Ita a celeberrimo LINNÆO vocatur Planta annua spontè crescens in America meridionali & præsertim in Brasilia. A clarissimo BROWNE, qui primus Plantæ Iconem dedit, & eamdem Europæ notiorem reddidit, appellatur *Spigelia quadrifolia, spicis terminalibus.* A multis sæculis tamquam potentissimum Remedium adversùs Vermes, præsertim Lumbricos, apud Indigenas celebris erat. In hunc orbem allata, & europæorum Medicorum tentaminibus subjecta hanc famam videtur sustinuisse: ut dolendum sit, Remedium, adversùs Morbum quælibet nota sæpius eludentem, hactenus in nostris Pharmacopoliis non inveniri. Integra Planta adhibetur. Cl. DAHLBERGI Medici succi methodo præscribitur in pulvere ad scrupulum unum ter de die; vel ad triplam quantitatem in Infuso, quod addito Saccharo & Succo Limoniorum gratius reddi potest. In ejus usu pergitur per quatuordecim dies, & omni triduo Ægro lene purgans exhibetur. Dicta dosis perpetuò, etiam sub Febre & Convulsionibus, innocua visa est: major oculos obnubilare, somnum inducere, & vehementer sursum deorsumque evacuare scribitur.

SPIGELIA

SPIGELIA MARILANDICA. *Marilands Wurmkruid.*

Eſt Planta perennis creſcens in Carolina auſtrali, LINNÆO *Caule tetragono, foliis omnibus oppoſitis* diſtincta; adeoque cum præcedenti, quamvis etiam, ut illa, ob vires antihelminticas celebris ſit, non confundenda. Non obſtante fama, necdum etiam ad nos delata eſt. Videtur priori efficacior eſſe, & fatentur LINNING & GARDEN, celeberrimi in hujus Plantæ patria Medici, ſe certius Remedium antihelminticum non cognoſcere. Ejus Radix præſertim in uſu eſt. Præſcribitur vel in pulvere ad unam alteramve dragmam, vel in Infuſo aquoſo ad duplam triplamve quantitatem. Hoc Saccharo, vel Lacte tam gratum reddi poteſt, ut ab Infantibus facillimè aſſumatur. In majori doſi vomitum excitare; in minori, ut Rheum, Alvum laxare ſcribitur. In quocumque caſu, etiam in Febribus tutò exhibetur, & Vertigo, Caligo Oculorum eorumdemque Motus convulſivi, quæ ſymptomata quandoque produxiſſe fertur, brevi ceſſant, vel adjectis paucis guttis Olei cujuſdam eſſentialis præcaveri poſſunt.

SPINA CERVINA. Vide RHAMNUS CATHARTICUS.

SPONGIA. *Spons.*

Eſt ſubſtantia levis, mollis, fibroſa, tenax, compreſſilis; coloris fuſci, vel flavi; odoris proprii, piſcoſi; ſaporis vix ullius. Fruſta exhibet variæ magnitudinis, quæ multis foraminibus, plus minus magnis, totidem canalium undique Spongiæ fabricam percurrentium orificiis, perforata ſunt. Liquori immiſſa his canalibus eumdem haurit, & intumeſcit.

Spongia peculiarium Vermium opus & domicilium eſt, & conſequenter animalis originis; probantibus id non ſolùm rerum naturalium Indagatorum Obſervatis; ſed etiam chemica Analyſi: nam Diſtillationi ſubjecta magnam quantitatem Alkali volatilis largitur, & in Cineres redacta multum Alkali foſſilis. Rupibus accreta in Mari mediterraneo præſertim invenitur.

Spongiæ ustæ usus antiquus est. Vis resolvens ei passim adscribitur, & ad Strumas etiam apud nos famam retinuit. Præscribitur ad scrupulos duos, aut dragmam quotidie. Quod potest soli Sali videtur debere. ARNOLDUS DE VILLA NOVA, qui primus eam in hunc scopum laudavit, lunæ phasibus ejus usum accommodandum voluit. Cautela hæc nostri sœculi non est.

Quidquid aliqui de viribus internis probare nitantur, ejus usus externus nobis magis rationalis videtur. Utiliter, ut Agaricus, vulneratæ Arteriæ ad sistendum Sanguinem imponitur. Cerâ præparata, multum compressâ, dein figurata, ob vim intumescendi, dilatandis Vulneribus & Ulceribus immittitur. Ejus Lamellæ latis & multum suppurantibus ulceribus, ut Puris tenuiorem partem imbibendo ejusdem absorptionem impediant, optimè imponuntur. Vide *Medical observations and inquiries*. Vol. II.

STANNUM.

Est Metallum colore albido & splendore Argentum æmulans, ut Plumbum, molle, malleabile, vix elasticum, vix sonorum; odoris, ut etiam saporis, proprii, sed vix notandi. Dum flectitur Stridulum sonum edit. Omnium Metallorum levissimum est: nam in Bilance hydrostatica septimam circiter partem sui ponderis amittit. Igni commissum citius etiam, quam Plumbum, & ante candescentiam funditur; odorem emittit sulphureum, alliaceum, arsenicalem, & mox pulvere tegitur gryseo, qui Calx Stanni est, & addito Phlogisto denuò in idem Metallum redire potest. Stannum cum Nitro Igni expositum inflammatur, & detonat. Solvitur omnibus Acidis; optimè tamen Acido marino & Aqua regia. Ab his Menstruis adjecto Alkali liberatum vocatur *Magisterium Stanni*. Aceto solutum, dein in Crystallos redactum appellatur *Sal Jovis*. Omnibus Metallis uniri potest iisque ductilitatem demit; præsertim Auro & Argento. Tam arctum cum Arsenico, quamvis volatili, connubium contrahit, ut numquam posthac, nisi fortè Solutione in Aqua regia & Crystallisatione, ab eo separari possit. Ob hanc

rationem hoc Metallum, cum omnes ferè ejus Mineræ venenosam hanc substantiam admixtam habeant, vix Arsenico liberum occurrit.

Eruitur in India, Germania, Anglia. Hoc ultimum passim optimum censetur. Constat tamen Experimentis cl. Virorum BAYEN & CHARLARD Stannum indicum in Insulis Malaca & Banca erutum purissimum esse, nec ullo Arsenico contaminatum. Omne ferè, quod ad nos adfertur, Plumbo adulteratum est.

Ob dicta aliqui omnem Stanni usum, etiam mechanicum pro mensa & culina, suspectum habent. In Medicina vix adhibetur. Clarissimus MEAD laudavit tamquam Antihelminticum, & celeb. ALSTON, in *Medical Essays and Observations Vol. V.*, præsertim adversus Tæniam. Non desunt observata, quæ hanc vim confirmant. Clarissimus Author hoc Remedium credit agere se interponendo inter Tæniam & Intestinum; ut sic Vermis minus adhærens dato postmodum purgante facilè expelli possit. Calx Stanni *antihecticum poterii* ingreditur: sed hoc Medicamentum, iners saltem, si innocuum, ejici debet.

Pulverem Stanni tenuissimum, cum dupla quantitate Sacchari & pauxillo Vitrioli communis, oculo ad granum unum inflatum commendat celeb. PLENCKIUS ad deterenda Corneæ Leucomata, additque hunc pulverem magni BOERHAAVII arcanum fuisse.

STAPHIDISAGRIÆ seu HERBÆ PEDICULARIS Semen. *De Zaaden van Kattenpeper, of Luiskruid.*

STIBIUM, seu ANTIMONIUM. Vide ANTIMONIUM.

STŒCHADOS Flores. *Stechasbloemen, Rhynbloemen.*

STRAMONII Folia. *De Bladeren van Doornappel, of Dollenappel.*

Est *datura Stramonium* LINNÆI, *Pericarpiis spinosis, erectis, ovatis, foliis ovatis, glabris* distincta; *Solanum fœtidum, Pomo spinoso oblongo* CASPARIS BAUHINI. Planta annua est americanæ originis, sed

quæ jam nimis frequens in Europa occurrit. Ejus folia magna funt, ovata, lætè viridia, glabra, in latas lacinias divifa: odorem habent ad Sambucum accedentem, fed magis virofum, narcoticum; faporem amarum, fubacrem.

Omnes hujus Stirpis partes venenatæ videntur. Clariffimus GMELIN, qui in *Nov. Act. Natur. Curiof.* Vol. VI. hiftoriam Venenorum vegetabilium Sueviæ Indigenorum impertiit, è collectis undique Obfervationibus, fequentibus verbis Stramonii noxas defcribit: „ Vegetabilis hujus & herba, ejufque vapores in conclavi claufo „ exhalantes, & flores, & fructus, & femina, præcipuè eorumque torrefcentium exhalationes, nunc malo dolo, nunc ex „ imprudentia ingefta, in Afia & America, æque ac in Europa, „ pro alia atque alia dofi, forma, mixtione, corporis, in quod „ recipiuntur, conftitutione inebriant, memoriæ exercitium aut „ fufpendunt aut tollunt; deliros, amentes, infanos, quin „ rabiofos reddunt homines; Sagarum fomnia inducunt; Convulfiones, Tremores, Sudores frigidos, Sopores, Tendinum „ plerumque fubfultibus ftipatos, ipfum Morbum attonitum excitant; artuum vigorem, mobilitatem & fenfibiliatem fupprimunt, „ vel delent; ficcitatem & fitim creant intolerabilem; vires cordis „ mirificè minuunt; fenfuum aut aciem obtundunt aut exercitium „ tollunt; vertiginem, præternaturalem pupillæ eamque refractariam dilatationem, oculorum fcintillationes, rigores & loquendi „ impotentiam, nunc immodicos in univerfo corpore ardores, „ nunc membrorum frigus generant; nonnumquam etiam inanes „ vomendi conatus, atque in regione ventriculi pruritum ad „ fcalpendum excitantem, temporarios abdominis tumores, atroces „ capitis dolores, faciei rubores, menti horrorem, impudentiffimam libidinem, dentium ftridorem, infpirationem diuturnam, „ exfpirationem celerrimam inducunt, atque haud ratò fubito vel „ brevi tamen temporis fpatio occidunt. Externè etiam oculis impofita ejus folia triftiffimam pupillæ produxêre paralyfin.

Non obſtantibus his effectibus, quibus hæc Planta ſe diriſſimum, præſertim ſtupefaciéns, Venenum probat, etiam in uſus medicos ducta eſt: illuſtriſſimus enim STOERCKIUS, cui multa alia tentamina circa Venena vegetabilia debemus, cum hanc Stirpem mirè corpus humanum afficere, & præſertim ſenſorium commune ac nervos mutare videret, probabile judicavit, eamdem in minori doſi, quam ut noceret, adhibitam adversùs earumdem partium morbos poſſe ſaluti eſſe: tentavit itaque ejus Succum leni igne ad Extracti ſpiſſitudinem redactum in Mania, Epilepſia & Convulſionibus, eo cum eventu, ut in prioribus duobus morbis auxilio foret; convulſiones vero exaſperaret. Hæc tentamina orbi medico anno 1762 communicata plures celebres Viri illico repetierunt; ſed cum tam vario ſucceſſu, ut de hujus Medicamenti viribus vix aliquid certi hactenus ſtatui poſſe videatur. In Noſocomio Stockholmienſi e quatuordecim ægris Epilepſia & Convulſionibus detentis octo ſanati & quinque emendati leguntur. Plures alii celebres Medici ſimilia ſanationum exempla attulerunt; dum interim celeb. GREDING aliique variarum Regionum ſagaces Medici non ſolùm doleant vix aliquid illis effeciſſe, ſed etiam conquerantur hoc Remedium quorumdam Ægrorum mala exaſperaſſe; aliquos etiam miſeræ & immaturæ morti dediſſe, pluriesque, licet a grano uno incipientes ſenſim tantum doſim augerent, ſymptomata produxiſſe, quibus acrimoniam proderet & virulentiam. Si alicubi juvat, ſpectatâ Obſervationum ſummâ, in Epilepſia præſertim id præſtare videtur.

Externè folia ad tumores duros & præſertim Mammas induratas commendantur: eorum Succus laudatur ad ambuſta. Non perpetuò ſine noxa externè adhiberi ſupra allatum eſt.

STYRAX CALAMITA. *Storax, Joden Wierook.*

Eſt ſubſtantia gummeo-reſinoſa, coloris e badio ruſi; odoris ſuavis ad Balſamum Peruvianum & Benzoinum accedentis; ſaporis amaricantis, ſubacris. Adfertur in maſſis, quæ præli, in quo preſſæ ſunt, veſtigia adhuc exhibent. Inter digitos facilè conteritur: in ore

non ſolvitur, ſed ductilis fit. Igni injecta primò liqueſcit; dein accenditur, & ſuavem ſuſſitum ſpargens tota deflagrat. Scrobem ligneam, neſcio in quem uſum, adjectam aliaque heterogenea admixta gerit. Aqua Tincturam extrahit aureo luteam, ſaporis amari, balſamici, nauſeoſi, & circiter quartam partem ſolvit, eademque Diſtillatione abſtracta multum odoris ſecum elevat. Spiritus Vini rectificatus, heterogenea & gummoſam partem relinquens, Reſinam ſolvit, quæ ita pura obtineri poteſt, & ter gummoſæ partis pondus adæquat. Hæc Reſina Benzoino analoga eſt, & Diſtillationi ſubjecta cum Oleo empyreumatico etiam Salem, Flores Benzoini æmulantem, largitur. Idem Sal coctione in Aqua etiam ex illa obtineri poteſt.

Præter hanc Styracis ſpeciem, quæ ſola paſſim in Officinis obvia eſt, duæ aliæ a Materiæ Medicæ Scriptoribus memorantur, & in Curioſorum Muſeis aſſervantur: prior *in Granis* appellatur: lacrymas exhibet albidas, ſubpellucidas, puriſſimas, piſi magnitudinem habentes. Odoris eſt ſuaviſſimi, fragrantiſſimi; reliquis dotibus & principiis parum a vulgari ſtyrace diverſa. Altera ſpecies maſſam exhibet e rubro fuſcam, pinguem, tenacem, facilè liqueſcentem, cui interiùs particulæ, ſeu lacrymæ albæ, quas diffractas Amigdalas diceres, intermixtæ ſunt. Pura eſt; dotibus ad duas alias ſpecies accedit, aliquibus *Storax in granis* appellatur, & ſub hoc nomine nuper a Pharmacopœis anglis divendita eſt.

Pertinet hoc Medicamentum ad Arborem, quæ CASP. BAUHINO *Styrax folio mali cotonei* dicitur. Species, *in Granis* meritò appellata, e vulnerata hac Arbore ſtillat, & nativum ejus productum videtur; aliæ duæ veroſimiliter artificiales ſunt. Ex Arboribus in Gallo-Provincia & Agro tiburtinò creſcentibus ſcribitur ſtillare; ſed quæ in Officinis proſtat orientalis originis eſt, & e Turcia per Maſſiliam ad nos transfertur. Veterum Styrax videtur in granis fuiſſe, &, ne vires deperderentur, calamis incluſa adferebatur: hinc *Calamita* illis dicta eſt.

Vires poſſidet balſamicas, ſecundum aliquos, in Tuſſi, raucedine, Aſtmate aliiſque Pulmonum vitiis utiles. Quidam etiam ad ſuppuratas vias urinarias laudarunt: ſed tam parum ejus uſus ſucceſſit, ut jam raró interné adhibeatur.

Externé Suffimigiis nervinis, roborantibus, diſcutientibus, Aërem corrigentibus recipitur. Ob vim balſamicam, antiſepticam, conſolidantem varia Unguenta & Emplaſtra ingreditur.

STYRAX LIQUIDA. *Zagte Storax.*

Eſt ſpecies Balſami habens conſiſtentiam melleam, viſcoſam; coloris gryſei, fuſceſcentis; odoris fragrantis, ad Styracem calamitam accedentis; ſaporis balſamici, acris. Aquæ vix aliquid impertit: in Spiritu Vini rectificato pro parte ſolvitur: tinctura hæc coloris flaveſcentis eſt

Quid proprié ſit necdum ſatis liquet: genuina ſecundùm aliquos Authores pertinet ad *Liquidambar Styraciſluam* LINNÆI, arborem odoratam, altam, in America creſcentem, quæ inciſa Reſinam *Liquidambram*, ſeu *Ambram liquidam* dictam fundit. Ut Styrax liquida ex illa obtineatur, referunt Arboris Corticem in Aqua marina decoqui, donec decoctum Viſci conſiſtentiam habeat: tum reſinoſam ſupernatantem partem ſeparari, eamque Styracem liquidam eſſe. Quæ paſſim in Officinis proſtat adulterata, fœculenta, ſordida eſt, & mixtum e Styrace calamita in Vino & Oleo ſoluta, cum adjecta reſina laricea, creditur.

Vix interné adhibetur: externé ob vim balſamicam, vulnerariam, antiſepticam Unguenta aliqua ingreditur & præſertim Gangrænæ opponitur.

SUCCINUM. *Amber, Barnſteen.*

Eſt ſubſtantia, quæ in variis Regionibus, præſertim ad littus Maris balthici in Boruſſia, reperitur. Sub forma glebarum variæ magnitudinis & figuræ e locis arenoſis in ſtratorum pyritoſorum

vicinia eruitur, vel ex illis translatum in Mari invenitur. Coloris est albi, citrini, vel obscurioris; plus minùs pellucidum. Consistentiam habet duram; ut ab aliquibus Authoribus Lapidibus pretiosis adscriptum fuerit, & pulchrè lævigari possit. In pulverem redactum odoris est grati; saporis resinosi. Frictione vim acquirit electricam, & paleas attrahit: hinc, cum Veteribus *Electrum* diceretur, Recentiorum *Electricitas.*

Hæc substantia nihil Aquæ; Spiritui Vini odorem & Saporem aromaticum impertit: sed in eo solvitur partim tantùm, & difficulter. Oleis satis bene subigitur. Nihil in eam possunt Acida, si vitriolicum exceperis, in quo tota solvitur: hinc pro conficienda ejus tinctura Collegium Edinburgense Spiritum Vitrioli dulcem adhibet. Dum Igni exponitur mollescit, intumescit, inflammatur, & fumum spargit fragrantem, gravem. Distillationi subjectum Spiritum largitur acidulum, Salem volatilem, solidum, acidum, & multum Oleum, pro vario ignis gradu, plus minùs empyreumaticum, petroleo non absimile. Hæc producta reiterata operatione purificari possunt. Post peractam Destillationem in retorta remanet massà nigra, fragilis, Bitumini judaico similis, & quæ pro eo quandoque divenditur.

Ex hac analysi patet Succinum constare præsertim Oleo; idque admixto acido, quod vegetabilis naturæ esse Celeb. POTT evicit, in solidum corpus concrevisse; adeoque Bituminibus esse annumerandum. Ejus substantiam quandoque liquidam fuisse probant variæ substantiæ & præsertim Insecta in glebarum centro reperta.

Absorbentis famam olim habuit. Hanc, cum solum Acidum vitriolicum aliquid in hanc substantiam possit, conservare non potuit. Jam nervinas, antispasmodicas, roborantes, in multis morbis frigidis utiles, vires ei passim a celeberrimis Viris adscribuntur. Has laudes tamen non mereri judicat clar. TRALLES. In humoribus nostris non

non ſolvi ſtatuit celeb. FOTHERGILL. Ejuſdem ſententiæ non ſolùm eſt clar. CULLENIUS, ſed etiam aſſerit, in multis tentaminibus hoc Medicamentum ſe omnino iners præſtitiſſe. Ex hac opinionum diverſitate ſaltem licet concludere, facta, quæ Succini vires ſtabilirent, hactenus deſiderari.

Ejus Suffitus roborat, diſcutit, Aërem corrigit.

SUCCISÆ, ſeu MORSUS DIABOLI Herba & Radix. *De Bladeren en Wortel van Duivels Beet.*

SULPHUR. *Solfer, Zwavel.*

Eſt ſubſtantia dura, ſicca, fragilis; coloris e viridi flavi; ſaporis & odoris proprii, quæ frictione vim electricam acquirit, & moderato calori ſubitò expoſita deſilit in fruſta. Adhibito igne facilè liqueſcit, funditur, & aucto calore ſublimatur. Sublimatum *Flores Sulphuris* audit, a priori Sulphure ſola puritate diverſum. Ignis attactu accenditur, flammam dat cæruleam, totum conſumitur, & vapores ſpargit acidos, pulmonibus inimicos, ſuffocantes, qui condenſati *Spiritus Sulphuris per Campanam* vocantur. Ex hac operatione, & ex eo præterea, quod via directa e phlogiſto & acido vitriolico omni humidate orbato, Sulphur ſublimari poſſit, concluſit celeb. STAHLIUS & poſt eum omnes Chemici, Sulphur conſtare acido vitriolico & principio inflammabili ſibi invicem unitis. Libram Sulphuris vix duas dragmas phlogiſti ingredi NEUMANNUS ſtatuit.

Aqua, Acida, Spiritus Vini vix aliquid in Sulphur poſſunt; ſed ſolvitur Salibus alkalinis & Oleis, facilius tamen preſſis: cum prioribus, mixtum *Hepar Sulphuris* dictum, conſtituit, & Aquæ miſcibile ſit; cum poſterioribus *Balſama Sulphuris* a vario adhibito Oleo variè denominanda efficit.

Diſtinguitur paſſim in nativum, ſeu vivum, & factitium: prius varii coloris, & plus minus pellucidum eſt: e fodinis variarum

regionum variis aliis ſubſtantiis mixtum eruitur, & in quibuſdam fontibus medicatis reperitur. Poſterius, quod ordinariò in officinis proſtat, ſublimatione, vel eliquatione præſertim in Saxonia e pyritis martialibus obtinetur. Fuſione in baculos cylindriacos efformatur.

Plures celebres Viri Sulphur in humoribus noſtris, utpote aquoſis, non ſolvi crediderunt: hinc ejus uſum internum inutilem judicarunt. In illis tamen, qui hoc Medicamentum aſſumpſerunt, perſpiratio Sulphur olet, & argentum nigro colore inficit. Videtur itaque ſecundas vias ſubintrare; ſed ſimul vix ſubigi, vel mutari. In majori doſi alvum blandè ſubducit, & olidiſſimas fæces facit; in minori aperiens & perſpirationem juvans Remedium creditur: hinc laudatur in morbis cutaneis, affectibus pulmonum, aliiſque, in quibus morbi materiam per cutis poros juvat expellere.

Externè in ſcabie in linimentum redactum tutò adhibetur. Vis repercutiens, quam aliqui in hoc caſu metuunt, falſo nititur argumento. Cum ſucco citri in unguentum redactum laudatur ad tineam capitis. E calce viva & ſulphure aquæ fervidæ infuſis balneum paratur, quod ad rheumaticos, arthriticos affectus, & ad ſcabiem commendatur.

TABACUM, Vide NICOTIANA.

TACAMAHACA. *Takamahak.*

Quæ paſſim in officinis proſtat, eſt ſubſtantia reſinoſa, ſicca, fragilis, ſubpellucida; coloris pro ætate varii; albidi, flavi, fuſci, virideſcentis; odoris non ingrati, balſamici, præſertim dum accenditur; ſaporis reſinoſi, ſubacris. Tota, ſolis relictis heterogeneis, ſolvitur in Spiritu Vini rectificatiſſimo, præcipuè dum ſolutio blanda digeſtione juvatur. Aqua, præter debilem odorem & ſaporem ingratum, vix aliquid extrahit.

Adfertur in glebis variæ magnitudinis ex America meridionali, & pertinet ad Arborem, quæ LINNÆO *Populus Balſamifera* dicitur.

Species nobilior, vix in officinis pharmaceuticis invenienda adfertur in dimidiatis cucurbitis. Distinguitur dotibus præstantioribus, puritate, & colore magis pallido.

Ad usus internos hactenus vix adhibita est: extus laudatur ob vires resolventes & roborantes. In nova Hispania imponitur tumoribus duris, resolvendi, vel maturandi ergo. Apud nos in suffitu laudatur ad partes laxas roborandas, & discutiendos variarum partium dolores rheumaticos. Emplastra quædam stomachica ingreditur.

TAMARINDUS. *Tamarinden.*

Est fructus siliquosus Arboris in utraque India, Ægypto & Arabia crescentis, quæ LINNÆO *Tamarindus Indica* appellatur. Ejus pulpa nigra, mucilaginea; saporis dulcis, acidi, vinosi; varia filamenta & Semina angulata, nitida, Cassiæ Seminibus majora, coloris spadicei continens, ordinario exempta adfertur. Rejectis Seminibus & filamentis, sola pulpa bene depurata in usus medicos adhibetur. Secundum experimenta clarissimorum TOURNEFORT & BEAUMÈ Salem largitur essentialem, Tartaro Vini non absimilem.

Facilè mucorem contrahit, & adjectis pulpa Prunorum, Saccharo, Aceto frequenter adulteratur. Hæc sapor debet detegere. Æs solutum continere quandoque inventa est. Periculosissimum hoc vitium viridis efflorescentia in Pulpæ superficie nata, aut cultri lamina ei immersa colore cupreo prodet. Tutiùs semper in siliquis prostaret.

Ad aliquot dragmas assumpta alvum laxat: vi præterea pollet saponacea & antiseptica: hinc in morbis acutis, præsertim biliosis & putridis, optimo cum successu adhibetur.

TAMARISCI Folia & Cortex. *De Bladeren en Bast van de Tamaris-Boom.*

TANACETI Folia, Flores & Semen. *De Bladeren, Bloemen en Zaaden van Rynvaart, of Rynvaaren.*

TARAXACI Folia & Radix. *De Bladeren en Wortel van wilde Chicorèe, Konynekruid, Pisbloemen, of Paardebloemen.*

TARTARUS. *Wynsteen.*

Est sal essentialis, acidus, qui sensim, lenta Vini fermentatione, ad dolii latera deponitur, & concrescit. Pro diverso Vini colore vel albus est, vel ruber; quia Vini fœces & partem colorantem admixtam gerit. Ab his heterogeneis, præsertim Monspelii, liberatur, & album colorem induit, solutione in Aqua, coctione cum Terra argillosa, filtratione & crystallisatione. Hæc ultima operatio peragitur partim evaporatione; partim Menstrui refrigerio. Crusta priori methodo obtenta *Cremor Tartari*, posteriori *Crystalli Tartari* vocatur. Prius nomen pro significando quovis Vini Tartaro jam invaluit.

Cremor Tartari parum solubilis est: uncia Aquæ distillatæ frigidæ vix tria grana solvit; & vigesies quater suum pondus Aquæ ebullientis requirit. Itaque refrigerato Menstruo pro maxima parte denuo concrescit. Omnium aliorum acidorum notas exhibet, & omnibus substantiis, quæ cum aliis acidis Salem neutrum constituunt, uniri potest: debili tamen vinculo: nam omnia alia acida illum excutiunt: ita ut perperam Tartarus solubilis & Sal rupellensis cum aliis acidis præscribantur. Ob oleosam admixtam partem igni injectus flagrat. Hac operatione mutatur in Salem alkalinum. Distillationi subjectus impetuosos aëris vapores emittit, & abstracto Spiritu acido, carbonem relinquit alkalinum. Præterea cum acidis mineralibus tractatus, secundùm experimenta cl. MARGRAFF & ROUELLE, Salem largitur neutrum, cujus basis est Alkali vegetabile. Continet itaque Alkali jam præparatum & ob solum superabundans acidum, acidi notas exhibet.

In refracta dosi tutissimum aperiens est, quod plerumque felicissimè per diuresim agit, & optimo cum effectu in Hydrope præscribitur. Ejus uncia dimidia sine turbis alvum ducit. Ob dotes

acidas, refrigerantes, antifepticas convenit in acrimonia alkalina, putrida.

TEREBINTINA. *Terpentyn.*

Eft fpecies Balfami nativi, feu fuccus refinofus, diverfus pro diverfis Arboribus, e quibus ftillat: quatuor fequentes fpecies, ab Arbore & patria denominatæ, paffim a Materiæ Medicæ Scriptoribus recenfentur.

TEREBINTHINA CHIA, vel CYPRIA. *Terpentyn van Chio, of Cyprus.*

Variam, ordinariò Mellis craffioris, confiftentiam habet: ætate infpiffatur, & tandem fit folida: glutinofa eft, fplendens, pellucida; coloris albicantis, flavefcentis & viridefcentis; faporis calidi, ftimulantis, amari; odoris balfamici, præ reliquis Terebinthinæ fpeciebus gratioris.

Stillat ex incifa, Arbore, quæ CASPARI BAUHINO *Terebintus vulgaris*; LINNÆO *Piftachia Terebinthus* dicitur. Vix umquam in Pharmacopoliis proftat.

TEREBINTHINA ARGENTORATENSIS, feu ABIETINA. *Strasburg fche Terpentyn.*

Pluribus dotibus præfertim odore, ad præcedentem accedit: fed ordinariò fluidior; pellucidior eft, & coloris flavicantis: faporem præbet magis amarum, at minus acrem, quam aliæ fpecies.

Stillat in Alfatia & Sylvis Tyrolenfibus ex Arbore, quæ TOURNEFORTIO *Abies taxi folio, fructu furfum fpectante*; CASP. BAUHINO *Abies conis furfum fpectantibus*, & LINNÆO *Pinus picea* dicitur.

TEREBINTHINA LARICEA, feu VENETA. *Veneetfche Terpentyn.*

Multis dotibus ad præcedentes accedit: fed paulò magis limpida eft: colorem habet album, vel pallidè flavicantem: ut aliæ

Terebinthinæ, ætate inſpiſſatur, & flaveſcit: ſaporis eſt pinguiuſculi, acris, amaricantis; odoris fortis, gravis, reſinoſi, minus balſamici, quam Chia & Argentoratenſis. Paſſim ſola Officinas ingreditur, & aliis ſpeciebus ſubſtituitur.

Circa montes Apenninos, Alpes &c. fluit e terebrata Arbore, quæ J. BAUHINO *Larix folio deciduo, conifera*; LINNÆO *Abies foliis faſciculatis obtuſis* dicitur.

TEREBINTHINA COMMUNIS. *Gemeene Terpentyn.*

Species hæc viſcoſa, ſordida, minùs pellucida eſt: colorem habet rufum; odorem fortem, ingratum; ſaporem nauſeoſum.

Fluit e variis Pini ſylveſtris ſpeciebus.

Omnes Terebinthinæ integrè ſolvuntur in Spiritu Vini rectificatiſſimo & in Æthere, eiſdemque odorem ſuum & ſaporem impertiunt: in aquoſis Menſtruis ope vitello ovi vel cujusvis mucilaginis etiam ſuſpendi poſſunt: tam per ſe, quam cum Aqua diſtillationi ſubjectæ multum Oleum æthereum, penetrantiſſimum largiuntur, quod in priori caſu, protracta præſertim operatione, craſſius, magis tinctum eſt, & ſimpliciter *Oleum Terebinthinæ* vocatur; in poſteriori tenue, limpidum ſe præbet, & frivola diſtinctione *Spiritus Terebinthinæ* nomine inſignitur. Abſtracto penitus hoc Oleo, remanet Reſina arida, rubro fuſca, effœta, *Colophonia* appellata. Ex his intelligitur Terebinthinam, coctione, cum Oleo multas vires amittere.

Omnes ſpecies aliorum Balſamorum vulnerarias, antiſepticas vires poſſident: ob has dotes, quibus *Chia* & *Argentoratenſis* alias præcellit, commendantur in ulceribus internis: ſed vires incendiariæ ab Oleo calidiſſimo pendentes maximas cautelas poſtulant: ubi inflammatio adeſt, aut febris, a prudentioribus Medicis omnis Terebinthina rejicitur. In morbis pectoris ſine febre, ubi viſcidum expellendum & expectoratio exſtimulanda eſt, juvare poteſt. Peculiari vi in

vias urinarias videntur agere, diuresim movent & urinam satis constanter odore violaceo inficiunt. Id præ cæteris *Veneta* præstat, hinc in multis harum partium vitiis adhiberi solet: in Gonnorrhæa inveterata, Fluore albo, aliisque morbis, adversùs quos stimulo suo aliquid potest, revera encomia meretur: sed ob id ipsum in multis casibus suspecta est: parva olei Terebinthinæ dosis validos viarum urinariarum spasmos, Diabetem, & Mictum cruentum produxit. Terebinthina *Communis* ad usus internos non adhibetur. Omnes in majori dosi assumptæ alvum laxant. Longus Terebinthinæ usus ab aliquibus adversùs Podagram, Rheumatismum, & ischiadem proponitur.

Externè pus movet, detergit, & vulnerarium, antisepticum Remedium est, quod plurima Emplastra & Unguenta ingreditur, ac Vitello Ovi solutum, sub *Digestivi* nomine, multum a Chirurgis adhibetur. In intestini recti Ulceribus & Fistula ani desperata, sub clysmatis forma injecta, scribitur opem tulisse. Commendatur adversùs Scabiem & Tineam. Externus ejus usus etiam urinam odore violaceo imbuit.

TERRA JAPONICA, vide CATECHU.

TERRA LEMNIA, vide BOLUS LEMNIA.

THUS, vide OLIBANUM.

THYMELÆÆ Cortex. *De Bast van Garou*, *Springkruid*, *of groote Wolfsmelk.*

Est *Thymelæa foliis lini* CASP. BAUHINI; *Daphne gnidium* LINNÆI, cui *Thymelæa Mezereum*, seu *Daphne Mezereum* LINNÆI videtur posse substitui. Utriusque baccæ & semina vocantur *Grana Cnidia*, diversa a granis ejusdem nominis, quæ apud HIPPOCRATEM in usu erant. Sursum & deorsum summa vi evacuant, & tantam possident acrimoniam, eorumque usus tot tragicos casus produxit, ut tandem tamquam infamia e materie medica ejecta fuerint.

Cortex recens, tam radicis quam ramorum, vix odorem habet aut saporem: diu tamen masticatus pertinaciter se præbet acrem, ut fauces tandem inflammet, & ardor vix elui possit. Aqua vel Aceto maceratus, ut flexilis reddatur, & cuti applicatus instar vesicantis agit, & sublata epidermide multum serum attrahit. Idem folia præstant. Exsiccatione acrimonia multum imminuitur.

Internè non adhibetur: si tamen cl. RUSSELIO fides, decoctum unciæ unius hujus Corticis in duodecim Aquæ libris, ad tertiæ partis consumptionem, ad uncias octo quater de die sumptum nodos venereos felicissimè curavit. Externè, extollentibus multùm in dissertationibus suis clar. LE ROI & ROOS, jam a Chirurgis in morbis a sero acri retento ortis frequentissimè cuti applicatur, & optimè Fonticulo substituitur. Laudatur præsertim in Ophtalmia pertinaci, Serpigine, dolore capitis, morbis Pectoris, &c.

THYMI VULGARIS Folia. *De Bladeren van gemeene Thym.*

THYMI CITRATI Folia. *De Bladeren van Limoenthym.*

TILIÆ Flores. *De Bloemen van den Lindeboom.*

Hi flores recentes odorem habent suavem, leniter aromaticum; saporem subacrem, amaricantem, subdulcem, mucilaginosum. Omnes hæ dotes Aqua extrahuntur, &, sola remanente amaritie, exsiccatione pereunt.

In Nervorum morbis, ut Vertigine, Cordis palpitationibus, malo hysterico &c. tamquam anodini laudati sunt. FREDERICUS HOFFMANNUS casum adfert Epilepsiæ chronicæ horum infuso radicitus sublatæ. Veterem famam, hac authoritate stabilitam, plurimi Medici cæcè sequuntur, & eorum Aquam distillatam, aut Infusum gravissimis etiam casibus opponunt. Nova tentamina methodo celeberrimi HOME instituta eos verosimiliter e Pharmacopoliis ejicerent.

TORMENTILLÆ

TORMENTILLÆ Radix. *Tormentilwortel, den Wortel van Zevenblad.*

Radix hæc contorta eſt, nodoſa, fibrillis plurimis obſita, extus nigra, intus pallidè rubra; odoris leviter aromatici; ſaporis adſtringentis, auſteri, amaricantis, os exſiccantis. Omni dote & experimento vim adſtringentem prodit: ut etiam in Inſulis feronenſibus, defectu Corticum quercûs, ad rem coriariam adhibeatur. Vires Aqua & Spiritu Vini, meliùs tamen poſteriori, extrahuntur.

Non ingratum, tutum, & efficax adſtringens roborans Medicamentum eſt, quod reliquis vegetabilibus hujus tituli facilè palmam præripit. Celeberrimus CULLENIUS hanc Radicem, ut & alia adſtringentia vegetabilia, in ſubſtantia præſcribi debere judicat: credit etenim infuſione, ut etiam levi coctione, tam ſpirituoſo quam aquoſo Menſtruo vix vires extrahi, & protractiori, pro parte deperdi.

Extus Ulceribus laxis, putridis opponitur, & adhibetur ad quosvis morbos ab atonia ortos.

TRAGACANTHA, vide GUMMI TRAGACANTHÆ.

TRIFOLII FIBRINI, ſeu PALUDOSI Folia. *De Bladeren van Waterklaver, of Waterdryblad.*

Hæc Herba continet ſuccum amarum, penetrantem, ſaponaceum: hinc in morbis a ſolidorum atonia & humorum ſpiſſitudine pendentibus efficacem ſe præſtat. Laudatur præſertim in laxitate primarum viarum, Scorbuto, Febribus intermittentibus, viſcerum abdominalium obſtructione, Hydrope, & Paralyſi. Optimè Succus vel infuſum aquoſum ſaturatum & in ampla doſi præſcribitur. Errant noſtrates, dum Spiritum frumenti, in quo pauca hujus Herbæ folia infuſa ſunt, efficax Remedium arbitrantur.

TURPETHI Radix. *Turbithwortel.*

Ordinariò ſolus Cortex ab interna lignoſa parte ſeparatus adfertur in fruſtis digitum circiter longis & latis, lineam craſſis. Exterius coloris eſt cinerei, vel fuſceſcentis, interius albidi. Sub-

ſtantiam exhibet compactam, ponderoſam, reſinoſam, fragilem. Odorem habet vix ullum; ſaporem ſubdulcem, diutiùs maſticatus ſubacrem, nauſeoſum. Interdum partes totius Radicis proſtant.

Pertinet ad Plantam Indiæ orientalis indigenam, quæ CASP. BAUHINO *Turpethum repens foliis Althææ*, LINNÆO *Convolvulus Turpethum* dicitur.

Inſidum purgans eſt, quod olim in Morbis ſeroſis multùm laudabatur. Ejus uſus jam eviluit.

TUTIA, ſeu NIHIL GRYSEUM. *Gryſe Niet, gryſe Oogenniet.*

Eſt ſubſtantia ponderoſa, coloris cinerei vel fuſci, inſipida, inodora, e Zinci Mineris ſublimata. Hujus mineralis Flores continet, & ad Pompholigem accedit: ſed ob alia admixta terrea impurior eſt.

A Chirurgis in Unguentis & Collyriis exſiccantibus adhibetur.

VALERIANÆ HORTENSIS MAJORIS Radix. *De Wortel van grooten Tuin Valeriaen.*

VALERIANÆ SYLVESTRIS Radix. *De Wortel van wilde Valeriaen.*

Hortenſis phu DIOSCORIDIS videtur: SYLVESTRIS duæ varietates ſunt: una CASP. BAUHINO ſimpliciter *Valeriana Sylveſtris major* audit, foliis latioribus ſplendentibus diſtinguitur, & in locis humidis provenit: altera eidem *Valeriana Sylveſtris major Montana* appellatur, diſtinguitur foliis anguſtioribus, & creſcit in locis ſiccis montanis. Sola prior varietas in hac patria provenit: poſterior alias Valerianæ ſpecies viribus longè præcellit, ſola meretur in uſu eſſe, &, quia ex Anglia ad nos adfertur, *Anglicanæ* titulo diſtinguitur. Ejus Radix brevis eſt, craſſiuſcula, multas fibras tenues emittens; coloris gryſei vel albidi; odoris aromatici, fœtidi, penetrantis, pertinacis; ſaporis amaricantis, ſubacris, calidi. Incipiente vere e terra eximi & in vaſe bene clauſo ſervari debet. Vires optimè Spiritu Vini rectificato extrahuntur.

Aliæ Valerianæ species Radices sistunt ferè similes; sed passim majores; coloris extus nigricantis, intus albidi; odoris multò debilioris.

Fabius Columna hac Radice, frustra tentatis pluribus, se ipsum ab Epilepsia liberavit, & primus eam celebrem reddidit: hanc vim plures celebres viri, suis observationibus confirmant; ut nunc adversùs quosvis morbos spasmodicos commendetur. Nihil tamen clar. Homio præstitit, & fatetur celeb. Cullenius, se hoc Medicamentum, pluribus institutis tentaminibus, etiam ad unciam dimidiam pro dosi præscriptum vix efficax observasse: suspicatur clarissimus Vir has Radices passim adulta æstate collegi, easque asserit tum minùs efficaces esse. Quidquid sit, Hallerus, Crugerus, Tissotus, Sauvages, Hill, Fordyce, Whytt aliique adferunt curationum exempla, quæ, nisi notum foret quam arduum sit Medicamentorum vires stabilire, vix de harum Radicum viribus dubium relinquerent. Reliquis dotibus ad Serpentariam virginianam accedit; sed debilior est. In majori dosi alvum laxat.

VERATRUM, vide HELLEBORUS ALBUS.

VERBASCI, seu TAPSI BARBATI Folia & Flores. *De Bladeren en Bloemen van Wollekruid.*

Foliorum infusum, tamquam emolliens & demulcens, in morbis pectoris passim adhiberi solet. Celeb. Homius eorum decoctum in diarrhæis inveteratis & intestinorum torminibus efficax invenit. Idem in enemate laudat ad tenesmos, & foliorum cataplasma ad Hæmorrhoidum dolores.

VERBENÆ Folia. *De Bladeren van Yzerkruid.*

Tota historia virium hujus Plantæ superstitiosis fictionibus innititur. Ejus tertium a terra geniculum cum ambientibus foliis in Decocto vel Infuso exhibitum tertianâ laborantes; quartum verò quartanâ vexatos scribitur percurare. Tamquam Amuletum collo appensam miraculi instar pertinacissimos capitis dolores auferre jam

ab ARCHIGENE allatum eſt. Hanc vim adducta Obſervatione FORESTUS confirmat, & huic virtuti tam firmiter credit SIMON PAULLI, ut omni Remedio adverſùs capitis dolores parando Verbenam admiſcendam eſſe cenſeat. Nos, donec experimenta ſaniori indagine inſtituta aliud perſuaſerint, hanc Herbam præ reliquis leviter amaris nihil proprii habere credimus.

VERONICÆ MARIS Folia. *De Bladeren van Mannetjes Eerenprys, of Veronica.*

Hæc Herba odoris debilis eſt, non ingrati; ſaporis amaricantis, ſubadſtringentis. Ejus Tinctura præſertim ſpirituoſa aliquid balſamici prodit, quo principio ejus Aqua diſtillata etiam imbuta videtur. Ex his dotibus leniter balſamicæ, roborantes, adſtringentes vires eluceſcunt, & ob has in morbis pectoris, ut Tuſſi, Aſthmate &c., in quibus ob debilem laxum pulmonem languens expectoratio juvanda eſt, fortè laudes meretur: ſed ſpecificè aliquid in pectus poſſe, aut ulcera interna feliciùs, quam alia ejuſdem claſſis, curare, ut etiam phtiſicos reſtituat, *credat Judæus apella.* Medici dubitare neſcii ſanationes, quæ plerumque ſolis Naturæ viribus medicatricibus debentur, Medicamentis ultimò adhibitis paſſim adſcribunt. Ita celebritatem nacta ſunt plurima, quæ ſine præjudicio perſpecta e Pharmacopœis ejicerentur.

SIMON PAULLI multo ſermone Veronicam adverſùs ſterilitatem commendat. Aliqui laudant adverſùs Scabiem, Podagram, Calculum &c. Ignoramus has vires: ſed illis Viris applaudimus, qui Theæ chinenſi bene ſubſtitui poſſe & debere judicant. Extus vulneraria eſt.

VINCETOXICI, ſeu HIRUNDINARIÆ Radix. *De Wortel van Zwaluwkruid.*

Fibrillæ multæ, longæ, tenues, contortæ, ex uno capite prodeuntes hanc Radicem conſtituunt: coloris eſt exterius pallidè

flavescentis, vel fuscescentis; intus albidi; odoris gravis, aromatici, ad Valerianam sylvestrem non nihil accedentis, præsertim dum recens est; saporis primò subdulcis, dein acris, amaricantis, nauseosi. Vires siccatione continuò minuuntur, & optimè spirituosis Menstruis extrahuntur.

Ab insigni Venenum vincendi facultate, qua Radix pollere credebatur, Herbæ nomen olim impositum est. Excusso hoc errore, passim jam solida exstimulando & humores attenuando, diureticum, diaphoreticum, egregiè resolvens Medicamentum creditur, quod ab aliquibus in obstinatissimis quibusdam morbis opem ferre perhibetur. Scribitur, Alpium incolas ejus Decocto se a strumis liberare. Hanc virtutem confirmat celeb. ELSNER. Desperatos hydropicos curasse, emmenagogum & antihelminticum esse ab aliis asseritur. Tamquam alexipharmacum olim in Germania ad pellenda exanthemata, in febribus malignis, & in ipsa peste præscribebatur: hinc *Germanorum Contrayerva* dicitur.

VIOLÆ Folia & Flores. *De Bladeren en Bloemen van Violetten of enkele Maartviolen.*

VIOLA TRICOLOR, vide JACEA.

VIPERA. *De Adderslang.*

Est coluber Viviparus, pollicem circiter crassus & sesquipedem longus, frequens in Ægypto, Italia aliisque locis calidioribus: caput habet tenuius, compressum; caudam teretem; pellem contectam squammis, quæ maculis ferrugineis, nigricantibus variegatæ sunt: venter flavicans, cinereus, aut rubellus est. In vesicula retro dentes posita liquorem servat, qui introsumptus, ut tota Vipera, innocuus videtur; ipso morsu autem expressus, & vulneri, præsertim ab irritato serpente facto, instillatus dirum se præbet venenum, & miseram mortem homini infert. Pro Antidotis laudata sunt ipsarum Viperarum Sal volatile, quod præ multis aliis animalibus

videtur in majori copia continere, earumdem Axungia, Oleum Olivarum, Alkali fluor &c. Horum omnium inefficaciam experientia evicit, & probabiliter sola methodus omnem curam quantocyus in vulnus, utpote omnis mali principium, dirigendi, & efficiendi, ut venenum cum carne, in qua nidulatur, auferatur, fiduciam meretur. Id Butyro Antimonii optimè peragi in Differtatione de Rabie canina nuper probavit cl. LE ROUX.

Viperæ ab antiquitate omni veneno oppositæ sunt: in hunc finem famosam ANDROMACHI Theriacam ingrediuntur. Postea adversùs Scabiem malignam, Elephantiasim, Luem veneream, ulcera alioquin insanabilia, etiam interna, ipsamque Tabem commendatæ sunt. Per diaphoresim agere credebantur, & eò procedebat risibile præjudicium, ut gallinas Viperis pastas adversùs eosdem morbos præscriberent. Jam ordinariò adhibetur earum jusculum, quod e Vipera, capite & cauda abscissis, in Aqua vel gallinæ jusculo cocta paratur. Non obstante magnorum virorum approbante authoritate meritò dubitari potest, an alias, quam nutrientes, vires possideant. Saltem earum Gelatina & Sal volatile ab eisdem aliorum Animalium productis nihil diversum habent.

VIRGÆ AUREÆ Folia. *De Bladeren van goude Roede, of gulde Wondkruid.*

VISCI QUERCINI, seu VISCI ALBI Folia & Lignum. *De Bladeren en het Hout van Mistel.*

Licet hic frutex parasiticus omni Arborum speciei innascatur, præscribitur tamen passim *Quercinus*: quia èx hac Arbore decerptus præstantiores vires habere creditur. Non omnino præjudicium esse, & aliquam revera differentiam dari celebres Viri asserunt; alii negant. Operæ pretium foret hanc litem dirimere, si meliùs de viribus constaret: sed virtus antispasmodica & præsertim antiepileptica, jam a PLINIO celebrata & ab ejus tempore hinc inde

ab obſervatoribus laudata, non ſatis firmo ſtat talo. Sapor acer, ſubadſtringens, ſatis pertinax videtur tamen aliquid promittere: ut doleamus clariſſimum HOME, qui optimè ſua methodo hanc rem illuſtrare potuiſſet, unicum tantùm tentamen adferre.

VITRIOLUM. *Vitriol.*

Omni ſali nato ex unione Acidi vitriolici cum quodam Metallo jam a Chemicis hoc nomen tribuitur. Tres infra recenſendæ ſpecies a natura ſuppeditantur, & paſſim in Materia Medica locum habent. Omnes tres ſaporem habent acrem, adſtringentem. In cryſtallos regulares polyedras reduci poſſunt. Sic reductæ ſubpellucent, ſed aeri expoſitæ brevi farinaceam ſuperficiem & opacitatem contrahunt. Omnes igni expoſitæ primò funduntur; poſt fugatâ cryſtalliſationis Aquâ, quam multam continent, abeunt in maſſam poroſam, friabilem. Omnes facilè in Aqua ſolvuntur, & adjectis alkalinis decomponuntur.

VITRIOLUM ALBUM, vel VITRIOLUM ZINCI. *Witte Vitriol, of Vitriol van Spiauter.*

Habitu externo ſaccharum in panes coactum æmulatur: ſaporis eſt ſubdulcis, acris, adſtringentis, nauſeoſi; odoris expers. Conſtat Acido vitriolico & Zinco. Ut in officinis proſtat, ordinario Ferrum & Cuprum admixta gerit. Paratur Goſlariæ e Minera, quæ e Monte Rammelsbergenſi effoditur: in ea paſſim ſub forma albæ efflorescentiæ, quandoque in fruſtis ſubpellucidis, exiſtit. Separatur a reliquis ſolutione in Aqua, filtratione & cryſtalliſatione, quæ protractiori evaporatione & continua agitatione, neſcio in quem finem, turbatur.

Ad ſcrupulum unum, vel dragmam dimidiam aſſumptum promptiſſimè emeſim excitat. In alios fines ad uſum internum rariſſimè præſcribitur. Externè ſtipticum eſt, & repellendi ergo Collyriis additur.

VITRIOLUM CŒRULEUM, seu CYPRINUM. *Blauwe Vitriol; Vitriol van Koper, of van Cyprus.*

Crystallos exhibet rhomboidales, depressas, subpellucidas; odoris æruginosi; coloris cœrulei; saporis acerrimi, adstringentis, nauseosi & horrendi. Ejus basis Cuprum est, & teste NEUMANNO unam octavam hujus Metalli, unam sextam Acidi & dimidium sui ponderis Aquæ continet. Proportio hæc videtur inconstans esse; nam aliam omnino CARTHEUSERUS habet. Invenitur *Nativum* in variis regionibus, vel ex Aquis cæmentatoriis ope crystallisationis obtinetur, vel, quod fortè frequentius, via directa ex Acido vitriolico & Cupro paratur. Adjecto ferro decomponitur.

Intus sumptum Emeticum est violentissimum, periculosum: nam externè easdem, quas Lapis infernalis, vires exercet, & ei plerumque substituitur. Tam sanguinem coagulando, quam vasa constringendo Hæmorrhagias sistit.

VITRIOLUM VIRIDE, seu MARTIS. *Groene Vitriol; Vitriol van Yzer, Koperrood.*

Crystallos exhibet cubicas; coloris viridis; saporis subdulcis, adstringentis, minùs acris, quam duæ aliæ species: odorem vix ullum prodit. Constat ex Acido vitriolico & Ferro. Ejus solutio additis nucibus gallis nigra evadit. Igni expositum instar Aquæ funditur: forti calcinatione, fugata Aqua & excusso Acido, mutatur in pulverem rubrum *Colcothar Vitrioli* dictum.

Ubicumque liberum Acidum vitriolicum Ferrum invenit & aggredi potest, hoc vitriolum reperitur: hinc eruitur e terræ visceribus, & ex aquis subterraneis obtinetur. In variis regionibus e Pyritis resolutis ope solutionis & crystallisationis paratur: sed ferè semper aliqua Cupri portione inquinatum est; ut pro usu interno semper *Vitriolum Artificiale* adhiberi deberet. Potest tamen hoc vitium Vitriolum solvendo, & solutioni purum Ferrum addendo auferri: Ferrum enim, cum majorem affinitatem cum Acido

vitriolico

vitriolico habeat, quam cuprum, posterius hoc metallum excutiet. Quod in Anglia paratur reliquis purius censetur.

Internè roborans, antihelminticum est: externè ejus solutio adhibetur ad ulcera putrida & gangrænosa.

ULMI Cortex interior. *De binnenste Bast van den Olmboom.*

Decoctum hujus Corticis aquosum, quod præsertim in usu est, Mucilaginosum, amaricans se præbet, & adstringens; ut etiam addito Vitriolo Martis nigrum evadat. Laudatur tamquam lentum, sed tutum & efficacissimum Remedium in pertinacissimis cutis morbis. In scabie, ubi omnia alia, etiam salivatio mercurialis, frustra tentata fuerant, scribitur sæpe opem tulisse. Celeb. tamen HOMIUS hoc Medicamentum in Herpete tentavit, & vix efficax invenit. Aliqui ad Ischiadem & Rheumatismum commendant. Jam a RAJO fotus ex eodem cum una tertia parte Spiritus Vini ad priorem morbum præscribebatur. Paratur hoc Decoctum uncias quatuor Corticis interioris ramulorum Ulmi decoquendo in libris duabus Aquæ ad libram unam: ægro bis de die commendantur unciæ octo. Cel. HOMIUS eamdem Corticum quantitatem in dupla Aquæ copia ad medietatis remanentiam decoqui jubebat, & quater quotidie uncias tres, quatuor, vel quinque ægris suis exhibebat.

Extus idem Decoctum, tamquam subadstringens & consolidans, ab aliquibus vulneribus & ambustis adhibetur.

URTICÆ MAJORIS VULGARIS Folia & Semen. *De Bladeren en Zaaden van groote Netel of Brandnetel.*

URTICÆ ROMANÆ Folia & Semen. *De Bladeren en Zaaden van Romeinsche Netel.*

UVÆ URSI Folia. *De Bladeren van Beirendruiv.*

Ita a CLUSIO vocatus est frutex semper virens, in locis aridis, sterilibus, præsertim montanis, omnis ferè Europæ crescens, qui

LINNÆO *Arbutus Uva Ursi* dicitur. Ob similitudinem a pluribus Botanicis, etiam a CASP. BAUHINO & CAMERARIO *Vitis idæa* appellatur, & confunditur cum fruticulo semper virenti, qui LINNÆO *Vaccinium Vitis idæa* nominatur. Ob hanc rationem a J. BAUHINO *Radix idæa Putata & Uva Ursi* dicta est. Caules habet pedem circiter longos, procumbentes; folia parva, ovato oblonga, ad basim & ad finem angustata, crassa, dura, glabra, integerrima, supernè viridia, infernè pallidiora, quæ odorem nullum habent; sed sapore & omni experimento vim adstringentem produnt; ut etiam apud Suecos ad rem coriariam adhibeantur. Eorum vires optimè aquosis menstruis extrahuntur.

Hæc folia a quinquaginta circiter annis adversùs Calculum aliosque viarum urinariarum morbos in usu esse cœperunt. Primò quidem, teste LINNÆO, a Monspeliensibus Medicis adhibita sunt, sed præsertim clarissimo DE HAEN celebritatem debent. Celeberrimus enim ille Vir, tentaminibus suis in *Ratione Medendi*, Tom. II., anno 1756. publici juris factis, omnes Europæ Medicos exstimulavit, ut, quid in calamitoso malo hoc Remedium posset, experirentur. Undique itaque paulò post relatum est, illo cujusvis ætatis homines, sive vesicali, sive renali Calculo vexatos, & pessima quæque ante passos, non solùm vitam deinceps duxisse multò tolerabiliorem, sed quosdam etiam integrè fuisse curatos. Si fides innumeris variorum celebrium Medicorum observatis, assumptis quotidie duabus tribusve dragmis pulveris horum foliorum, in aliquibus promptissimè, in aliis tandem post longum usum mitigati sunt dolores; Stranguria, Dysuria, Ischuria Cessavit; emendata est urina; neque amplius sanguinolenta, aut purulenta fluxit, & omnia quandoque disparuerunt Calculi symptomata. Id tam perfectè in quibusdam casibus videtur præstitisse, ut aliqui tamquam verum Lithontripticum laudarent. Experimenta tamen cum Calculis humanis extra corpus instituta hanc vim ei denegarunt, & post optimos effectus exploratio Cathetere facta, atque hinc inde cadaverum sectio pro-

baverunt, superstitem & immutatum mansisse Calculum: ut satis constet, palliativum tantùm esse Remedium, quod probabiliter vi tonica in vias urinarias præsertim agit, iisque sensibilitatem & irritabilitatem demit. Observata, in quibus Uva Ursi urinæ incontinentiam, vesicæ Paralysim, aliosque morbos, non a Calculo, sed laxitate pendentes perhibetur curasse, hanc vim vias urinarias roborandi satis evincunt, illamque admittit quidem celeb. CULLENIUS, sed simul credit, hoc medicamentum urinæ acrimoniam, quæ perpetuò Calculum comitatur, & quam omnium ferè symptomatum causam putat, primariò emendare.

Ex hactenus dictis aliquis posset concludere, hoc Remedium perpetuò prodesse, & suos contradictores non habere. Multùm sanè abest. Plures celebres Medici, & inter eos omnes ferè angli, ejus inefficaciam adeò conqueruntur, ut diversam omnino Plantam eos crederes adhibuisse. Aliqui etiam asserunt sæpe nocuisse. Hoc hactenus non sumus experti, & ferè omnes negant.

WINTERANUS CORTEX; CINNAMOMUM WINTERANUM; CORTEX MAGELLANICUS. *Winters Bast.*

Adfertur in frustis tres quatuorve pollices longis & latis, semipollicem quandoque & amplius crassis; coloris cinnamomæi, sed obscurioris; odoris aromatici, grati; saporis calidi, acris, aromatici, pertinacis. Teste celeb. MORRIS, qui hunc Corticem chemicæ analysi subjecit, & tentaminum summam Societati Medicæ Londinensi impertiit, vires ejus satis bene spirituosis Menstruis, meliùs tamen aquosis extrahuntur, & partim distillatione cum Aqua elevantur: nullum tamen oleum essentiale præbet. Vitriolum Martis ejus infusioni additum vires adstringentes prodit.

Pertinet ad arborem in Insulis ad Fretum Magellanicum sitis crescentem, quæ CLUSIO *Arbor Aromatica Magellanica*; CASP. BAUHINO *Laurifolia Magellanica Cortice acri*; SLOANE *Periclymenum*

rectum foliis Laurinis, Cortice acri, Aromatico; aliis *Winterana Aromatica* dicitur. Eam anno 1578. primus detexit, & Cortici denominationem reliquit JOANNES WINTER Nauclerus anglus. Ab eo tempore Itineratores hinc indè quidem hujus Arboris mentionem faciunt, ſed tam parca hujus Medicamenti copia in Europam allata eſt, ut *Canella Alba* ab omnibus ferè Materiæ medicæ Scriptoribus cum eo hactenus confuſa, & ei paſſim in Officinis pharmaceuticis ſubſtituta fuerit: quantùm tamen, externa ſaltem facie, differant e collata utriuſque deſcriptione facilè patebit. Tandem anno 1768. Nauclerus WALLIS e Freto Magellanico redux non ſolùm Magnam veri Winterani Corticis copiam in Angliam attulit, ſed etiam Arboris ramum, cujus delineationem Societati Medicæ exhibuit clariſſimus FOTHERGILL: ut videri poteſt in *Medical Obſervations and Inquiries* Vol. V.: ubi ſimul ſuccincta Medicamenti hiſtoria & botanica Arboris deſcriptio a celeb. SOLANDER facta poterit inveniri.

Vires Canellæ Albæ, ſed multò præſtantiores, habet.

ZEDOARIÆ Radix. *De Maagwortel, of Wortel van Zedoaria.*

Duas ſpecies ſiſtit, quæ nec dotibus nec viribus medicis, ſed figura differunt, & ſecundùm aliquos ejuſdem Radicis diverſæ partes ſunt; juxta alios ad diverſam Plantam pertinent. Una *Longa*, altera *Rotunda* audit: prior, quæ paſſim in officinis proſtat, leviter rugoſa & tuberoſa eſt; duos treſve pollices longa; minimum digitum craſſa; extus gryſea; intus lutea, vel ſubfuſca; odoris proprii, fragrantis, camphorati, penetrantis; ſaporis acris, amaricantis, aromatici. Facilè carie exeditur. Aqua ex hac Radice colorem rufum, partem ſaporis & omnem odorem; Spiritus Vini rectificatus colorem e luteo rubeſcentem, vix quidquam odoris, ſed omnem acredinem & amaritiem extrahit. Diſtillatione cum priori Menſtruo largitur Oleum æthereum ſpiſſum, ponderoſum, partim Aquæ fundum petens, & Sal Volatile, quod ſub forma nivis Aquæ ſupernatat, & vera Camphora videtur.

Adfertur ex India orientali, & pertinet ad *Kæmpferiam foliis Lanceolatis, Petiolatis* LINNÆI. Rotunda, quæ, quia aut rarior eſt, aut præjudicata opinione alteri viribus creditur cedere, minùs adfertur, craſſior, multò brevior, hinc rotundior eſt.

Paſſim tamquam præſtantiſſimum Incidens, Roborans, Alexipharmacum laudatur. Celeb. CULLENIUS ex odore hujus Radicis in ea vires antiſpaſmodicas ſuſpicatur.

ZINCUM. *Spiauter, Zink.*

Eſt ſubſtantia ſemimetallica coloris ex albo cæruleſcentis, ſplendens, non omnino immalleabilis, hinc difficulter in pulverem redigenda; ſaporis & odoris expers; aqua ſepties circiter ſpecificè gravior. Stanni exemplo Aeris & Aquæ viribus multum reſiſtit. Difficulter & vix ante candeſcentiam funditur: ſub hoc ſtatu gryſeâ pelliculâ tegitur, quæ mox mutatur in flavam Calcem, facili opera denuo in Zincum reducendam. Igne & excandeſcentia auctis, accenditur, & flammam emittit pulchram, albam, phoſphoricam: hæc inflammatio tanto impetu peragitur, ut ejus Calx, alioquin fixa, ut aliæ Calces, ſub flocculorum alborum forma elevetur: hoc Sublimatum vocatur *Flores Zinci.* Porro Zincum nec cum Sulphure nec cum Biſmutho connubium contrahit: aliis tamen ſubſtantiis metallicis, præſertim Cupro, uniri poteſt. Diſſolvitur omnibus Acidis: ex ejus unione cum Acido vitriolico exſurgit Vitriolum album.

Nativum, ſed raro, inveniri paſſim creditur, & in filamentis vel fruſtulis apud rerum naturalium Curioſos aliquid pro tali aſſervatur. Verum nativum Zincum eſſe necdum tamen ſatis probatum reperio. Lapis calaminaris frequens ejus Terræ Minera eſt. Quod ad nos adfertur pro maxima parte e Mineris Plumbi Rammelsbergenſibus ope ſublimationis, ſub nomine *Cadmiæ Fornacum*, obtinetur. Fuſione in panes efformatur. Ferè ſemper adhuc Plumbo adulteratum eſt.

Ob *Flores* ſuos in Materiam medicam introductum eſt. Vide in Chemicis FLORES ZINCI.

ZINGIBER, vel ZINZIBER. *Gember.*

Eſt Radix brevis, tuberoſa, compreſſa, nodoſa; extus flavicans, intus albida, vel e rubro fuſca; reſinoſa; odoris proprii, non ingrati, aromatici, dum diſcinditur, fortioris; ſaporis acris, fervidi, piperini, aromatici. Ejus vires Aqua, meliùs tamen Spiritu Vini rectificato extrahuntur. Oleum largitur eſſentiale ipſa Radice minùs fervidum.

Planta, ad quam Zinziber pertinet, vocatur LINNÆO *Amomum Zinziber*, & diſtinguitur *Scapo nudo*, *Spica ovata*: creſcit in India orientali & in America meridionali.

Viribus Piper æmulatur, & in morbis frigidis, præſertim primarum viarum, utile Condimentum & Medicamentum conſtituit.



CANONES
PRO
ELIGENDIS, COLLIGENDIS,
ET
CONSERVANDIS SIMPLICIBUS.

Simplicia tum e vegetabili tum ex animali regno ad usus medicos desumenda eligantur, quoad colorem, odorem & saporem, in sua specie, perfectiora; non morbosa. Colligantur tempore Balsamico, *seu in summo vigoris puncto.*

Plantæ Aromaticæ *legantur e Solo sicco, elevato, radiis solaribus exposito; acres e loco humido, paludoso.*

Folia *decerpantur ante Plantarum efflorescentiam, cœlo sicco & sereno; rore & omni humiditate heterogenea ope radiorum solarium fugatis.*

Radices *primo Vere, antequam folia germinant; meliùs adhuc Autumno eradicandæ sunt: crassiores conscindendæ in taleolas, & statim siccandæ calore centum circiter graduum Thermometri Farenheitiani, aut quadraginta Reaumuriani.*

FLORES & SUMMITATES *colligantur, quamprimum incipiunt ſe expandere. Labiatis odorati Calices conſerventur.*

SEMINA *colligenda, dum ſponte a planta ſecedunt. Adhibeantur recentia, ſana, bene nutrita, ponderoſa.*

FRUCTUS *decerpantur maturi: niſi expreſsè immaturi præſcribantur.*

STIPITES & CORTICES *colligantur tempore vernali:* LIGNA *hiemali.*

Nullum horum omnium præceptum tam generale eſt, quin quaſdam exceptiones patiatur. Has doceat Botanica.


Omnia bene ſiccata, heterogeneis ſordibus liberata ſerventur in capſis ligneis charta intùs obductis: ea, quorum vis facilè perit, in lagenis vitreis bene obturatis.

Vegetabilia, cum horum multa ſine virium jactura diutius conſervare difficile, quædam etiam impoſſibile ſit, ſæpiſſime renoventur.

MINERALIA *vix cautelas & nullum particulare anni tempus pro collectione ſibi vindicant: ſed ſint genuina & omni addititio libera.*

PHARMACOPŒÆ GANDAVENSIS.

PARS ALTERA.



PONDERA ET MENSURÆ.

Pondus noſtrum dicitur medicum, & ſequenti ratione dividitur.

Libra	- - - habet	uncias duodecim,
Uncia	- - - - - - -	drachmas octo,
Drachma	- - - -	ſcrupulos tres,
Scrupulus	- - -	grana viginti.

Libra ſive unciæ duodecim pendent Uncias novem ponderis pariſini *Poids de Marc* dicti.

Menſuras noſtras conſtituunt Pinta civilis ejuſque diviſiones: Pinta hæc continet Libras duas, ſive Uncias viginti quatuor Aquæ diſtillatæ.

Omnia, tam liquida quam ſicca, ponderanda, niſi menſura expreſſa ſit: pro liquidis verò, quæ ad Uncias in medicorum formulis occurrunt, menſuræ, quæ præſcriptorum liquorum Unciam unam vel duas tenent, adhiberi poſſunt.

SIMPLICIUM QUORUMDAM PRÆPARATIONES.

ÆTHIOPS MARTIALIS.

Limaturæ Ferri puriſſimæ vaſi vitreo ſive porcellaneo commiſſæ affundatur Aqua ad quatuor digitorum transverſorum ſupereminentiam: agitetur quotidie ſub Aqua ſpatula lignea vel ferrea, & Aquæ evaporatione ſpontanea abſumptæ novam ſubſtitue: continuetur hic labor per plures hebdomadas: magna ſic Ferri pars in pulverem nigrum in Aqua per aliquot minuta ſuſpenſilem redacta erit; Aqua tum illo turbida decantetur, ut quieta dimittat pulverem, quem ab ea ſeparatum celeriter ſicca & in vaſis vitreis optimè obturatis ſerva.

ALUMEN USTUM.

Immitatur Alumen vaſi terreo amplo non vitrato, & igne valido urgeatur, donec omni privatum cryſtalliſationis Aqua maſſam opacam, albam, ſpongioſam, friabilem exhibeat.

ANTIMONIUM PRÆPARATUM.

Antimonium crudum pulveriſatum committatur vitro cylindraceo; affundatur ei larga Aquæ quantitas, & cum ea probè agitetur: Aquam dein polline tenuiſſimo turbidam in vas idoneum decanta; pulvis reſiduus craſſior ſuper porphyritem lævigetur & cum Aqua eodem modo tractetur: omnem tandem pollinem, ubi ſubſederit, Aquas decantando ſepara & ſicca.

Eodem modo Præparantur

CALAMINARIS LAPIS.
CHELÆ CANCRORUM.
CORALLIA.
CORNU CERVI USTUM.
LAPIS HÆMATITES.
LITHARGYRIUM.
OCULI CANCRORUM.
OSTREORUM TESTÆ PURÆ.
OVORUM TESTÆ, membrana adhærente ſeparata.
TUTIA.

CORNU CERVI USTUM.

Cornuum Cervi fruſta inter prunas, vel igne reverberii calcinentur, uſque dum intus æquè ac extus penitus albeſcant.

MEL DESPUMATUM.

Addatur Melli ſufficiens Aquæ bullientis quantitas, ut colum tranſeat: coquatur dein, ſpumam inter bulliendum auferendo, ad ſyrupi ſpiſſioris conſiſtentiam.

MERCURIUS VIVUS PURIFICATUS.

Ut Mercurius vivus obtineatur ab omni labe alieni Metalli purus, deſtillet e Retorta vitrea in recipiens, cui ad dimidium ſit indita Aqua, cum tantum adhibendo calorem, qui ad ejus elevationem requiritur: deſtillatione peracta, ſeparetur ab Aqua, ac omne ei adhærens humidum linteo puro, ſive charta emporetica abſtergatur.

Mercurius vivus pulveris grisei forma Aquæ superficici inhærens collectus & in cochleari ferreo mundo Igui expositus formam fluentem recuperabit.

NITRUM DEPURATUM.

Fiat nitri rafinati in aqua bulliente saturata dissolutio, & ad crystallisandum reponatur: natæ dein crystalli super chartam bibulam siccentur: lixivium verò superstes evaporatione & crystallisatione tractetur, donec crystallis prysmaticis exhaustum sit. Prima crystallisatione obtentæ crystalli pro usu interno, ac operationibus chemicis, quæ Nitrum purissimum requirunt, seponantur.

OPIUM COLATUM sive EXTRACTUM OPII.

Solvatur Opium in sufficiente quantitate Aquæ bullientis, coletur forti expressione per linteum, & vaporet balnei maris calore ad extracti solidioris consistentiam.

PULPA CASSIÆ.

Pulpa e Cassiæ Fistulæ leguminibus longitudinaliter apertis separatur unà cum seminibus & septis transversalibus, a quibus, eam cochleari ligneo per cribrum setaceum transprimendo purgatur. Eodem modo parantur

PULPA TAMARINDORUM.
- - - - - PRUNORUM.

Posterior fit prægressa fructus coctione in Aqua donec mollescat, & trajecta pulpa dein leni calore ad debitam consistentiam reducitur.

PULVERES SIMPLICES.

Solida Medicamenta, probè ſiccata in Mortario ferreo, non æneo, pulverata, & per Cribrum denſum fericium trajecta vaſis clauſis, ne ab humiditate lædantur, ſerventur.

Saccharum, aliaque, quæ a Ferro inquinari poſſunt, in Mortario e duro lapide confecto pulverentur piſtillo ligneo.

Variis ſubſtantiis pulverandis adjici ſolent Amygdalæ earumve Oleum, ut pulveris ſubtilioris impediatur diſperſio: pulveres verò ita præparati intra paucos dies rancorem contrahunt, & ſæpe alios effectus edunt, quam quos inde expectat Medicus: poſſent quidem alia minus contaminantia adhiberi; quum verò operculo ligneo, cujus centrum piſtillum tranſeat, mortarium tegendo pulveris jactura pro majori parte evitetur, medium hoc qualicumque additamento præferri meretur.

Si in pulverem redigenda ſint acria, ut Euphorbium, Cantharides, &c., a quorum diſperſo pulvere læderetur Operator, Mortarium operculo coriaceo ipſi & piſtillo fortiter alligando muniatur.

SAL AMMONIACUM DEPURATUM.

Fiat Salis Ammoniaci in ſufficiente quantitate Aquæ diſſolutio: filtretur liquor per chartam bibulam, & vaporet in vaſe vitreo leni calore ad ſiccitatem.

SCILLA SICCATA.

Scillæ bulbi, cortice exteriore ablato, transversim secentur in taleolas tenues, & calore lenissimo, ne amaritiem & acrimoniam perdant, siccentur.

SERUM LACTIS.

Ebuliant Lactis vaccini pintæ duæ in vase terreo, & adjiciatur cremoris tartari drachma una semis: fiet partis caseosæ & butyraceæ separatio: liquor dein colatus clarificetur unius ovi albumine in spumam agitato, & denuo coletur.

SPONGIA PRÆPARATA.

Spongiæ finissimæ, siccæ, in laminas sectæ immergantur ceræ flavæ liquefactæ: prælo deinde fortiter expressæ & frigefactæ serventur.

SPONGIA USTA.

Spongia in frustula concisa immittatur in fictile non vitreatum, quod ita operiatur, ut liberior quidem aëris accessus arceatur, vaporibus verò elasticis sit exitus: reponatur tum vas in igne, donec Spongia nigra & friabilis sit; dein in pulverem trita vase vitreo bene obturato servetur.

STANNUM PULVERATUM.

Stannum malaccense liquefactum, in pixide lignea, creta intus obducta, & operculo munita, sive in Mortario ferreo parum calefacto celeriter agitetur, donec redigatur in

pulverem cribro ſericeo ſeparandum a metalli particulis grandioribus, quæ liquefactæ eodem modo tractentur.

SUCCI EXPRESSI.

Succus e vegetabili recenti inciſo & contuſo torculari expreſſus clarificetur albumine ovorum: ille verò qui e plantis antiſcorbuticis expreſſus eſt, cum ſcateat partibus volatilibus, quibus vires antiſcorbuticæ debentur, in vaſis vitreis clauſis, uti ſuccus pomorum citri, aliorumque fructuum, per ſubſidentiam depurandus eſt.

Succus per aliquod tempus aſſervandus committatur lagenis vitreis, quæ eo repletæ, ſuperaſſuſo paululo Olei Olivarum optimi, & probè obturatæ reponantur in loco frigido.

VITRUM ANTIMONII CERATUM.

Ceræ flavæ drachmæ uni in cochleari ferreo liquefactæ adjiciatur Vitri Antimonii præparati uncia una, & detineatur ſuper lenem Ignem, ſpathula aſſiduè agitando, horam dimidiam: frigeſacta dein materia teratur in pulverem.

PULVERES COMPOSITI.

Pulveres plures ſimplices pulverem conſtituunt compoſitum: ſolent ſieri omnia ingredientia integra, ad præſcriptum pondus commixta, ſimul terendo in pulverem; hac verò methodo raro ſervatur ingredientium proportio: ſæpe enim multum de pulvere leviori inter pulveriſandum in auras

diſſipatur, vel aliquid reſidui, quod cribrum tranſire renuit, abjiciendum eſt : præſtat ideo omnia ſeparatim pulveriſata & per cribrum ſericeum trajecta ad præſcriptam quantitatem, triturando in Mortario marmoreo, exactiſſimè miſcere. Pulverem compoſitum ſi ingreditur opium, illud ad determinatum in formula pondus receptum leniſſimo calore ſiccetur; tum, pulveris pauxillum primò, reliquum dein partitis vicibus addendo, teratur, donec uniformiter per totum pulverem diſperſum ſit.

Serventur pulveres compoſiti in Vitris probè obturatis.

PULVIS ABSORBENS ANODYNUS.

Rec. Pulveris Lapidum Cancrorum . . unc. tres ſemis,
- - - - Cinnabaris factitiæ . . . drachm. unam,
Opii colati;
Olei eſſentialis caryophyllorum . . ana drachm. ſemis:
Miſce.

Vires titulo reſpondent. Drachma una hujus pulveris continet granum unum opii.

PULVIS ANTARTHRITICUS

DUCIS PORTLANDIÆ, ſive MIRANDOLÆ.

Rec. Pulveris radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
- - - - - - - - - Gentianæ,
- - - - Summitat. centaurii minoris . ana unc. unam,
- - - - - - - - - Chamædrys . . . unc. duas;
Miſce.

Circa

Circa initium præcedentis ſæculi adverſùs Rheumatiſmum, Arthritidem & Podagram laudari cœpit. Quid poſſit ignoramus. Datur ad dragmam mane jejuno ſtomacho.

PULVIS ARI COMPOSITUS ſive STOMACHICUS.

Rec. Pulveris Radicum Ari,
- - - - - - - - Calami Aromatici . ana unc. duas,
- - - - Lapidum Cancrorum,
- - - - Cinnamomi,
- - - - Tartari Vitriolati . . . ana unc. ſemis;

Miſce.

Vires ſtimulantes Radicum Ari citò pereunt: hinc convenit, ut hic Pulvis recens adhibeatur. Præſcribitur in morbis a fibra laxa, torpida, muco lento obruta, præſertim primarum viarum. Doſis eſt dragma pluries de die.

PULVIS CACHECTICUS.

Rec. Croci Martis . . . . unc. unam,
Pulveris Cinnamomi . . . . unc. duas,
- - - - Sacchari albi . . . . unc. tres:

Miſce.

Valet ad Viſcerum Atoniam, & aſſumi poteſt ad plures dragmas de die.

PULVIS CORNACHINI five CATHOLICUS.

Rec. Pulveris Scammonei Aleppenfis,
- - - - Antimonii Diaphoretici,
- - - - Cremoris Tartari . . ana part. æquales:
Mifce.

Aliquibus Pulvis de Tribus, *aliis* Pulvis trium Diabolorum *appellatur. Contendit celeb.* TRILLERUS *pofterius nomen non immerito ei tributum effe, atque afferit, fe ab ufu hujus pulveris diu afservati fummas Cordis anguftias, acres vomendi conatus, Vomitus laboriofiffimos, fævas Cardialgias, vehementiffimas Hypercatharfes &c. obfervaffe. Has turbas celeb. Vir Antimonio diaphoretico diu afservato adfcribit*; *alii foli affumentis difpofitioni tribuunt. A folo Scammoneo pendet vis purgans hujus pulveris*: *addita, præter refinofarum ejus particularum divifionem, nihil præftant. Dofis fcrupulus, fcrupuli duo, dragma.*

PULVIS PECTORALIS.

Rec. Pulveris Radicum Altheæ . . . . . unc. duas
- - - - - - - - - - Ireos Florentinæ,
- - - - - - - - - - Liquiritiæ,
- - - - Gummi tragacanthæ,
- - - - Sacchari albi . . . . ana unc. unam:
Mifce.

Demulcens, obvolvens eft: *vicem fupplet fpeciei diatragacanthæ frigidæ, fpeciei diaireos, & pulveris haly. Affumi poteft ad uncias*

PULVIS PURGANS AROMATICUS.

Rec. Pulveris Caryophyllorum,
- - - - Radicis Zingiberis,
- - - - Cinnamomi,
- - - - Scammonei Aleppenſis . ana part. æquales:
Miſce.

In morbis frigidis, ubi laxa, torpida fibra exſtimulanda eſt, ad dragmam unam, vel ſcrupulos quatuor pro purgante exhiberi poteſt.

PULVIS SUDORIFICUS ſive DOVERI.

Rec. Pulveris Tartari Vitriolati . . unc. quatuor ſemis,
- - - - Radicum Ipecacuanhæ,
Opii colati . . . . ana unc. ſemis:
Miſce.

Alterans eſt potentiſſimum, quod præſertim per ſudores agit: adverſùs Rheumatiſmum inveteratum alioſque ſimiles morbos ad omnia alia rebelles Medicis anglis familiaris eſt. Undecim grana hujus Pulveris continent granum unum Opii: datur tamen ſine noxa ad dragmam dimidiam, vel ſcrupulos duos.

PULVIS TEMPERANS STAHLI.

Rec. Pulveris nitri depurati,
- - - - Cremoris Tartari . . . ana unc. duas,
- - - - Cinnabaris factitiæ . . . drachm. duas:
Miſce.

Immoderatum calorem temperat, antiphlogisticus est. Hæc etiam præstaret sine Cinnabare, quæ in humoribus nostris non videtur solvi.

PILULÆ.

PILULÆ ALOËTICÆ.

Rec. Pulveris Aloës Succotrinæ . . . . unc. duas,
- - - - Salis Polychresti . . . . unc. semis:
Mixtis adde
Extracti gentianæ . . . . unc. duas,
Et fiat cum
Syrupi simplicis . . . . suffic. quantitate
Massa Pilularis.

Lentos, spissos humores solvunt; solida exstimulant, roborant; ad scrupulos duos, aut dragmam purgant. Præsertim Cachecticis conveniunt.

PILULÆ ASTHMATICÆ BOERHAAVII.

Rec. Galbani,
Gummi Ammoniaci . . . . ana drachm. unam:
Terantur cum
Pulveris Myrrhæ . . . . drachm. una semis,
- - - - Castorei Russici . . . . drachm. una:
Dein addantur
Saponis albi . . . . drachm. tres,
Olei Succini . . . . gutt. decem:

Et fiat cum
Balſami Peruviani . . . . . . ſuffic. quantitate
Maſſa Pilularis.

Titulus authorem ejuſque mentem exprimit. Antiſpaſmodicæ, reſolventes ſunt.

PILULÆ BALSAMICÆ MORTONI.

Rec. Gummi Ammoniaci . . . . unc. ſemis.
Balſami Peruviani ſicci . . . . . ſcrup. unum:
Terantur cum
Florum Benzoës . . . . drachm. una,
Pulveris Croci . . . . ſcrup. uno:
Dein, inſtillatis
Olei eſſentialis Aniſi . . . . . gutt. viginti,
Addatur
Syrupi ſimplicis . . . . . . ſuffic. quantitas,
Ut fiat maſſa Pilularis.

Millepedes præparati apud celeb. Authorem dimidiam ferè harum pilularum maſſam conſtituebant: cum autem nulla fida obſervatio vires his Inſectis paſſim adſcriptas probet, aliorum clarorum Virorum exemplo, majorem Gummi Ammoniaci quantitatem eis ſubſtituere conſultum duximus. Laudantur ad dragmam dimidiam, vel ſcrupulos duos quotidie adversùs Tuſſim chronicam, ſcrophuloſam, ubi tubercula ſuſpicari licet. Fortè meliùs in laxo, debili Pulmone, ſputis glutinoſis infarcto.

PILULÆ BENEDICTÆ FULLERI.

Rec. Galbani . . . . drachm. unam,
Macis . . . . drachm. ſemis,
Salis Martis . . . . drachm. ſex:
Terantur cum
Pulveris Aloës Succotrinæ . . . . unc. ſemis,
- - - - Foliorum Sennæ . . . drachm. duabus,
- - - - Myrrhæ . . . . drachm. una,
- - - - Croci . . . . drachm. ſemis:
Dein, additis
Aſſæ Fœtidæ . . . . drachm. una,
Olei Succini . . . . gutt. quadraginta,
Fiat cum
Syrupi de Artemiſia . . . . . ſuffic. quantitate
Maſſa Pilularis.

Eccoproticæ, aperientes, leviter laxam fibram exſtimulantes, roborantes, antihyſiericæ ſunt: ob has dotes ad ſcrupulum, vel dragmam dimidiam quotidie præſertim in Chloroſi præſcribuntur.

PILULÆ COCHIÆ.

Rec. Pulveris Aloës Succotrinæ . . . . unc. duas,
- - - - Colocynthidis . . . . . drachm. tres,
- - - - Scammonei Aleppenſis . drachm. quinque,
- - - - Salis Polychreſti . . . drachm. duas,
Miſceantur, & inſtillatis
Olei Caryophyllorum . . . . . gutt. ſexaginta,
Fiat cum

Syrupi de Stœchade . . . . . ſuffic. quantitate
Maſſa Pilularis.

Fortiter alvum ducunt, & prudenti manu præſcribi debent: dragma continet circiter grana viginti ſex Aloës, grana quinque Colocynthidis, & grana octo Scammonei.

PILULÆ FŒTIDÆ.

Rec. Galbani . . . . unc. ſemis:
Teratur cum
Salis Succini,
Pulveris Caſtorei Ruſſici . . . ana drachm. una:
Dein, addita
Aſſæ Fœtidæ . . . . unc. una,
Fiat, ſub validis Piſtilli ictibus, ut Aſſa Fœtida uniformiter immiſceatur, cum
Syrupi ſimplicis . . . . ſuffic. quantitate
Maſſa Pilularis.

Adverſus morbos ſpaſmodicos, & præſertim hyſtericos, præſcribuntur. Doſis grana decem, viginti, etiam pluries de die.

PILULÆ MARTIALES.

Rec. Æthiopis Martialis . . . . unc. unam:
Redigatur cum
Extracti Abſynthii . . . . . . ſuffic. quantitate
In maſſam, ex qua formentur Pilulæ granorum quinque.

Pro viribus vide in Materia medica FERRUM.

PILULÆ MERCURIALES.

Rec. Mercurii Vivi purificati . . . . . . unc. unam,
Cremoris Tartari . . . . unc. ſemis:
Triturentur in mortario marmoreo ſive vitreo, donec extinctus ſit Mercurius; tum addantur
Pulveris Scammonei Aleppenſis,
- - - - Radicum Jalappæ . . ana unc. una:
Mixta formentur cum
Syrupi Capillorum Veneris . . . ſuffic. quantitate
In maſſam Pilularem.

Has pilulas chirurgus BELOSTE *olim in arcanis habuit, & per omnem Europam celebres reddidit. Vir ille Saccharum, quo Mercurium extingueret, adhibebat: ſed hoc medio tam parum dividitur, ut citò denuò in globulos coeat, & ſub hac forma e Pilulis hac methodo præparatis exprimi poſſit. Celeb. ergo* BEAUMÈ *Cremorem Tartari, quo Mercurius non ſolùm optimè extinguitur, ſed qui etiam cum eodem Salem in humoribus noſtris facilè ſolubilem efficere poteſt, non ſine ratione ſubſtituit.*

Humores ſpiſſos attenuant, reſolvunt: ad ſcrupulum unum, vel dragmam dimidiam purgant, anthelminticæ ſunt: in minori doſi alterant. Laudantur præſertim in morbis cutaneis a cauſa venerea ortis. His ſolis in confirmata lue non videtur fidendum.

PILULÆ

PILULÆ PECTORALES.

Rec. Extracti ſicci Liquiritiæ . . . . . unc. unam,
Styracis Calamitæ . . . . unc. ſemis:
Terantur cum
Pulveris Opii . . . . ſcrupul. octo,
- - - - Croci . . . . ſcrupul. quatuor,
Redigantur dein, addita
Syrupi Balſamici . . . . ſuffic. quantitate,
In maſſam Pilularem.

Dragma una harum Pilularum continet circiter grana octo Opii: hinc in tam parca doſi ordinariò præſcribi debent, ut reliqua ingredientia vix effectum præſtare valeant. Vicem ſupplent Pilularum de Cynoglosso & ad Tussim Scroderi.

PILULÆ PLUMERI.

Rec. Mercurii dulcis,
Sulphuris Aurati Antimonii,
Pulveris Gummi Guajaci . . . ana drachm. duas:
Trituratione probè commixta reducantur cum
Syrupi ſimplicis . . . . ſuffic. quantitate
In maſſam, ex qua formentur Pilulæ granorum trium pondere.

Ad grana duodecim, octodecim, viginti quatuor efficaciſſimè alterant, reſolvunt, diaphoreticæ ſunt; in majori doſi per emeſim, vel alvum agunt. Laudantur in Lue venerea, etiam ubi Frictiones mercuriales feſellerunt, Rheumatiſmo in-

veterato, Scrophulis, Tinea, Herpete aliisque morbis chronicis pertinaciſſimis a lymphæ vitio ortis.

PILULÆ PURGANTES HAENII.

Rec. Extracti Catholici . . . . . . drachm. duas,
Reſinæ Jalappæ,
Pulveris Scammonei . . . . ana drachm. unam:
Probè trità formentur cum
Syrupi ſimplicis . . . . ſuffic. quantitate
In maſſam, ex qua formentur Pilulæ granorum quatuor.

Ad grana viginti, viginti quatuor, aut viginti octo pro tuto Purgante præſcribuntur.

PILULÆ RUFI.

Rec. Pulveris Aloës Succotrinæ . . . . unc. unam,
- - - - Myrrhæ . . . . unc. ſemis,
- - - - Croci . . . . drachm. duas:
Fiat, addita
Syrupi ſimplicis . . . . ſuffic. quantitate,
Maſſa Pilularis.

Hæ Pilulæ apud Authorem continebant duplum Croci: hæc quantitas, aliquibus nimia & peſſimos poſſe effectus producere viſa, poſtea dimidiata eſt: non videtur tamen hæc mutatio obſervatis niti: nam Colegium Londinenſe, in ultima PharmacopϾ ſuæ editione, priſtinam doſim reſtituit. Ad dragmam dimidiam, vel ſcrupulos duos fortiter per alvum agunt; in minori doſi eccoproticæ, alterantes ſunt.

PILULÆ SAPONACEÆ HAENII.

Rec. Gummi Ammoniaci,
Terræ Foliatæ Tartari . . . . ana unc. ſemis:
Probè tritis addantur
Maſſæ Pilularum Rufi . . . . . . unc. ſemis,
Saponis albi . . . . unc. una,
Et fiat, addita
Syrupi ſimplicis . . . . ſuffic. quantitate,
Maſſa, ex qua formentur Pilulæ granorum quinque, in lagena obturaculo vitreo munita, ne humiditatem attrahant, ſervandæ.

Reſolvunt, eccoproticæ ſunt. Ad dragmam, vel dragmam unam & dimidiam præſcribi poſſunt. Vicem ſupplent Pilularum Tartarearum Scroderi.

PILULÆ SCILLITICÆ.

Rec. Gummi Ammoniaci . . . . . . unc. unam:
Teratur cum
Pulveris Scillæ . . . . unc. ſemis:
Adjecta dein
Saponis albi . . . . unc. una,
Cogantur
Syrupi ſimplicis . . . . ſuffic. quantitate
In maſſam Pilularem.

Præcipua harum Pilularum vis pendet a Scilla, quæ quintam totius maſſæ partem conſtituit, & ſic a multis commodè

assumi potest. Vide itaque earum vires in Materia Medica, ubi etiam rationes, ob quas aliorum exemplo Millepedes ejecerimus, videri possunt.

PILULÆ TONICÆ BACHER.

Rec. Extracti Hellebori nigri,
- - - - - Myrrhæ . . . . ana unc. semis,
Pulveris Cardui Benedicti . . . scrupul. quinque:
Misceantur in massam, ex qua formentur Pilulæ grani dimidii ponderis.

Vis harum Pilularum pendet ab Helleboro: addita, considerata præsertim dosi, ad quam ordinariò præscribi debent, vix aliquid præstare possunt. Prudenti manu quotidie ad grana decem, quindecim, aut viginti exhibitæ potentissimè alterant, resolvunt. His titulis laudantur præsertim in Hydrope, & in obstinatissimis casibus quandoque opem tulerunt. In majori dosi ardorem Stomachi, Cardialgiam aliasque turbas excitant, & per vomitum, vel alvum agunt. Vide in Materia Medica HELLEBORUS NIGER.

CONSERVÆ, ELECTUARIA ET CONFECTIONES.

Conservæ dicuntur medicamenta, quæ vegetabilium partibus recentibus cum Saccharo, vel variis pulveribus cum Syrupo, Melleve, in pultis consistentiam redactis constant.

In simplices, quæ Conservas propriè dictas constituunt;

& in compositas, electuaria ordinariò nominatas, quibus & confectiones adnumerantur, distinguuntur.

Conservæ, præsertim eæ, quæ e vegetabilibus recentibus fiunt, serventur vasis bene obturatis in loco frigidiori, ne fermentatione, in quam valdè pronæ sunt, avolante principio volatili, vires suas amittant.

Quum *Conservæ simplices Antiscorbuticæ* paucos tantum dies salvis viribus servari queant, eis unicam, durabiliorem, compositam substituimus.

Vegetabilium, e quibus componuntur, vires habent.

CONSERVA BOTRYOS.

Rec. Foliorum recentium Botryos Mexicanæ . libr. unam:
Reducantur in Mortario lapideo Pistillo ligneo in Pulpam tenerrimam, cui protracta contusione immisceantur
Sacchari albi . . . . libr. duæ.

Eodem modo præparantur

CONSERVA CALENDULÆ ex Floribus.
- - - - - HEDERÆ TERRESTRIS.
- - - - - ROSARUM RUBRARUM ex Floribus.

CONSERVA ACETOSELLÆ.

Rec. Foliorum Acetosellæ . . . . . . libr. unam.
Sacchari albi . . . . libr. duas:
In Pulpam tusis immisceantur
Salis essentialis Acetosellæ . . . . drachm. duæ.

CONSERVA ABSINTHII.

Rec. Pulveris Foliorum Abſinthii vulgaris . unc. quatuor,
- - - - - - Sacchari albi . . . . unc. octo:
Miſceantur, & fiat
Syrupi ſimplicis . . . . . . ſuffic. quantitate
Conſerva.

Eodem modo præparantur

CONSERVA ANTHOS
- - - - - - - FUMARIÆ.
- - - - - - - MENTHÆ.
- - - - - - - SALVIÆ.

CONSERVA ANTISCORBUTICA.

Rec. Foliorum recentium Cochleariæ . . . libr. ſemis,
- - - - - - - - - - - Naſturtii aquatici,
Radicis recentis raphani ruſticani raſpatæ . ana unc. tres,
Sacchari albi . . . . libr. duas ſemis:
Tundantur in pulpam, cui immiſceantur
Aceti Vini . . . . unc. ſex.

ELECTUARIUM DIASCORDIUM ſive CONFECTIO JAPONICA.

Rec. Pulveris Terræ Japonicæ . . . . unc. quatuor,
- - - - Foliorum Scordii . . . . unc. duas,
- - - - Radicis Tormentillæ,
- - - - Florum Roſarum Rubrarum,
- - - - Nucis Moſchatæ . . . ana unc. unam,

Opii, suffic. quantitate Vini Hispanici soluti, . drachm. unam semis:

Mellis despumati . . . . unc. viginti septem.

Melli pelvi æneæ indito & parum calefacto primò incorporetur, Pistilli lignei beneficio, Opium; dein protracta agitatione inspergantur partitis vicibus pulveres, omniaque probè misceantur, ut fiat Electuarium uniforme.

Idem operandi modus adhibeatur in confectione Electuarii Requiei & Theriacæ.

Ita emendatum est famosum illud electuarium e scordio, *seu* diascordium, *quod* FRACASTORIUS, *tamquam præstantissimum Alexipharmacum, omni morbo contagioso, ipsi etiam Pesti, opponere excogitaverat. Præjudicata hæc opinio, quæ diu invaluit, ferè omninò jam excussa est, & refelli non meretur. Anodinum, cardiacum, adstringens Remedium est, quod in nimiis evacuationibus, a sola laxitate aut irritabilitate solidorum pendentibus, non sine fructu præscribitur. Uncia continet grana duo & dimidium Opii. Id dosim moderetur.*

ELECTUARIUM LENITIVUM.

Rec. Radicis Polypodii incisæ & contusæ . unc. duas: coquantur ex

Aquæ pluvialis . . . . pint. una,

Ad . . . . pint. semis:

In colatura dein dissolutis

Sacchari communis . . . . unc. sexdecim.

Fiat leni calore Syrupus ſpiſſior, cui probè immiſceantur
Pulpæ Prunorum,
- - - - Tamarindorum,
- - - - Caſſiæ,
Pulveris Foliorum Sennæ . . . . ana unc. ſex,
- - - - Seminis Aniſi . . . . unc. tres.

Ad unciam unam alteramve mite purgans eſt, quod etiam in morbis inflammatoriis tutò exhiberi poteſt.

ELECTUARIUM REQUIES.

Rec. Pulveris Radicis Altheæ . . . . unc. ſex,
- - - - Amomi . . . . unc. unam ſemis,
Opii, ſuffic. quant. Vini Hiſpanici ſoluti, . unc. ſemis.
Mellis deſpumati . . . . . . unc. viginti duas:
Exactè miſceantur.

Ex hac Compoſitione etiam inutilia ejecimus. Ad conciliandum ſomnum ſanis etiam Infantibus exhiberi ſolet. Peſſimus hic mos vigebit, donec Pharmacopolis lege vetitum fuerit Opii præparata ſine Medici præſcripto divendere. Quælibet dragma continet granum Opii.

THERIACA.

Rec. Pulveris Amomi,
- - - - Radicis Calami aromatici . ana unc. quindec.,
- - - - - - - - Gentianæ . . . . . . unc. duas,
- - - - Cinnamomi . . . . unc. tres,
- - - - Piperis albi . . . . unc. unam,
- - - - Salis Martis ad albedinem calcinati . unc. ſem.

Tincturæ

Tincturæ Castorci . . . . unc. quatuor,
Opii, suffic. quant. Vini hispanici soluti . unc. duas: excipiantur omnia
Mellis despumati . . . . libr. decem,
Et probè misceantur.

Sub hoc nomine hactenus cognita & in Pharmacopœis inventa est monstrosa compositio, ab authore ANDROMACHO *Neronis Medico, denominata, &, quia Venetiis, quotannis maximo apparatu parari, & hinc in omnem Europam transferri solet,* Veneta *dicta. Plura vix alicujus efficaciæ, aliaque multa, quorum virtuti aucta aliorum dosi facilè suppleri poterat, continebat: cœca tamen & superstitiosa in Veteres reverentia eam hactenus inemendatam servaverat. Clarorum Virorum exemplo, hoc præjudicium excussimus, &, nisi omnia nos fallant, potiùs cum virium augmento eam ad hæc pauca ingredientia redegimus.*

Olim tamquam infallibilis panacea omni veneno, omni morbo opponebatur. Nos calidas, cardiacas, stomachicas, anodinas ei vires tribuimus. Scrupuli quatuor continent circiter Granum Opii.

TINCTURÆ, ELIXIRIA, ESSENTIÆ, BALSAMA SPIRITUOSA.

Vocabula *Tinctura, Elixir, Essentia, Balsamum* promiscuè hodie adhibentur ad designanda varia Medicamina specierum e triplici regno desumptarum in appropriato vel spi-

rituoſo, vel ſalino, vel aquoſo Menſtruo Infuſione & Digeſtione præparata. Digeſtio inſtituitur eum in finem, ut Menſtrui in ſpecies actio promoveatur. Fiat hæc calore moderato, numquam ad liquoris ebullitionem intendendo, in vaſe optimè clauſo, ſubinde agitando, ut Menſtruum omnem ſpecierum ſuperficiem aggredi poſſit. Digeſtione peracta, coletur liquor per chartam emporeticam, atque in lagenis bene obturatis ſervetur.

Vaſa ad hanc Operationem requiruntur ampla, ut vaporum circulationi ſit ſpatium ſufficiens: ſint porro vitrea vel figulina, compacta. Metallica omnino rejicienda ſunt.

Tempus, quod digeſtio durare debet, pro quaque *Tinctura* in formula determinavimus; attamen, ſi quis præfert hujus generis Pharmaca præparare calore leniſſimo, qualis eſt media æſtate calor ſolaris, is Digeſtionem plures dies ultra præſcriptum tempus protrahere debet, ut ſit certus Menſtruum omnes partes in eo diſſolubiles extraxiſſe.

BALSAMUM TRAUMATICUM.

Rec. Benzoës . . . . unc. tres,
Aloës hepaticæ . . . . unc. ſemis,
Balſami peruviani ſicci . . . . unc. duas:
trita digerantur dies ſex cum
Spiritus Vini rectificati . . unc. triginta duabus,
& cola.

Est BALSAMUM COMMENDATORIS *a Collegio Edinburgensi reformatum. Storax, Myrrha, Olibanum, Radices Angelicæ & Flores Hypericonis sine damno ex eodem ejecta videntur, &, cum externis præsertim usibus destinatum sit, Aloës hepatica bene succotrinæ substituta est. Vulnerarium, detergens est. Aliqui ad guttas aliquot in Vino, aut alio vehiculo, internè commendant ad dolores Colicos, flatus discutiendos, Stomachum exstimulandum, & roborandum.*

ELIXIR ANTHARTHRITICUM CARIBÆUM.

Rec. Gummi Guajaci triti . . . . unc. duas,
Taffia . . . . pint. duas:
digerantur per octiduum, dein Liquor filtretur.

Circulum intendens, omnes excretiones, & præsertim diaphoresim, juvans, penetrantissimum Remedium est, quod ab aliquot annis, tamquam specificum, adversùs Podagram & Arthritidem laudari cœpit. Dosis uncia dimidia, uncia integra, etiam pluries de die.

ELIXIR PROPRIETATIS.

Rec. Aloës socotrinæ tritæ . . . . . . unc. duas,
Croci . . . . unc. unam,
Tincturæ Myrrhæ . . . . pint. semis,
Spiritus Vini rectificati . . . . . . pint. unam:
digere dies sex, & filtra.

Si Aloës, Crocus & Myrrha simul digestioni committantur, Spiritus Vini rectificatus tam citò Croco & Aloë satura-

tur, ut vix aliquid Myrrhæ extrahere poſſit: hinc tertia pars Tincturæ Myrrhæ adhiberi debet; vel Myrrha primò in tota quantitate Menſtrui per quatriduum degeri, & tum Aloës & Crocus addi.

Primas vias a tenaci muco liberat, earumdemque actionem juvat. Laxis, pituitoſis, cachecticis optimum quandoque tonicum, reſolvens eſt. Nocet ſiccis, bilioſis, & ſyſthema hæmorrhoidale movet. Datur ad guttas viginti, quadraginta, ſexaginta, etiam pluries de die.

ELIXIR STOMACHICUM.

Rec. Extracti Corticis peruviani . . unc. duas,
- - - - Centaurii minoris,
- - - - Gentianæ,
Salis Tartari,
Flavedinis Corticum aurantiorum . ana unc. unam,
Vini albi hiſpanici . . . . pint. duas,
Spiritus Vini gallici . . . . . . unc. quatuor.
Digere dies ſex, & filtra.

Cardiacum, roborans eſt. Vicem ſupplet Elixirii viſceralis. *Dari poteſt ad uncias.*

ELIXIR VITRIOLI ACIDUM.

Rec. Spiritus Vini rectificati . . . . . unc. ſexdecim,
inſtilla
Olei Vitrioli . . . . unc. tres:

concussione optimè mixta digerantur per triduum, tunc addantur

Pulveris crassi Cinnamomi . . . . . drachm. sex,
- - - - - - - Zingiberis . . . . . . unc. semis,
Foliorum Menthæ piperitidis . . . drachm. duæ.

Digerantur rursus dies sex, & filtrentur.

Optimè roborat, &, ubi amara fefellerant, quandoque opem tulit. Minùs, quam alia Elixiria, circulum intendit; ut etiam febricitantibus dari possit. Bis, ter quotidie vacuo Stomacho ad guttas viginti, triginta, quadraginta, in appropriato vehiculo, exhibetur.

ESSENTIA ABSINTHII COMPOSITA.

Rec. Herbæ Absinthii . . . . unc. quatuor,
Corticum Curassavensium
Radicis Galangæ minoris . . . ana unc. unam,
Macis
Cinnamomi . . . . ana drachm. duas:

incisa & contusa digere per quatriduum cum

Spiritus Vini gallici . . . . pint. duabus:

dein filtra.

Ex sola Herba Absinthii cum Spiritu Vini fit eodem modo Essentia Absinthii simplex.

Stomachica, carminativa, antihelmintica est, & Absynthii præsertim vires habet. Dari potest ad dragmam.

ESSENTIA CORTICUM AURANTIORUM.

Rec. Corticum Curaſſavenſium inciſorum . unc. quatuor,
Spiritus Vini gallici . . . . pint. unam.
Digere triduum; & cola.

Eodem modo præparantur

ESSENTIA CORTICUM CITRI.
- - - - - - CAMOMILLÆ.

Analepticas, calidas, carminativas, Olei eſſentialis illius ſimplicis, e quo fiunt, ſpiritu Vini diluti, omnes hæ Eſſentiæ vires habent. Doſis dragma dimidia, dragma una.

TINCTURA ALOËS.

Rec. Aloës ſoccotrinæ tritæ . . . . . . unc. duas,
Spiritus Vini gallici . . . . pint. ſemis.
Digere dies ſex, & filtra.

Eodem modo præparantur

TINCTURA ASSÆ FŒTIDÆ.
- - - - - - MYRRHÆ.

Omnium vires vide in materia medica. Tincturæ Myrrhæ & Aloës, tam ſeorſim quam mixtæ, præſertim a Chirurgis ad putredinem arcendam, ulcera detergenda & oſſium cariem adhibentur.

TINCTURA AMARA.

Rec. Radicis Gentianæ . . . . unc. duas,
Flavedinis Corticum Aurantiorum . . unc. unam,

Canellæ albæ . . . . unc. ſemis,
Cochinillæ . . . . drachm. unam.

Inciſa & contuſa digerantur per quatriduum cum
Spiritus Vini gallici . . . . . . pint. una:
dein liquor filtretur.

Stomachica, roborans eſt. Doſis a dragma ad unciam dimidiam.

TINCTURA CANTHARIDUM.

Rec. Cantharidum contuſarum . . drachm. unam ſemis,
Pulveris Cochinillæ . . . . . drachm. ſemis:
digere, addita
Spiritus Vini rectificati . . . . . pint. ſemis,
dies quatuor, & cola.

Hæc unica, tutiſſima & efficaciſſima, uſibus internis deſtinata Cantharidum præparatio eſt. Ejus vires medicas vide pag. 42. ſine metu dari poteſt ad guttas viginti bis ter de die, & ſenſim augeri doſis.

TINCTURA CASTOREI.

Rec. Caſtorei Ruſſici minutim inciſi . . . unc. unam,
Spiritus Vini rectificati . . . . . . pint. unam:
digere dies ſex, & cola.

Vires nervinas, antihyſtericas, ſpirituoſo Menſtruo evectas Caſtorei habet. Doſis guttæ triginta, ſcrupuli duo, dragma.

TINCTURA CORTICIS PERUVIANI.

Rec. Corticis peruviani contusi . . . . unc. quatuor,
Spiritus Vini rectificati . . . . . . pint. unam:
digere dies decem, & filtra.

Cardiaca, stomachica, roborans est. Convenit laxis cachecticis, alias Corticis præparationes non ferentibus. Dari potest a dragma ad integram unciam.

TINCTURA CROCI.

Rec. Croci . . . . drachm. sex
Spiritus Vini rectificati. . . . . . . pint. semis:
digere dies quinque, & filtra.

Pro viribus vide in Materia Medica CROCUS.

TINCTURA GUAJACI VOLATILIS.

Rec. Gummi Guajaci triti . . . . . . unc. quatuor,
Balsami peruviani. . . . . drachm. duas,
Olei essentialis Sassafras . . . . . drachm. semis,
Spiritus Salis Ammoniaci vinosi . . . . pint. unam:
macera dies sex, & cola celeriter per pannum laneum.

Menstruum hic adhibitum non solùm Gummi Guajaci optimè solvit; sed etiam ejus vires intendit. Sic irritans, calidum, penetrantissimum Remedium est, quod ad parvum coclear manè & vesperi in appropriato vehiculo exhibitum in Rheumatismo chronico multisque Morbis frigidis, in quibus

bus circulum intendere, humores movere, & excretiones juvare utile esse potest, maximis celebratur encomiis.

TINCTURA JALAPPÆ.

Rec. Pulveris crassi Radicis Jalappæ . . . unc. tres,
Spiritus Vini gallici . . . . . . pint. semis:
digere dies octo, & filtra.

A dragma una ad unciam dimidiam efficax, tutum purgans est.

TINCTURA IPECACUANHÆ.

Rec. Pulveris crassi Ipecacuanhæ . . . . unc. unam,
Vini albi hispanici . . . . pint. semis,
Spiritus Vini gallici . . . . . . unc. duas:
macera triduum, & cola.

Ad unciam dimidiam vel integram per emesim agit, & facilè assumitur: in minori dosi alterat. Vide IPECACUHANA.

TINCTURA LACCÆ sive AQUA GINGIVALIS.

Rec. Gummi laccæ triti . . . . . unc. unam semis,
Pulveris Myrrhæ . . . . unc. semis,
- - - - Aluminis crudi . . . . drachm. duas,
Aquæ vulnerariæ vinosæ . . . . . pint. unam:
digere dies sex, & cola.

Per se vel cum Melle Rosarum mixta ad laxitatem, hæmorrhagiam & ulcera gingivarum atque oris, præsertim a scorbuto producta, adhibetur. Internè non datur.

TINCTURA MELAMPI ſive HELLEBORI NIGRI.

Rec. Radicis Hellebori nigri inciſæ . unc. quatuor ſemis,
Pulveris Cochinillæ . . . . . . drachm. ſemis,
Vini albi hiſpanici . . . . pint. unam,
Spiritus Vini gallici . . . . unc. quatuor:
ſiat digeſtio per octiduum; liquor dein ſiltretur.

Vires habet a ſola Radice Hellebori, quas vide in Materia medica, & pag. 244. *Cochinilla huic Tincturæ, ut etiam Tincturæ Cantharidum, gratiorem colorem conciliat, & præterea nihil præſtat. Commendatur parvum coclear bis de die in appropriato vehiculo, tamquam alterans, reſolvens & ſpeciatim potenter menſes movens. In hoc ultimo efficiendo tantæ efficaciæ a celeb.* MEADIO *ſtatuitur, ut, ſi vaſa uterina vincere nequeat, ſanguinem per alias vias pellat. Si id verum ſit, prudenti manu præſcribi debet. Sed a Pilulis* BACHERI, *utut in larga doſi datis, numquam Hæmorrhagiam obſervavimus.*

TINCTURA OPII ſeu LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMII.

Rec. Opii inciſi . . . . unc. duas,
Croci . . . . unc. unam,
Pulveris craſſi Cinnamommi,
- - - - - - - Caryophyllorum ana drachm. unam:
Vini albi hiſpanici . . . . unc. viginti,
digere dies quatuor, & filtra.

Vires habet præſertim ab Opio, cujus grana duo continentur in ſcrupulo uno hujus Tincturæ.

TINCTURA SUCCINI.

Rec. Succini ſubtiliſſimè triti . . . . . . unc. quatuor,
Spiritus Vini Alkohol . . . . . . pint. unam:
digere dies ſex, & cola.

Laudatur tamquam nervina, antiſpaſmodica, roborans. Vide pag. 200. doſis guttæ viginti, quadraginta, ſexaginta.

A C E T A.

ACETUM ANTISEPTICUM,

VULGO VINAIGRE DE QUATRE VOLEURS.

Rec. Herbarum Abſinthii . . . . unc. unam ſemis,
- - - - - Rorismarini,
- - - - - Salviæ,
- - - - - Menthæ,
- - - - - Rutæ . . . . . . ana drachm. duas,
Florum Lavendulæ . . . . unc. unam,
Allii,
Radicis Calami Aromatici,
Cinnamommi,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ . . . . . . ana drachm. unam:
inciſa & contuſa digerantur dies octo cum

Aceti Vini . . . . pint. duabus:
Liquori dein filtrato addantur
Camphoræ Spiritus Vini gallici unc. quatuor solutæ . . . . drachm. duas.

Vocatur etiam Acetum Prophylacticum, *& tamquam tale laudatum est adversùs Pestem aliosque morbos contagiosos. Refertur, quatuor latrones hoc Remedio in Peste massiliensi impune hoc morbo decumbentes eorumdemque cadavera spoliasse. Hinc posterius nomen & famam sortitum est. Præstans antisepticum videtur.*

ACETUM COLCHICUM.

Rec. Radicis Colchici recentis, incisæ . . . unc. quatuor,
Aceti Vini . . . . pint. unam:
digere dies octo: Tum adde
Spiritus Vini gallici . . . . unc. duas,
& filtra.

Vires vide pag. 56.

ACETUM ROSACEUM.

Rec. Rosarum rubrarum . . . . unc. tres,
Aceti Vini . . . . pint. unam,
Spiritus Vini gallici . . . . unc. duas:
digere quatriduum, & filtra.

Externè adhibetur tamquam resolvens, discutiens, roborans. Temporum & capitis lotio laudatur ad Cephalalgiam.

ACETUM SCILLITICUM.

Rec. Scillæ ſiccatæ & minutim inciſæ . . . unc. ſex,
Aceti Vini . . . . pint. duas:
digerantur dies octo; additis dein
Spiritus Vini gallici . . . . . . unc. quatuor,
liquor filtretur.

Hoc Medicamentum jam a GALENO *notum ſolida exſtimulat, viſcida attenuat, & feliciter infarctus ab his cauſis natos expedit. Laudatur in Hydrope, & præſertim in morbis pectoris, ubi iners pulmo, & tenax viſcidum expellendum eſt. A dragma una ad unciam dimidiam alterat, & plerumque per diureſim agit; in majori doſi per vomitum, vel per alvum. Vide in Materia medica* SCILLA.

OLEA INFUSA.

OLEUM INFUSUM ABSINTHII.

Rec. Herbæ Abſinthii vulgaris inciſæ . . . unc. ſex,
Olei Olivarum . . . . pint. unam:
infunde leni calore in Vaſe clauſo per quatriduum & cola per linteum.

Eodem modo præparantur

OLEUM INFUSUM CHAMÆMELI.
- - - - - - - - - - - MENTHÆ.
- - - - - - - - - - - RUTÆ.

OLEUM HYPERICI.

Rec. Summitatum Hyperici cum Floribus . . libr. unam,
Croci . . . . drachm. duas:
incisa infundantur leni calore per sex dies in
Olei Olivarum . . . . pint. una semis:
in colatura dein dissolvatur
Therebintinæ Venetæ . . . . . . libr. una.

Omnia hæc præparata, cum Olea unguinosa resinosas & oleosas vegetabilium partes solvant eorumdemque colorem extrahant, aliquas plantarum adhibitarum vires possident. Olim parabantur coctione: sed hac methodo perit quidquid volatile est. Præscribuntur ad usus externos. Olea Absynthii, Rutæ & Menthæ, tamquam roborantia, carminativa & antihelmintica, stomacho & umbilico inunguntur. Oleum Chamæmeli, tamquam carminativum & anodinum, adversùs intestinorum tormina & dolores colicos ventri illinitur, & enematibus additur. Spinæ dorsi inunctum commendatur etiam a quibusdam ad febres intermittentes. Oleum Hyperici excellens vulnerarium creditur. Omnia multùm ultra merita laudata sunt.

OLEA EXPRESSA.

OLEUM AMYGDALARUM.

Rec. Amygdalarum non rancidarum . . . quant. vis:
Contunde in Mortario lapideo, donec pastam mollem, pinguem, exhibeant; hanc Sacculo Cannabino inclusam

ſubmitte prelo, & omne Oleum ſenſim exprime, quod a fæcibus dein defunde.

Eodem modo præparantur

OLEUM LINI ex ſem.
- - - - NUCUM JUGLANDIUM.
- - - - PAPAVERIS ALBI ex ſem.

Ad *Olei Amygdalini* præparationem promiſcuè poſſunt Recipi Amygdalæ ſive dulces ſive amaræ, quum Oleum, quod largiuntur, utrumque ejuſdem planè ſit naturæ.

Olea Unguinoſa omnia aſſervanda ſunt in loco frigidiori: ſunt enim valde prona ad induendum rancorem, qui calore multum promovetur: variant tamen quoad tempus, quo illo afficiuntur: ſic *Oleum Lini* & *Oleum Olivarum* diutius quam reliqua ſuam naturam ſervant. *Oleum* verò *Amygdalarum* dicta labe brevi contaminatur; hinc poſtremum hoc Oleum parva quantitate, quæ paucos dies tantum durat, exprimatur.

Omnia hæc Olea eaſdem vires habent, quas vide pag. 131. *&* 132.

OLEUM OVORUM.

Rec. Ovorum recentium . . . . quant. vis:

Coque in aqua communi, ut indurentur penitus; dein vitellos exime, eoſque in pelvi leni igni commiſſos Piſtillo ligneo aſſiduè tere, donec eorum volumine imminuto, atque omni fugato humido, maſſam Unguinoſam albo flavam ex-

hibeant: tum ſubitò, ne ruſeſcant, quod decompoſitionis initium denotaret, ab igne removeantur. Ferventes etiamnum indantur Sacculo Cannabino ſive e Pilis equinis contexto, & exprimatur Oleum.

Laudatur præſertim ad ſiſſuras mammarum & labiorum, ad hæmorrhoidum dolores, ad delendas variolarum ſoveas aliaſque cicatrices, & ad ambuſta. Ab aliis tamen Oleis unguinoſis nihil videtur diverſum habere.

BUTYRUM CACAO.

Rec. Nucum Cacào . . . . quant. vis:

Torreantur in Sartagine ferrea, donec a corticibus liberari queant: decorticatæ reducantur in pulverem craſſiorem, & includantur ſacco linteo, qui aquæ bullientis vapori tamdiu exponatur, uſque dum vapor totum pulverem penetraverit: Sacco deinde inter preli laminas moderatè calefactas collocato, exprimatur Oleum, quod Balnei maris calore liquatum a fæcibus defundatur.

Conſiſtentia, non viribus, differt ab aliis Oleis expreſſis.

UNGUENTA, CERATA, POMATA, BALSAMA UNGUINOSA.

Sub his denominationibus veniunt Medicamenta tactu mollia, modò Axungiæ Porcinæ, ſive Butyri, modò ſebi conſiſtentiam habentia, leni affrictu Corporis externis partibus applicanda.

Olea

Olea expressa & pinguedines animales usitatiora horum præparatorum sistunt excipientia: junguntur eis liquatione, dissolutione, vel simplici immixtione præcipuè Cera, Substantiæ resinosæ, Balsama nativa, Metallorum Calces, aliaque plura sicca in tenerrimum Pulverem redacta.

Præparantur hæc Pharmaca ordinariò in pelvi ænea igni moderato, qui ingredientia neutiquam decomponere valet, superimposita, accedente agitatione lignea spatula vel pistillo, encheiresi ad quamque formulam exponenda.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM.

Rec. Viridis æris pulverisati . . . . . . unc. quinque,
Aceti Vini . . . . unc. septem,
Mellis . . . . unc. quatuordecim.

Mixta coquantur sub perpetua agitatione, donec, Mellis phlogisto revisicato cupro, colorem rubrum, & Unguenti consistentiam acquisiverint.

Ulcera sordida, putrida detergit; Carnem spongiosam reprimit & absumit.

UNGUENTUM ALBUM CAMPHORATUM.

Rec. Axungiæ porcinæ . . . . unc. sexdecim,
Cerussæ pulveratæ . . . . unc. octo,
Camphoræ, S. Q. Olei Olivarum solutæ . dragm. tres:

misceantur exactè.

Deficcat, refrigerat, difcutit: adhibetur in excoriationibus & levibus inflammationibus: nocet in Eryfipelate. In vafe bene claufo fervari debet, ne Camphora deperdatur.

UNGUENTUM ALTHEÆ.

Rec. Ceræ citrinæ . . . . libr. unam,
Terebinthinæ venetæ . . . . unc. tres,
Refinæ . . . . libr. femis:
liquentur leni igne in
Olei Olivarum . . . . pint. una femis,
- - - Lini . . . . .pint. femis,
& colentur per linteum.

Ab Oleo e mucilaginibus, *quod olim ad parandum hoc Unguentum adhibebatur, &, cum conftet Olea expreffa vegetabilium mucilaginem non folvere, jam ejectum eft, nomen retinuit. Emolliens, relaxans, refolvens eft.*

UNGUENTUM BASILICUM.

Rec. Ceræ flavæ,
Refinæ,
Picis nigræ,
Terebinthinæ venetæ . . . . . ana libr. femis:
liquata moderato calore in
Olei Olivarum . . . . pinta una,
colentur.

Digerit; fuppurationem promovet: ulcera detergit.

UNGUENTUM E LAPIDE CALAMINARI.

Rec. Ceræ flavæ . . . . unc. octo:
liquefcant igne leni in
Olei Olivarum . . . . pint. una:
ab igne remotis paulatim immifce
Lapidis Calaminaris præparati . . . libr. femis,
& affiduè agita, donec refrixerit Unguentum. Vicem fupplet *Unguenti deficcativi.*

Excoriationes & ulcera optimè exficcat.

UNGUENTUM FUSCUM VULGÒ DE LA MERE.

Rec. Lithargyrii præparati . . . . libr. tres,
Olei Olivarum . . . . pint. quatuor:
coquantur fub perpetua agitatione, donec Fufcum colorem atque Emplaftri confiftentiam acquifiverint; quo facto, liquentur in eis
Ceræ flavæ,
Axungiæ porcinæ,
Sebi ovilli,
Butyri recentis . . . . ana libr. tres.

Ob magnam quantitatem pinguedinum Lithargyrio additarum mitiffimum exficcans eft.

UNGUENTUM MERCURIALE.

Rec. Mercurii vivi puri,
Axungiæ porcinæ . . . . . ana part. æquales:

terantur in Mortario marmoreo, donec Mercurius omnis extinctus fuerit, & nulli, dum parum hujus Unguenti superiori parti manus affricatur, appareant Globuli Mercuriales.

Si ad Mercurii partem unam recipiantur sex partes Axungiæ, surgit *Unguentum Neapolitanum.*

Mercurii extinctio multum acceleratur, si Axungia recipiatur rancida, vel vetusti Unguenti Mercurialis portio miscelæ addatur.

Resolvens & antisiphilliticum est efficacissimum, quod non solum morbis topicis, sed etiam universali Lui opponitur, & reliquis Mercurium adhibendi methodis hactenus palmam videtur præripere. Scrupuli duo, quatuor, sex alternis diebus, aut dimidiata dosis quotidie, magnæ corporis superficiei affricantur. Ut omnia Mercurii præparata, prudentem manum exigit: nam major dosis, & etiam in quibusdam subjectis multò minor salivationem excitat; os inflammat, exulcerat; horrenda symtomata producit, & minùs rectè luem curat. Omnes Cautelæ hujus loci non sunt.

UNGUENTUM NERVINUM.

Rec. Foliorum Salviæ,
- - - - - Lauri,
- - - - - Roris marini,
- - - - - Thymi,
- - - - - Pulegii,
- - - - - Origani . . . ana unc. quatuor semis:

incisa infundantur leni calore per quatriduum in

Olei Olivarum . . . . pint. tribus:

infusione peracta, colentur, & in colatura liqua

Ceræ citrinæ . . . . libr. unam semis,

Sebi ovilli . . . . libr. unam:

Unguento dein refrigerato immisce

Olei Essent. Roris marini . . . unc. unam semis,

- - - - - - Lavendulæ . . . . . . unc. semis.

Titulus virtutem exprimit: frigidis scilicet nervorum morbis opponitur, & membro paralytico, atrophico &c. affricatur.

UNGUENTUM NUTRITUM.

Rec. Lithargyrii præparati . . . . . . libr. semis,

Olei Olivarum . . . . lib. unam semis,

Aceti Vini . . . . libr. semis,

agitentur Pistillo ligneo in Vase figulino calidis cineribus imposito, donec penitus coierint, & albi coloris Unguentum constituant, in quo nullæ amplius Lithargyrii particulæ conspicuæ sint.

Refrigerat, exsiccat: adhibetur adversùs excoriationes, pruritum ulcerum &c.

UNGUENTUM POPULEUM.

Rec. Gemmarum Populi recentium . . . . libr. tres:

immittantur in Vas figulinum, & eis affunde

Axungiæ porcinæ liquatæ . . . . . . libr. sex:

Vas clauſum reponatur in illud tempus, quo ſequentia vegetabilia comparari queant recentia, ſcilicet

Papaveris albi,
Hyoſcyami . . . . ana libr. una ſemis,
Solani . . . . libr. duæ,
Belladonæ . . . . libr. una:

contuſa addantur miſcelæ Axungiæ & Gemmarum Populi: coquantur ad conſumptionem duarum tertiarum humiditatis; tum cola cum expreſſione, & Unguentum a fæcibus & reſiduo humido ſepara.

Quum a vegetabilibus hypnoticis hujus Unguenti vires dependeant, hæc ſola, aucta doſi, in eo ſervavimus.

Refrigerans, emolliens, paregoricum eſt. Laudatur ad ambuſta & non ſine fructu dolentibus Hæmorrhoidibus applicatur: reliquæ laudes, quæ hinc inde apud Authores occurrunt, præjudicio nituntur.

UNGUENTUM ROSACEUM.

Rec. Axungiæ porcinæ . . . . quant. vis:
immitte in Pelvim figulinam, & Piſtilli lignei ope lavetur & ſubigatur cum Aqua Roſarum, donec ejus odore fuerit imbuta & niveum acquiſiverit Alborem; tum immiſce ſingulis Axungiæ libris

Olei Eſſent. Bergamot . . . . . gutt. duodecim.

Potius ad Odoramenta, quam ad uſus medicos adhibetur: cuti aridæ, fiſſæ, emolliendi ergo, a quibuſdam applicatur. Ad hos uſus æquivalet meræ Axungiæ.

UNGUENTUM DE STYRACE.

Rec. Gummi elemi,
Ceræ flavæ . . . . . . ana unc. quatuor femis,
Colophoniæ . . . . unc. novem:
liquentur leni igne in
Olei Olivarum . . . . pint. una:
ab igne remotis addantur
Styracis liquidæ . . . . unc. quatuor femis.

Ceffante effervefcentia, quæ a parte aquofa, quam Styrax liquida femper continet, exoritur, rurfus leni exponantur calori, & agitentur perpetuò fpatula lignea, donec omni humido evaporatione fugato, Unguentum denuo pelluceat; tum cola, & ubi refrixerit, a fæcibus fepara.

Ulceribus laxis, putridis imponitur.

BALSAMUM ARCÆI.

Rec. Gummi Elemi,
Terebinthinæ venetæ . . . . . . ana unc. fex,
Sebi Ovilli . . . . unc. octo,
Axungiæ Porcinæ . . . . unc. quatuor.
Liquefcant lento igne & colentur.

Vulnerarium, digeftivum eft.

BALSAMUM LOCATELLI.

Rec. Olei Olivarum . . . . pint. unam femis,
Santali rubri pulverifati . . . . unc. tres:

digere usque dum Oleum rubro colore tinctum sit, tum adde

Ceræ flavæ . . . . unc. octo,

Terebinthinæ venetæ . . . . . . unc. sexdecim:

leni igne liquatis, satisque refrigeratis probè immisceantur

Balsami Peruviani . . . . unc. tres.

Extus vulnerarium est: intus laudatur ad Contusiones, Vulnera & Ulcera interna. Non mirum itaque si adversùs Tussim, Hæmopthisim, Phthisim hinc inde commendatum reperiatur. Vitello Ovi subactum & duplæ quantitati Conservæ Rosarum rubrarum immixtum, tamquam vulnerarium, a Medicis anglis præscribitur.

CERATUM SATURNINUM.

Rec.. Ceræ albæ . . . . libr. semis:

Pelvi figulinæ commissa liquetur addita

Olei Olivarum . . . . pint. una:

refrigeratis admisceantur sub assidua agitatione Pistillo ligneo

Extracti Saturni . . . . unc. quinque:

Resolvens, discutiens, quandoque repercutiens est: hinc prodest levibus Inflammationibus; sæpe nocet Erysipelati.

LINIMENTUM CEREUM.

Rec. Ceræ albæ . . . . unc. unam,

Spermatis ceti . . . . unc. unam semis:

liquescant lenissimo calore in

Olei Olivarum . . . . pint. semis:

ab

ab igne remota perpetuò agitentur, donec penitus refriguerint.

Emolliens, relaxans est.

POMATUM AD LABIA.

Rec. Ceræ albæ . . . . unc. octo,
Spermatis Ceti . . . . unc. quatuor:
liquefcant in
Olei Olivarum . . . . pint. una:
liquatis adde
Aquæ Florum Aurantiorum . . . pint. femis,
Radicis Anchufæ contufæ . . . . unc. duas:
coquantur lento igne ad confumptionem humiditatis; dein colatis & fufficienter refrigeratis immifce
Olei effent. Caryophyllorum . . gutt. tringinta fex.

Eafdem cum præcedenti vires habet. Radix Anchufæ colorem, Aqua florum Aurantiorum & Oleum Cariophyllorum odorem conciliant. Cæterùm nihil præftant.

TABELLÆ AD SCABIEM.

Rec. Mercurii vivi . . . . unc. unam femis:
diffolvatur leni calore in
Spiritus Nitri . . . . unc. tribus:
fumantur dein
Axungiæ porcinæ . . . . libr. duæ:
his in vafe figulino liquatis addatur præfcripta mercurii diffolutio, ac mifcela piftillo ligneo affiduè agitetur, donec

incipiat ſpiſſeſcere; tum effunde in formam chartaceam, & refrigeratum Unguentum in Tabellas unciam dimidiam pendentes ſeca.

Oportet Mercurii diſſolutio ſit Aquæ adinſtar diaphana, quod conſtanter obtinget, ſi ſpiritus nitri receptus fuerit puriſſimus; ſi vero is Acido vel vitriolico, vel muriatico inquinatus ſit, Mercurius, eo momento, quo diſſolvitur, præcipitatur, & loco Nitri Mercurialis fit ratione alieni immixti Acidi vel Vitriolum Mercurii, vel Mercurius præcipitatus albus.

Diſſolutio mercurialis, dum miſcetur cum Axungia, decomponitur: Acidum Nitri ſcilicet Saponis acidi ſpeciem cum Axungia conſtituit, & ab Acido derelictus Mercurius colorem citrinum Unguento conciliat.

Titulus uſum exprimit. Dragma dimidia vel integra quotidie brachiis vel tibiis affricatur. Cum major doſis omnes effectus unguenti Mercurialis pag. 268. deſcriptos edere poſſit, cautè potius cum his Tabellis procedendum eſt.

EMPLASTRA, SPARADRAPA, CEREOLI.

Emplaſtra ſiſtunt Medicamenta externa, ſolida, manibus tractata moleſcentia & ductilia, parti, cui applicantur, ſe agglutinantia,

Fiunt ex pinguibus, oleoſis, plurimiſque ſubſtantiis ſiccis, æquè ac Unguenta, eademque inſtrumenta cum illis

communia habent : soliditatem suam debent vel Ceræ, Resinis, vel Calcibus saturninis ; illa non aliam quam unguenta encheiresim postulant, hæc verò sequenti modo præparantur : Plumbi Calx atque Oleum cum addita sufficiente quantitate Aquæ igni imposita, sub perpetua agitatione, coquuntur, Aquæ, quæ impedit quo minus Oleum aduratur, ea ratione, qua exhalat, novam substituendo ; donec dicta Calx in Oleo penitus dissoluta sit : deinde superstes Aqua leni calore evaporatur, & Emplastro ab igne remoto & paululum refrigerato reliqua ingredientia probè immiscentur.

Succi concreti gummeo-resinosi in sufficiente quantitate aquæ solvantur, colentur, & ad Extracti spissioris consistentiam leni calore reducantur, priusquam Emplastro addantur.

Linteolum Emplastro utrimque æquabiliter illinitum *Sparadrapum*, vel *tela Emplastica* appellatur : hoc verò *Sparadrapum*, si in tenues cylindros superficie lævi, eaque crassitie, ut in Urethram introduci possint, donatos convolvatur, *Cereoli* vel *Candeolæ* nomine venit.

Emplastra, dum præparata sunt, in Bacillos cylindriformes, quos *Magdaleones* vocant, efformari solent.

EMPLASTRUM DE CICUTA.

Rec. Ceræ citrinæ . . . . unc triginta duas,
Olei Olivarum . . . . pint. unam :

leni calore colliquatis probè immiſceantur

Extracti Cicutæ . . . . unc. ſexdecim,
Gummi ammoniaci colati . . . . . libr. ſemis,
Pulveris Cicutæ . . . . libr. una.

Laudatiſſimum reſolvens eſt, quod tumoribus duris, ſcirrhoſis imponi ſolet, dum interim Cicutæ uſus internus tentatur.

EMPLASTRUM COMMUNE.

Rec. Lithargyrii pulveriſati . . . . libr. tres,
Olei Olivarum . . . . pint. quatuor,
Aquæ communis . . . . quant. ſatis:
coquantur ſub continua agitatione, Aquam evaporatam nova ſubinde ſupplendo, donec Lithargyrium diſſolutum fuerit, atque maſſæ debita ſit conſiſtentia.

Excoriationes, vulnera, ulcera emollit, fovet, ab aëre defendit, exſiccat: hinc communiſſimè adhibetur.

EMPLASTRUM DEFENSIVUM RUBRUM.

Rec. Ceræ citrinæ . . . . libr. quinque:
liquentur leni calore in
Olei Olivarum . . . . pint. una ſemis:
ab igne remotis & penè refrigeratis immiſceantur
Minii,
Pulveris Boli armenæ . . . ana unc. ſexdecim,
- - - - - Olibani,
- - - - - Maſtichis . . . . ana unc. duæ,
Camphoræ, S. Q. Olei ſubactæ, . . . unc. una,

Ad arcendam inflammationem & acrium humorum defluxum Vulneribus & Ulceribus imponi ſolet. Has vires tamen non videtur poſſidere.

EMPLASTRUM DIACHYLON CUM GUMMI.

Rec. Emplaſtri communis . . . . libr. quatuor,
Ceræ flavæ,
Terebinthinæ venetæ . . . . . . ana unc. tres:
colliquata ab igne removeantur, &, dum ſufficienter refrigerata ſunt, eis probè immiſce
Gummi ammoniaci colati,
Galbani colati . . . . ana unc. quatuor.
Vicem ſupplet *Emplaſtri de Galbano.*

Emolliens, digerens, maturans, reſolvens eſt, & tamquam tale Abceſſibus difficulter ſuppurantibus, quin etiam jam apertis, adversùs ſuperſtitem duritiem, imponitur.

EMPLASTRUM DIAPALMÆ.

Rec. Lithargyrii pulveriſati,
Axungiæ porcinæ . . . . ana libr. tres.
Olei Olivarum . . . . pint. duas ſemis,
Aquæ communis . . . . quant. ſatis:
fiat maſſa emplaſtica modo ad *Emplaſtrum commune* expoſito.

Ulceribus laxis, ſpongioſis, ſordidis, tamquam exſiccans, applicatur.

EMPLASTRUM DIAPOMPHOLYGOS.

Rec. Ceræ albæ . . . . libr. tres ſemis:
liqua lento igne in
Olei Olivarum . . . . pint. duabus ſemis:
deinde ab igne remotis admiſce
Pulveris Pompholygos,
- - - - - Ceruſſæ . . . . . ana unc. octodecim,
- - - - - Plumbi uſti . . . . unc. decem,
- - - - - Olibani . . . . . . unc. quatuor ſemis.

Præcedentis vires habet.

EMPLASTRUM EPISPASTICUM, ſive VESICATORIUM.

Rec. Ceræ citrinæ . . . . unc. duas.
Picis nigræ,
Terebinthinæ venetæ . . . . . . ana unc. ſex:
leni calore colliquatis & ab igne remotis immiſce
Pulveris Cantharidum . . . . . . unc. quatuor,
- - - - - Euphorbii . . . . unc. ſemis.

Titulus virtutem exprimit: ſupra corium ſcilicet extenſum, & cuti applicatum eamdem in veſicam attollit. Ut certius agat facto Emplaſtro Pulvis Cantharidum ſuperinſpergi ſolet. In multis tamen caſibus ſibi ſufficit.

EMPLASTRUM GRISEUM, seu E LAPIDE CALAMINARI.

Rec. Ceræ albæ . . . . unc. octo,
Sebi ovilli . . . . unc. decem,
Terebinthinæ venetæ . . . . libr. semis:
leni igne colliquatis admisce
Lapidis calaminaris præparati . . . unc. sexdecim,
Camphoræ, S. Q. Olei Olivarum subactæ, unc. semis.

Optimè exsiccat, & Ulceribus cicatricem inducit.

EMPLASTRUM E MELILOTO sive EMOLLIENS.

Rec. Ceræ albæ . . . . libr. duas,
Sebi ovilli . . . . libr. unam:
liquefiant leni calore cum
Olei Lini . . . . pint. semis:
deinde immisceantur
Pulveris florum meliloti . . . . . unc. decem,
- - - - - baccarum lauri, ... unc. duæ.

Titulus vires designat.

EMPLASTRUM MERCURIALE.

Rec. Emplastri communis . . . . libr. tres:
leni calore liquato & sufficienter refrigerato probè immisce
Unguenti mercurialis . . . . libr. unam,
Olei essent. lavendulæ . . . . . . drachm. unam.

Tamquam resolvens, discutiens tumoribus duris, præsertim a causa venerea productis, applicatur. Ut omnia mercurialia quandoque os afficit.

EMPLASTRUM NIGRUM CAMPHORATUM.

Rec. Cerussæ pulverisatæ . . . . libr. tres: dissolvantur coctione in
Olei Olivarum . . . . pint. quatuor: addantur dein
Ceræ citrinæ . . . . unc. novem,
& protrahatur coctio, donec acquisiverint Emplastri consistentiam; tum removeantur ab igne, &, dum penè refriguerint, immisceantur
Camphoræ, S. Q. Olei Olivarum solutæ, . unc. tres.

Virtus refrigerans, resolvens, anodina passim ei solet adscribi.

EMPLASTRUM OXYCROCEUM.

Rec. Ceræ flavæ,
Resinæ,
Picis burgundicæ,
Terebinthinæ venetæ . . . . . ana unc. sex:
leni igne colliquatis admisce
Gummi Ammoniaci colati,
Galbani colati . . . . ana unc. duas,
Pulveris mastichis,
- - - - Myrrhæ,

Pulveris

Pulveris Olibani . . . . . . ana unc. quatuor,
- - - - Croci . . . . unc. duas.

Resolvens, anodinum, roborans creditur. Multis laudibus extollitur, & præsertim doloribus partium tendinearum & ligamentosarum a distractione vel contusione ortis opponitur.

EMPLASTRUM SAPONACEUM sive E SAPONE.

Rec. Emplastri communis . . . . libr. duas,
- - - - - Diachyli cum gummi . . libr. unam:
lento igne liquefactis admisceantur, pistillo ligneo validè agitando,
Saponis albi rasi . . . . unc. novem.

Emolliens, relaxans, resolvens est.

EMPLASTRUM DE SPERMATE CETI.

Rec. Ceræ albæ . . . . libr. unam,
Spermatis Ceti,
Sebi ovilli . . . . ana libr. semis,
Olei Olivarum . . . . pint. semis:
leni calore colliquescant.

Vicem supplet emplastri *Filii Zachariæ.*

Emollit, relaxat.

SPARADRAPUM AD FONTICULOS.

Rec. Ceræ albæ . . . . unc. sexdecim,
Terebinthinæ venetæ . . . . . . unc. octo:
lento igne liquatis admisce

Cinnabaris factitiæ præparatæ . . . . unc. duas, & fluidæ adhuc massæ immittantur lintea usu detrita, ut fiat sparadrapum.

Titulus usum exprimit.

CEREOLI COMMUNES.

Rec. Ceræ flavæ . . . . libr. tres: liqua leni calore in

Olei Olivarum . . . . unc. sex: ab igne remotis immisce

Salis Saturni, S. Q. Olei triti, . dragm. duas semis: dein immerge telas detritas, ut fiat Sparadrapum, e quo arctè convoluto formentur S. A. Cereoli, calamum circiter crassi & duodecim pollices longi.

Adversùs ulcera, coarctationes & Carnosas excrescentias a Gonnorrhœa relictas in Urethram introducuntur. Stimulo suo copiosam excretionem muci purulenti, qui a vulgo materia GonnorrhϾ olim retenta falsò creditur, excitare solent. Prudentem manum exigunt: nam sævos non rarò dolores & quandoque Testiculorum inflammationem producunt.

EXTRACTA, RESINÆ, ROB.

Extracta vocantur substantiæ vel melleæ, vel Pilularis, vel siccæ consistentiæ, ex Infusis, Decoctis, & Succis expressis, blandæ evaporationis beneficio, paratæ.

Patet igitur, Extractum constare omnibus partibus in inspissando Succo expresso, & Menstruo, quod ad extractionem adhibitum fuerit, contentis, quæ calore ebullientis Aquæ non avolant.

Sunt vel simplicia vel composita: priora respectu eorum partium constituentium rectè a Cl. BAUMè dividuntur in quatuor genera, quorum primum *Extracta Gummosa*, secundum *Gummeo-Resinosa*, tertium *Saponacea*, & quartum denique *Resinosa*, sive *Resinæ* propriè dictæ constituunt.

In Extractis saponaceis Resina cum substantia Gummosa ope principii salini adeò arctè cohæret, ut in Aqua planè dissolubilis sit; Gummeo-Resinosa verò solutionem præbent turbidam, ex qua percolatione multum Resinosæ substantiæ separari potest.

Fructuum Succi inspissati *Rob* vel *Rohob* nomine veniunt, iisque Saccharum, ut austerus sapor tollatur, plerumque additur.

Serventur Extracta in vasis rite obturatis, ne humiditate, quam eorum plurima facilè attrahunt, alterentur.

Omnia Extracta simplicia simplicium, e quibus parantur, vires habent.

EXTRACTUM ABSINTHII.

Rec. Herbæ Absinthii vulgaris . . . . . . quant. vis: coquatur horæ quadrantem in vigecuplo Aquæ pluvialis:

trajiciatur decoctum per ſetaceum cum expreſſione, & clarificetur Albumine Ovorum: tum coletur per pannum laneum, vaporet citra ebullitionem ad Syrupi conſiſtentiam, & protrahatur dein evaporatio, ne Empyreuma contrahat, Balneo Maris, donec acquiſiverit denſi Mellis ſpiſſitudinem.

Eodem modo præparantur

EXTRACTUM CHAMÆMELI.
- - - - - - - - - CARDUI BENEDICTI.
- - - - - - - - - CENTAURII MINORIS.
- - - - - - - - - FUMARIÆ.
- - - - - - - - - GENTIANÆ. Ex rad.
- - - - - - - - - GRAMINIS ET TARAXACI. Ex eorum radicum partibus æqualibus.
- - - - - - - - - HELENII. Ex rad.
- - - - - - - - - HELLEBORI NIGRI. Ex rad.
- - - - - - - - - RHABARBARI. Ex rad.
- - - - - - - - - TRIFOLII FIBRINI.

EXTRACTUM CICUTÆ.

Rec. Herbæ recentis Cicutæ . . . . . quant. vis: contundatur in Mortario lapideo: ſacco dein linteo incluſam committe prelo, & exprime Succum, qui mox cum inhærente fœcula vaporet Balneo Maris, accedente agitatione ſpatula lignea, ne grumos exhibeat, in conſiſtentiam maſſæ Pilularis.

Eodem modo præparantur

EXTRACTUM ACONITI.
- - - - - - - - - HYOSCYAMI.
- - - - - - - - - PULSATILLÆ NIGRICANTIS.
- - - - - - - - - STRAMONII.

EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI.

Rec. Corticis peruviani crasſè pulveriſati . . libr. tres: affundantur

Vini albi . . . . pint. quatuor,

Spiritus Vini gallici . . . . pint. duæ,

& digerantur leni calore per quatriduum, vas ſubinde agitando: Tinctura dein decantetur, ac reſiduum coquatur horam dimidiam cum Aquæ pluvialis pintis viginti quatuor: decoctum tum addatur Tincturæ; colentur, & ſub aſſidua agitatione vaporent modo ad *Extractum Abſinthii* expoſito in conſiſtentiam denſi Mellis.

EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI SICCUM, SEU SAL ESSENTIALE CORTICIS PERUVIANI COMITIS DE LA GARAYE.

Rec. Corticis peruviani pulveriſati . . . . unc. duas: lagenæ vitreæ immiſſis adde

Aquæ puræ frigidæ . . . . pint. ſex,

& fiat, lagenam pluries in die agitando, per biduum infuſio: liquorem dein per chartam bibulam filtra, & len-

to igne evapora ad remanentiam pintæ dimidiæ: tum effundatur ſuper plura fercula porcellanea, & fiat calore Balnei Maris evaporatio ad ſiccitatem; deinde Extractum cuſpide cultri ſub tenuium lamellarum forma a ferculis ſepara, & in lagenula bene obturata aſſerva.

Eodem modo fit

EXTRACTUM SICCUM LIQUIRITIÆ. Ex rad.

EXTRACTUM MYRRHÆ.

Rec. Myrrhæ craſſiuſculè contuſæ . . . libr. unam: affunde

Aquæ fervidæ . . . . pint. ſex, & fiat per biduum maceratio: cola dein per pannum laneum & Balneo Maris ad conſiſtentiam pilularem inſpiſſa.

EXTRACTUM OPII GUMMOSUM ſive EXTRACTUM HOMBERGII.

Rec. Opii crudi inciſi . . . . libr. unam: coquatur per horam dimidiam cum

Aquæ pluvialis . . . . pint. ſex, coletur Decoctum cum expreſſione, & reſiduo nova Aqua affuſa, coctio repetatur, ut quidquid in Aqua ſolubile ſit extrahatur: trajiciatur tum omnis liquor per pannum laneum, & evaporatione ad tres pintas reductus immittatur Cucurbitæ ſtanneæ: reponatur dein Cucurbita in Balneo Arenæ, & inſtituatur digeſtio Igne intenſo ſatis, ut liquor leviter ebulliat: protrahatur digeſtio tali calore

per plures hebdomadas, Aquæ evaporatæ ſubinde novam ſubſtituendo, donec tandem Decoctum, omni graveolentia amiſſa, non alium amplius ſpiret odorem, quam qui obſervatur ſub præparatione Extracti alicujus Plantæ inodoræ: deinde liquor refrigeratus percolatione à ſedimento ſecernatur, & Balnei Maris calore ad maſſæ pilularis conſiſtentiam inſpiſſetur.

Operatio intra duos menſes ordinariò abſolvitur, ea tamen lege, ut liquor dies noctesque ebulliat.

Præcipuæ Opii partes conſtituentes ſunt ſubſtantia gummoſa, materies reſinoſa, ac Oleum craſſum: in præparatione noſtra gummoſa ſubſtantia ſola ſervatur; hinc hoc extractum in Aqua, etiam frigida, diſſolutionem præbet pellucidam. Reſina, quæ quartam circiter Opii partem conſtituit, poſt aliquot dierum digeſtionem incipit præcipitari, fundo Cucurbitæ ſe agglutinans, a quo ſpatula lignea identidem removeatur: eodem fere tempore apparet in Decocti ſuperficie Oleum, quod ſub digeſtione ſenſim decomponitur; pars ſcilicet tenuior in auras diſſipatur; pars verò ſpiſſior fundum petit, ac ſe immiſcet præcipitatæ Reſinæ: hæc quoque multum mutatur: pro majori enim parte amittit tenacitatem, friabilis fit, & in Vini Alkohole non amplius diſſolvitur.

Hoc Opii præparatum cum reſinoſa parte & Oleo videtur vires calidas, exſtimulantes depoſuiſſe, & ſolas ſedantes, anodinas retinere: ita ut in multis caſibus, in quibus

ob vim circulum intendendi Opium ſuſpectum foret, tutò adhiberi poſſit. Rariſſimè vomitum excitat, quod Opio non infrequens eſt. Multò minùs etiam alvum adſtringit. Doſis granum unum, duo, tria; in quibuſdam caſibus longè major. Vide in Materia Medica, OPIUM.

EXTRACTUM CATHOLICUM.

Rec. Pomorum Colocynthidis . . . . unc. tres,
Agarici albi,
Radicis Hellebori nigri . . . . ana unc. duas:
Contuſa coquantur cum
Aquæ pluvialis . . . . pint. quatuor
ad dimidium; Colatura vaporet Balnei Maris calore ad Mellis craſſitudinem, & immiſceantur
Pulveris Aloës ſuccotrinæ . . . . unc. quatuor,
- - - - Scammonei aleppenſis . . . unc. duæ.

Ad grana quatuor, ſex, octo alterans eſt potentiſſimum, quod in obſtinatiſſimis quibuſdam caſibus opem ferre poteſt: ad grana duodecim, ſedecim, viginti purgans eſt acerrimum. Ad dragmam unam alteramve, ut efficaciſſimè alvus ſollicitetur, enematibus additur.

LAUDANUM OPIATUM BELLEFONTAINE.

Rec. Opii colati . . . . unc. unam:
immiſceantur in mortario ferreo, addita
Spiritus Vini gallici . . . . . ſuffic. quantitate,
Pulveris Croci . . . . dragm. ſemis,
Pulveris

Pulveris Castorei siberini . . . . . . scrup. duo,
- - - - Nucis moschatæ . . . scrup. quatuor,
ut fiat Extractum consistentiæ massæ pilularis.

Cum tantum ad granum unum alterumve præscribi possit, solas ferè Opii vires habet.

RESINA JALAPPÆ.

Rec. Radicum Jalappæ crassè contusarum . libr. quatuor: affunde

Alkoholis Vini . . . . pint. sex:
digere leni calore per biduum; deinde tinctum Vini Alkohol decantetur; novum, pauciori verò quantitate, affundatur residuo, & digerantur ùt priùs: labor hic repetatur, usque dum Spiritus non amplius tingatur: omnis tum Tinctura filtretur per chartam emporeticam, & destillet e Balneo Maris ad quartæ partis remanentiam, residuæ concentratæ Tincturæ admisceatur larga copia Aquæ pluvialis, & per unum alterumve diem reponantur, ut præcipitetur Resina, quæ, decantato supernatante liquore, immittatur Conchæ Vitreæ, ac lenissimo calore siccetur.

Resina hæc ex Hollandia arcessita sæpè cum Colophonia aliisque substantiis resinosis adulterata est, quæ fraus difficillimè detegitur: hinc Pharmacopœi eam ipsi parent.

Resina Jalappæ præparata STAHLII surgit, si ea cum æquali parte Amygdalarum dulcium probè teratur.

[illegible] onces de jalap choisie et bien sec donnent [illegible]
[illegible] d'extrait

Resina hæc longa trituratione aliis immixta & sic multùm divisa adhiberi debet: alioquin, cùm humoribus nostris difficillimè solvatur, intestinorum parietibus pertinaciter adhæret, & tormina sævissima, hypercatharsim ac etiam intestinorum inflammationem producere potest. Ritè præscripta ad grana sex, octo, decem feliciter alvum ducit. Pluribus aliis Pilulis purgantibus pro stimulo additur.

Eodem modo præparantur

RESINA CORTICIS PERUVIANI.
- - - - GUAJACI. Ex gumm.
- - - - SCAMMONEI.

ROB JUNIPERI.

Rec. Baccarum Juniperi maturarum recentium leniter contusarum . . . . libr. octo:
coquantur per quadrantem horæ ex
Aquæ pluvialis . . . . suffic. quantitate:
trajiciatur decoctum per pannum laneum, &, addita
Sacchari albi . . . . libr. semis,
vaporet Balnei Maris calore ad densi Mellis spissitudinem.

Laudatur tamquam stomachicum, & præsertim adversùs languorem viarum urinariarum a senectute inductum. Tamquam diureticum commendatur in Hydrope: in ultimum scopum dentur plures unciæ quotidie.

ROB SAMBUCI.

Rec. Succi Baccarum maturarum Sambuci recentis . pint. ſex: colentur per pannum laneum : addantur

Sacchari albi . . . . libr. tres,

& evaporentur citra ebullitionem , agitando ſpatula lignea, in conſiſtentiam denſi Mellis.

Ad uncias aliquot quotidie ſumptum præſtans , tutum antiphlogiſticum , reſolvens eſt.

SYRUPI.

Syrupi dicuntur Medicamenta liquida e Decoctis , Succis , aut Infuſis cum Saccharo ſive Melle ad conſiſtentiam poſterioris , dum illud loco humido in deliquium abiit , inſpiſſatis præparata.

Syrupi, qui e Decoctis fiunt , Clarificationem poſtulant, priuſquam ad debitam conſiſtentiam reducantur : Clarificatio autem ſequenti modo peragitur: ad quodque quatuor librarum pondus Sacchari recipitur unius Ovi Albumen ; agitatur hoc in ſpumam , additis aliquot unciis Decocti tepidi, quod præſcriptam in formula quantitatem ſacchari modò diſſolutam tenet : cum reliquo dein Decocti , illud ſenſim & ſub aſſidua agitatione affundendo, commiſcetur : coquuntur, & coagulato Albumine , per pannum laneum colantur.

Juſta erit Syrupo ſpiſſitudo , ſi ejus gutta politæ ſuperficiei inſtillata non amplius diffluat : æſtate tamen , cum

omnia liquida tunc temporis fluidiora evadant, ad consistentiam paulò spissiorem redigendi sunt.

Serventur Syrupi in loco frigido simul & sicco, ne fermentent vel situm contrahant.

Syrupi ad conciliandum gratiorem saporem plerumque aliis Medicamentis adjici solent: sic in tam parca copia ordinariò assumuntur, ut solas pauci Sacchari vires habeant.

SYRUPUS ALTHÆÆ.

Rec. Radicis Althææ recentis . . . . . libr. semis,
- - - - Liquiritiæ,
Herbæ Capilli Veneris . . . . ana unc. tres:
incisæ coquantur ex
Aquæ pluvialis . . . . pint. duodecim
ad remanentiam pintarum octo: in colatura dissolve
Sacchari depurati . . . . . . libr. duodecim,
& clarificata inspissentur leni ebullitione ad Syrupi consistentiam.

Demulcens, obvolvens est.

SYRUPUS APERIENS, VULGÒ SYRUPUS E QUINQUE RADICIBUS.

Rec. Radicis Apii,
- - - - Fœniculi,
- - - - Petroselini,
- - - - Taraxaci . . . . ana unc. tres:

incisas coque cum

Aquæ pluvialis . . . . pint. duodecim

ad colaturæ pintas octo; tum adde

Sacchari depurati . . . . . . libr. duodecim, &, prægressa clarificatione, vaporent ad consistentiam Syrupi.

Titulus vires exprimit. Ferè iners medicamentum est.

SYRUPUS ARTEMISIÆ.

Rec. Herbæ Artemisiæ incisæ . . . . . unc. novem,

Aquæ pluvialis . . . . pint. sex: coque ad tertiæ partis consumtionem: Colaturæ adde

Sacchari albi . . . . libr. sex: clarificentur, & evaporentur in Syrupum spissiorem, cui refrigerato immisce

Spiritus Cinnamomi . . . . unc. tres,

Tincturæ Castorei . . . . unc. unam.

Morbis hystericis opponi solet. Si ad uncias daretur, ratione Tincturæ Castorei, aliquid posset efficere.

SYRUPUS ANTISCORBUTICUS.

Rec. Succi recentis Foliorum Cochleariæ,

- - - - - - - - - - - - - - Beccabungæ,

- - - - - - - - - - - - - - Nasturtii aquatici,

- - - - - - - - Radicum Armoraciæ,

- - - Aurantiorum,

Vini generosi . . . . ana pint. semis,

Spiritus Cochleariæ,
- - - - Cinnamomi . . . . . . ana unc. duas,
Corticum Aurantiorum recentium . . . unc. unam:
mixta digerantur frigidè in lagena vitrea probè clauſa identidem agitanda, donec ſubſederint fæces: liquor dein filtretur per chartam bibulam, & vaſe clauſo in eo diſſolvantur Balnei Maris calore
Sacchari albi pulveriſati . . . . . . libr. octo.

Gratum & præſtans Medicamentum antiſcorbuticum efficit; modo ad uncias aliquot quotidie præſcribatur.

SYRUPUS BALSAMICUS.

Rec. Balſami peruviani ſicci triti . . . . unc. unam:
diſſolvatur in
Vini Alkoholis . . . . unc. quatuor,
& effunde diſſolutionem ſuper
Sacchari albi craſſiuſculè confracti . . . libr. tres:
Saccharum, diſſipato evaporatione ſpontanea in aëre libero Alkohole, aliquandiu teratur, &, affuſa
Aquæ pluvialis . . . . pint. una,
exponatur in vaſe clauſo Balnei Maris calori, donec diſſolutum ſit.

Omnes Balſami peruviani vires poſſidet, & optima methodus eſt hoc Medicamentum exhibendi.

SYRUPUS E CICHOREO CUM RHEO.

Rec. Radicum Taraxaci . . . . unc. quatuor ſemis:
inciſæ coquantur ex

Aquæ pluvialis . . . . pint. ſex
ad tertiæ partis conſumtionem: trajiciatur Decoctum per ſetaceum: fervens etiamnum affunde

Radicis Rhei inciſæ . . . . unc. quatuor,
& fiat per duodecim horas Infuſio: expreſſæ Colaturæ dein addantur

Sacchari depurati . . . . libr. ſex,
clarificentur, & coquantur in Syrupum, cui refrigerato admiſce

Spiritus aromatici . . . . unc. duas.

Ad laxandum alvum ad unam alteramve unciam infantibus præſcribi ſolet. Solas Rhei vires habet.

SYRUPUS CORTICUM AURANTIORUM.

Rec. Corticum curaſſavenſium inciſorum . . . libr. unam,
Aquæ bullientis . . . . pint. quatuor;
infunde vaſe clauſo per biduum: colato Infuſo adde

Sacchari albi . . . . libr. ſex,
clariſica, & inſpiſſa leni calore in Syrupum, cui, dum refriguerit, immiſce

Spiritus Corticum Citri . . . . . . unc. duas.
vicem ſupplet *Syrupi Corticum Citri.*

Præſtans Medicamentum efficit, quod omnes analepticas & carminativas Corticum Aurantiorum vires habet.

SYRUPUS CORTICIS PERUVIANI.

Rec. Pulveris craſſi Corticis peruviani . . . unc. tres,
Vini rubri . . . . pint. unam:
digere per octiduum; deinde Tincturam per chartam bibulam filtra, & Balnei Maris calore in ea vaſe obturato diſſolve
Sacchari albi pulveriſati . . . . libr. tres.

Greta pueris Corticis peruviani præparatio eſt, qua non ſolùm debili ſtomacho tonus redditur, ſed etiam febres fugari poſſunt.

SYRUPUS EMULSIVUS vel AMYGDALINUS.

Rec. Amygdalarum dulcium. . . . . . . libr. duas,
- - - - - - - - Amararum . . . . unc. quatuor:
decorticatæ contundantur in mortario lapideo cum ſufficiente quantitate Aquæ in paſtam: tum ſenſim affunde
Aquæ pluvialis . . . . pint. duas,
ut fiat Emulſio, quam forti expreſſione cola per linteum: in colatura dein leni calore diſſolvantur.
Sacchari albi. . . . . libr. ſex,
& refrigerato Syrupo immiſceantur
Aquæ Florum Aurantiorum . . . . unc. duæ,
Spiritus Corticum Citri . . . . . . unc. ſemis.
Lagenæ, in quibus hic Syrupus aſſervatur, aliquando concutiendæ ſunt, ut partis oleoſæ ſeparatio præveniatur.

Sufficienti quantitate Aquæ dilutus gratum, demulcentem potum, Orgeat *vulgò dictum, conſtituit.*

SYRUPUS

SYRUPUS DE ERYSIMO.

Rec. Herbæ Eryſimi recentis inciſæ . . . libr. duas,
Radicis Helenii recentis inciſæ. . . unc. quatuor,
Foliorum Roriſmarini,
Seminis Aniſi contuſi . . . . . ana unc. unam:
cucurbitæ immiſſa infunde quadrihorium cum
Aquæ ferventis . . . . pint. ſex:
abſtrahatur dein igne nudo pinta ſemis liquoris, in qua diſſolve vaſe clauſo
Sacchari albi pulveriſati . . . .. libr. unam ſemis,
ut fiat Syrupus: tum coletur cum expreſſione Decoctum a Deſtillatione ſuperſtes: addantur
Sacchari depurati. . . . . libr. quatuor,
Mellis albi . . . . libr. una:
&, præmiſſa clarificatione, coquantur in Syrupum, cui prior Syrupus admiſceatur.

Ad laxum, debilem pulmonem exſtimulandum & ſputa viſcida attenuandum, in morbis pectoris adhibetur. Præſtans ſatis Remedium eſt, ſi in ſufficienti copia præſcriberetur.

SYRUPUS MENTHÆ.

Rec. Menthæ criſpæ. . . . . libr. unam,
Roſarum rubrarum. . . . . unc. tres,
Nucis moſchatæ,
Cinnamomi . . . . ana unc. unam:
inciſa & contuſa digerantur leni calore dies quatuor cum
Succi Cydoniorum,

Vini albi . . . . ana pint. una ſemis:
liquor dein filtretur, & Balnei Maris calore vaſe obturato in eo diſſolvantur

Sacchari albi pulveriſati . . . . . libr. novem.

Tamquam carminativum, roborans, antiemeticum in multis primarum viarum morbis adhibetur.

SYRUPUS PAPAVERIS ALBI, ſive DE MECONIO, VULGÒ DIACODION.

Rec. Capitum Papaveris albi a Seminibus purgatorum . libr. duas:
inciſa coquantur cum

Aquæ pluvialis . . . . . pint. quatuordecim
ad dimidium: Colaturæ expreſſæ addantur

Sacchari depurati . . . . libr. decem:
clarificentur, & coquantur ad conſiſtentiam Syrupi.

Demulcens, anodinus eſt; ſomnum conciliat, & omnes Opii vires habet. Datur Infantibus ad dragmas duas, unciam dimidiam; Adultis ad dragmas ſex, unciam integram.

SYRUPUS PAPAVERIS RHEADOS.

Rec. Florum Papaveris rheados . . . . . libr. ſemis,

Aquæ bullientis . . . . pint. ſex:
infunde per noctem: Colaturæ expreſſæ addantur

Sacchari depurati . . . . libr. ſex,
& clarificata coquantur ad conſiſtentiam Syrupi.

Adversùs morbos pectoris præſertim laudari ſolet. Iners Medicamentum eſt.

SYRUPUS ROSARUM PALLIDARUM.

Rec. Petalorum Roſarum pallidarum recentium . libr. duas: contuſa infundantur per noctem in
Aquæ bullientis . . . . pint. quatuor:
in Colatura fortiter expreſſa diſſolvantur
Sacchari depurati. . . . . libr. quatuor:
dein clarificentur, & coquantur ad Syrupi conſiſtentiam.

Ad unum alterumve coclear ad laxandum alvum infantibus exhibetur. Non malè enematibus additur.

SYRUPUS E ROSIS SICCIS.

Rec. Petalorum Roſarum rubrarum exungulatorum libr. unam,
Aquæ bullientis . . . . pint. ſex:
infundantur horas duodecim: expreſſæ Colaturæ addantur
Sacchari albi . . . . libr. ſex,
&, præmiſſa Clarificatione, inſpiſſentur ad conſiſtentiam Syrupi.

Dum loco Sacchari recipiuntur Mellis albi libræ novem, ſurgit *Mel Roſarum.*

Leniter adſtringit. Adversùs hæmorrhagias & alvi fluxus profuſiores præſcribi ſolet. Vix aliquid præſtat.

SYRUPUS SAMBUCI.

Rec. Succi Baccarum maturarum Sambuci recentis. pint. ſex: addantur

Sacchari depurati . . . . libr. novem, & clarificata coquantur ad Syrupi conſiſtentiam.

Ut Rob, antiphlogiſticus, reſolvens eſt.

SYRUPUS SIMPLEX.

Rec. Sacchari albiſſimi . . . . libr. tres:
Aquæ pluvialis . . . . pint. unam, fiat unica ebullitione Syrupus.

Ob ſolum dulcorem adhibetur.

SYRUPUS E RHAMNO CATHARTICO, ſive E SPINA CERVINA.

Rec. Succi recentis defæcati Baccarum maturarum Rhamni cathartici . . . . pint. unam ſemis,
Sacchari albi . . . . libr. duas:
vaſi argenteo, ſive figulino non vitreato immiſſa leni calore inſpiſſentur in Syrupum, cui refrigerato addantur
Spiritus aromatici . . . . unc. duæ.

Vires vide pag. 158. *Doſis uncia dimidia, integra, & ultra.*

SYRUPUS E SUCCO CITRI.

Rec. Succi Citri defæcati . . . . pint. duas:

immittantur vasi vitreo vel argenteo, & in eis leni calore dissolvantur

Sacchari albi . . . . libr. sex,

ut fiat Syrupus,

Eodem modo præparantur

SYRUPUS ACETI. Ex Aceto Vini.

- - - - - E SUCCO AURANTIORUM.

- - - - - - - - - - - - - Cydoniorum.

- - - - - - - - - - - - - MORORUM.

- - - - - - - - - - - - - RIBESIORUM.

Omnes hi Syrupi refrigerant, sitim potenter sedant, antiphlogistici & antiseptici sunt.

SYRUPUS VIOLARUM.

Rec. Petalorum Florum Violarum recentium . libr. unam semis:

contundantur in mortario marmoreo, & infundantur per noctem cum

Aquæ pluvialis fervidæ . . . . pint. duabus:

in Colatura dein leni calore dissolvantur

Sacchari albissimi . . . . libr. sex,

ut fiat Syrupus.

Tamquam demulcens & alvum laxans ad unum alterumve coclear Infantibus præsertim præscribitur. Diu asservatus co-

lorem pulchrè cœruleum deperdit: huic vitio aliqui, adjecta alia materia colorante, obviam ire excogitarunt: quin non defuerunt, qui ita ſine Violis hunc Syrupum conficerent, odorem Violarum Radice Iridis florentinæ imitantes. Fraus admixto Acido vel Alkali detegi poteſt: prius colorem cœruleum Violarum mutat in rubrum; poſterius in viridem.

Eodem modo fit.

SYRUPUS FLORUM TUNICÆ.

OXIMEL SIMPLEX.

Rec. Aceti Vini . . . . pint. tres,
Mellis albi . . . . libr. novem:

coquantur in vaſe argenteo, aut figulino non vitreato, auferendo ſpumam, donec acquiſiverint Syrupi conſiſtentiam.

Gratum, mite & tutum refrigerans; attenuans, detergens, reſolvens, antiſepticum eſt, quod in morbis, tam putridis quam inflammatoriis, multum adhibetur, & ſummis laudibus extollitur. In morbis acutis pectoris tam multum videtur efficere, ut aliqui ſine Oximellite Pleuritidem curari non poſſe contenderint. Dentur plures unciæ quotidie.

Eodem modo fiunt.

OXIMEL COLCHICUM. Ex Aceto Colchico.
- - - - - SCILLITICUM. - - - - - Scillitico.

Vires horum vide in Materia Medica.

TABELLÆ.

TABELLÆ ANTACIDÆ.

Rec. Pulveris Magnesiæ albæ . . . . . . unc. semis,
- - - - Cinnamomi . . . . drag. unam,
- - - - Sacchari albi . . . . unc. tres,
Olei essent. Caryophyllorum . . gutt. quatuor:
misceantur in mortario lapideo, & addatur
Mucilaginis Tragacanthæ . . . . suffic. quantitas,
ut fiat massa, ex qua formentur
Tabellæ . . . . tringinta.

Titulus vires indicat.

TABELLÆ MARTIALES.

Rec. Æthiopis martialis . . . . unc. unam,
Pulveris Cinnamomi . . . . . . drag. duas,
- - - - Sacchari albi . . . . unc. quatuor:
fiant cum
Mucilaginis Tragacanthæ . . . . suffic. quantitate
Tabellæ . . . . quadraginta octo.

Pro viribus vide in Materia Medica, FERRUM.

TABELLÆ AD VERMES.

Rec. Mercurii dulcis . . . . drag. semis,
Sacchari albi pulverisati . . . . . . unc. duas:
probè misceantur in mortario marmoreo, & fiant, addita

Mucilaginis Tragacanthæ . . . ſuffic. quantitate
Tabellæ . . . . triginta.

Vide in Chemicis MERCURIUS DULCIS.

AQUÆ DESTILLATÆ.

Aquæ deſtillatæ vel ſtillatitiæ ſunt liquores fragrantes, dum recentes ſunt, turbidi, abſtractione Aquæ ſimplicis vel Vini ſuper certas ſpecies, copioſis partibus volatilibus inſtructas, obtenti.

Subjecta igitur huic operi apta non alia eſſe poſſunt, quam quæ notabiliorem ſpirant odorem.

Aquæ diſtillatæ dividi ſolent in ſimplices & compoſitas; illæ ſuper unicam, hæ ſuper plures ſpecies abſtrahuntur.

Præter has Aquas medicas Aquæ deſtillatæ nomine quoque venit Aqua quæcumque ſimplex in vaſe deſtillatorio per ſe in altum evecta.

Omnes hæ Aquæ continent certam quantitatem Olei eſſentialis adhibitæ ſpeciei: habent ergo vires hujus Olei multa aqua diluti: in plurimis tanta Aquæ proportio eſt, ut vix aliquid, quam aliis Medicamentis vehiculo eſſe, poſſint.

AQUA CHAMOMILLÆ.

Rec. Herbæ Chamomillæ recentis . . . quant. ſufficit ad implendum Ahenum deſtillatorium ſtanno obductum ad duas tertias: adſunde Aquæ pluvialis eam copiam, quæ ſufficit,

ſufficit, ut repleat Ahenum ad eamdem altitudinem, ſcilicet, ad duas tertias, unà cum Herba: Aheno impone Capitellum, cujus Roſtrum cum orificio ſuperiori Serpentis ſtannei, in Aqua dolii refrigeratorii detenti, conjungatur: inferiori Serpentis orificio appende Excipulum, & commiſſuras luto ex farina lini cum Aqua ſubacta firma: omnibus ita diſpoſitis, inſtituatur Deſtillatio, quæ protrahatur, quamdiu Aqua in Excipulum ſtillans odora, ſapida, turbida apparet.

Eodem modo Deſtillantur

AQUA FLORUM AURANTII. Vulgò AQUA NAPHÆ.
- - - - FŒNICULI.
- - - - HYSSOPI.
- - - - MELISSÆ.
- - - - MENTHÆ.
- - - - - - - - - - PIPERITÆ.
- - - - PULEGII.
- - - - ROSARUM. E Roſis pallidis.
- - - - RUTÆ.
- - - - SAMBUCI.

Cavendum, ne plus Aquæ in Ahenum immittatur, quam ut repletum ſit ad duas tertias: ſi altiùs repleatur, cum materies ſub ebullitione turgeat, Aheni pars ſuperior non ſufficit ad materiem rarefactam continendam, quæ tunc exſurgit non modo in Capitellum, ſed & in anguſtiam Roſtri: ſic vel inficitur Aqua, vel producitur obſtructio, & fit apparatus diſploſio.

Adhibeatur Excipulum perforatum, ut vaporibus elaſticis, qui ſub initio Deſtillationis aſſurgunt, egreſſus pateat.

Aquæ dolio contentæ nimis incaleſcenti frigida ſubſtituatur, ut condenſatio vaporum promoveatur.

Roſæ Pallidæ calycibus ſuis orbatæ, & *Flores Aurantii*, addita ſufficiente quantitate Aquæ & Salis cibarii, biduum vel triduum macerentur, antequam Deſtillationi ſubmittantur, ut Aquam ſtillatitiam fragrantiorem exhibeant.

Si quæ Olei guttæ Aquis deſtillatis ſupernatent, eæ diligenter auferantur: deinde in lagenis vitreis vel vaſis figulinis obturatis, loco frigido reponantur, & non ultra annum aſſerventur.

AQUA CERASORUM NIGRORUM.

Rec. Ceraſorum nigrorum . . . . libr. ſex:
contundantur cum Nucleis in mortario lapideo, & macerentur triduum cum
Vini albi generoſi . . . . pint. ſex:
deinde, addita ſufficiente quantitate Aquæ pluvialis ad evitandum empyreuma, eliciantur Deſtillatione igne nudo . . . . pint. quatuor.

Nervina, cephalica, antiſpaſmodica a multo tempore habita eſt. Hæ laudes videntur præjudicata opinione niti. Aqua diſtillata Nucleorum Ceraſorum fortis & multo eorumdem odore prædita, ſecundùm experimenta Medicorum an-

glorum, non ſecus ac Aqua diſtillata Laurocerasi, multis animalibus venenata eſt : hactenus tamen hominibus una alterave uncia, ad quam doſim ordinariò præſcribitur, non videtur nocuiſſe.

AQUA CINNAMOMI CUM VINO.

Rec. Cinnamomi contuſi . . . . libr. unam:
macera per tres quatuorve dies in
Vini albi generoſi . . . . pint. novem;
deſtilla dein igne nudo, quamdiu liquor prodit turbidus, ſapore acri aromatico præditus.

Si loco Vini aſſumatur eadem quantitas Aquæ ſurgit *Aqua Cinnamomi*, *Hordeata* dicta, quia olim Decoctum Hordei, quod hic non plus præſtat quam Aqua ſimplex, ad ejus præparationem recipi ſolebat.

AQUA DESTILLATA.

Rec. Aquæ communis . . . . quant. vis:
coquatur per horæ quadrantem in vaſe aperto: deinde e Balneo Maris, ſive lento igne nudo deſtilla, donec duas tertias avocaveris, quas vaſis vitreis obturatis ſerva.

Aquam ab omni corpore heterogeneo liberam raro nobis offert natura. Contrà ſæpiſſime Terra calcaria, argillacea, vel Salibus mineralibus, & potiſſimum quidem Selenite inquinata eſt; hinc, ùt ad uſus pharmaceuticos, qui Aquam valde puram requirunt, apta fiat, oportet eam ab iis labibus liberare; quod, cùm prædicta hetero-

genea ſixa ſint, Deſtillatione optimè efficitur: ſi verò deſtillanda Aqua heterogenei quid volatilis continet, id præmiſſa coctione aufertur.

AQUA CASTOREI COMPOSITA.

Rec. Herbarum recentium Matricariæ . . . libr. tres,
- - - - - - - - - - - - - Menthæ criſpæ,
Corticum Aurantiorum . . . . ana libr. ſemis,
Caſtorei ruſſici . . . . unc. unam:
minutim inciſa infunde per triduum in
Vini albi generoſi . . . . . . pint. duodecim:
dein, addita ſufficiente quantitate Aquæ ſimplicis, ut evitetur empyreuma, abſtrahe igne undo . . pint. octo.

Hæc Aqua vicem ſupplet *Aquæ Brioniæ compoſitæ.*

Tamquam nervina, antihyſterica præſcribitur.

SPIRITUS INFLAMMABILES.

Spiritus inflammabilis ſive ardens eſt liquor diaphanus, tenuis, valde volatilis, Aqua diſſolubilis, accenſus abſque fumo ac fuligine deflagrans.

Obtinetur Deſtillatione ex omni liquore, qui fermentationem vinoſam ſubiit; ille verò, qui fit e Vino propriè dicto, ſolus ferè in uſus pharmaceuticos recipitur: hic maxima copia paratur in Gallia, unde ad nos devehitur, cumque *Spiritum Vini Gallicum*, vel *ſimplicem* nuncupamus.

Quum Spiritus Vini ſimplex ad varias operationes nimis aquoſus exſiſtit, rectificatione in diverſum ſcopum ex toto vel pro parte tantum a ſuo phlegmate orbatur.

Spiritus abſtractitius vocari conſuevit Spiritus Vini ſuper ſpecies, quæ aliquid aromatici vel aliûs principii volatilis continent, abſtractus.

Vel *ſimplex* vel *compoſitus* audit pro ut unica vel plures ſpecies Deſtillationi impenduntur.

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS.

Rec. Spiritus Vini Gallici . . . . . quant. placet: immitte in ſtanneam Cucurbitam Balnei Maris BAUMÉI: impone Capitellum, & Refrigeratorium Aqua frigida reple: dein adjuncto Excipulo, commiſſuriſque Luto ex Farina Lini firmatis, deſtilla ad medias.

SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS, ſive ALKOHOL VINI.

Rec. Spiritus Vini gallici . . . . . . quant. vis: deſtilla e Balneo Maris donec evocaveris omne ſpirituoſum, quod reiterata deſtillatione, negligendo quaque vice Phlegma, rectifica; donec in cochleari parte ſua convexa Aquæ frigidæ immerſo ex toto deflagret, vel ei injectum Sal Tartari ſiccum perſiſtat.

Citius hæc operatio abſolvitur, ſi ille tantum liquor, qui quaque Deſtillatione primò prodit, ſequenti Rectificationi adhibetur.

Veteres variis intermediis, ùt ſunt *Calx viva*, *Sal Tartari*, *Sal commune Siccatum*, & cetera, ad hanc Rectificationem utebantur; verùm præterquam quod hæc omnia planè inutilia ſint, Calx viva inſuper atque Sal Tartari Spiritum Vini decomponunt.

Alkohol jam in Vino continetur: ab eo pendet hujus potus generoſitas & vis ſpirituoſa: ſed in eo aliis immixtum & præſertim multa Aqua dilutum eſt. Deſtillationibus continuò magis & magis liberatur, & primò Spiritus Vini; *tum* Spiritus Vini *magis vel minus* rectificatus, *& tandem purum Alkohol evadit. Vires ergo hujus liquoris ſic ſeorſim obtenti, cùm omnibus ſpirituoſis potibus communes ſint, conſiderari merentur.*

Alkohol itaque multiplici experimento ſubitò ſanguinem ejuſque ſerum cogit: ut fortè hac vi ſola in venas cujuscumque Animalis injectum citò mortem inducat. Nudæ præterea fibræ applicatum eamdem exſtimulat, contrahit, denſat. Ex his facilè intelligi poteſt, cur externo uſu Hæmorrhagias a læſis mediocris diametri arteriis productas ſiſtat. Dubitari tamen poteſt, notante CULLENIO, *utrum introſumptum & humoribus noſtris multùm dilutum vaſa ſubintrans eoſdem effectus præſtet: videtur hic potius in nervos agere. Pauca ejus quantitas, in longè majori aſſuetis, accedente magno animi motu, multoties ebrietatem inducit, eaque inducta magno animi motu ſubitò quandoque fugatur. Series ſymptomatum, quæ producit, id præterea probabile reddit. Ab aſſumpta parca doſi, nervi quaſi exſtimulantur; ſpirituum*

influxus augetur; cordis & vasorum actio intenditur; mens exhilaratur; imaginatio fit vividior; vis omni animæ facultati additur. A majori copia, vis sedativa, narcotica stimulanti jungitur: hinc spirituum influxus turbatur, interrumpitur, sufflaminatur; mens obnubilatur; idearum nascitur confusio; varium exoritur delirium; motus omnes debilitantur, torpent, cessant; ingruit somnus, lethargus, apoplexia, mors.

Ex his patet Alkohol ut Opium agere: sed fortiori stimulo gaudet, & ob primò dictas dotes magis inflammatorium est: in parca dosi itaque, præcipuè dilutum & acido temperatum, quale passim in Vino existit, optimum cardiacum; in majori, præsertim purum, maximè deleterium est.

SPIRITUS CINNAMOMI.

Rec. Cinnamomi contusi . . . . . . unc. novem:
macera triduum vase clauso in
Spiritus Vini gallici . . . . . . pint. quatuor:
dein abstrahe igne nudo leni . . . . . . pint. duas.

SPIRITUS CORTICUM AURANTIORUM.

Rec. Corticum Aurantiorum recentium incisorum. libr. unam,
Spiritus Vini gallici . . . . pint. duas:
destilla e Balneo Maris . . . . ad medias.

Eodem modo fit

SPIRITUS CORTICUM CITRI.

SPIRITUS JUNIPERI.

Rec. Baccarum Juniperi recentium . . . libr. unam:
contusæ macerentur biduum in
Spiritus Vini gallici . . . . . . pint. quatuor,
& abstrahantur Balnei Maris calore . . . . pint. duæ.

SPIRITUS LAVENDULÆ.

Rec. Spicarum florentium Lavendulæ . libr. unam semis,
Spiritus Vini rectificati . . . . . pint. duas,
Aquæ pluvialis . . . . pint. semis:
eliciantur Destillatione e Balneo Maris . . . pint. duæ.

Eodem modo parantur
SPIRITUS MELISSÆ.
- - - - - MENTHÆ.
- - - - - RORISMARINI.

SPIRITUS AROMATICUS.

Rec. Cinnamomi . . . . unc. duas,
Caryophyllorum,
Nucis moschatæ . . . . ana unc. unam:
contusa macerentur dies quatuor in
Spiritus Vini gallici . . . . pint. quatuor:
deinde abstrahe leni igne nudo . . . . . pint. duas.

SPIRITUS CARMINATIVUS.

Rec. Seminis Angelici,
- - - - Anisi,
- - - - Carui . . . . . . ana unc. duas semis,
Macis,

Macis,

Cinnamomi,

Caryophyllorum. . . . . . . ana dragm. duas,

Corticum curaſſavenſium . . . . . . unc. unam: omnibus contuſis affunde

Spiritus Vini gallici . . . . . . pint. quinque, &, prægreſſa per biduum maceratione, eliciantur Deſtillatione e Balneo Maris . . . . . pint. duæ ſemis.

Omnes hi Spiritus ſcatent Oleo eſſentiali adhibitæ ſpeciei, ejuſdemque calidas, cardiacas, aromaticas, Spiritu evectas paſſim vires habent. Dantur ad dragmam dimidiam, aut integram in appropriato vehiculo, etiam pluries de die.

SPIRITUS COCHLEARIÆ.

Rec. Herbæ recentis Cochleariæ . . . libr. quatuor,

Radicum Armoraciæ. . . . . libr. unam: inciſa immitte in Balneum Maris, & affunde

Spiritus Vini gallici. . . . . pint octo: impoſito Capitello, & commiſſuris luto ex farina lini exactè firmatis, deſtilla donec prodierint . pint. quatuor liquoris in lagenis vitreis ritè obturatis aſſervandi.

Volatile & propriè antiſcorbuticum adhibitarum ſpecierum principium vehit. Convenit in Scorbuto frigido. Doſis ut ſupra.

AQUA VULNERARIA, VULGÒ EAU D'ARQUEBUSADE.

Rec. Herbæ recentis Salviæ,
- - - - - - - - - - Menthæ,
- - - - - - - - - - Hyſſopi,
- - - - - - - - - - Meliſſæ,
- - - - - - - - - - Baſilici,
- - - - - - - - - - Thymi,
- - - - - - - - - - Majoranæ,
- - - - - - - - - - Roriſmarini,
- - - - - - - - - - Origani,

Florum Lavendulæ . . . . . ana unc. duas; inciſis affundantur

Spiritus Vini gallici . . . . . pint. quinque, macerentur per noctem, & fiat e Balneo Maris Deſtillatio . . . . ad medias.

Si Spiritui ſubſtituatur Vinum, atque Deſtillatio abſolvatur igne nudo, obtinetur *Aqua vulneraria Vinoſa.*

Externè laudatur ad contuſiones, vulnera, & ad partes laxas debiles roborandas. Internè ab aliquibus tamquam carminativum adhibetur.

APPENDIX

SPIRITUS LAVENDULÆ COMPOSITUS.

Rec. Cinnamomi . . . . unc. unam,
— Caryophyllorum,

Nucis moſchatæ . . . . ana unc. ſemis:
Santali rubri . . . . dragm. tres, contuſis affunde
Spiritus Lavendulæ . . . . pint. unam ſemis,
- - - - Roriſmarini . . . . pint. ſemis: macera dies ſeptem, & filtra.

Vires ex adhibitis ſpeciebus erui poſſunt.

SPIRITUS SAPONIS.

Rec Saponis albi . . . . unc. quatuor: diſſolve leni calore in
Spiritus Vini rectificati . . . . . pint. una, & admiſce
Spiritus Lavendulæ,
- - - - Roriſmarini . . . . ana unc. duas.

Uſu externo penetrans & præſtans reſolvens eſt, quod non ſine fructu ad indurata, contuſa & Rheumatiſmum frigidum adhibetur.

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

Rec. Camphoræ . . . . unc. duas: diſſolvantur in
Spiritus Vini rectificati . . . . . . pint. una, & in vitro probè obturato ſerva.

Tamquam reſolvens, diſcutiens, roborans, antiſepticum a Chirurgis adhibetur.

SPIRITUS VOLATILIS OLEOSUS.

Rec. Spiritus aromatici . . . . unc. octo,
- - - - Salis ammoniaci caustici . unc. quatuor,
Olei essent. Rorismarini,
- - - - Corticum Citri . . . ana drag. semis:
mixta in lagena obturaculo vitreo munita serventur.

Vires penetrantes, nervinæ, calidæ, in multis morbis frigidis utiles. Dosis guttæ decem, viginti, triginta in vehiculo aquoso. Adversùs animi deliquium, ad exstimulandum nervosum systhema, etiam naribus admovetur.

AQUA VULNERARIA THEDEN.

Rec. Sacchari albi . . . . unc. sex:
dissolve in
Aquæ pluvialis . . . . unc. octo:
addantur
Spiritus Vini rectificati . . . . . . pint. una,
- - - - Vitrioli . . . . unc. quatuor,
Succi Acetosæ . . . . unc. sexdecim:
digerantur per aliquot dies, & filtrentur.

Pro usibus externis præstantissimum resolvens, discutiens, roborans est. Lintea eadem madefacta a Spiritu Vitrioli corroduntur & flavescunt.

OLEA ESSENTIALIA.

Olea essentialia sive ætherea sunt fluida spissiuscula, inflammabilia, ebullientis Aquæ calore volatilia, in Vini Al-

kohole diſſolubilia, odore fragrante, & ſapore aromatico plus minuſve urente donata.

Referunt hæc Olea exactè ſaporem & odorem vegetabilium, unde eruta ſunt; hinc Olea eſſentialia nuncupantur.

Quævis Olea ætherea ex duabus conſtant partibus eſſentialibus; nimirum ex parte craſſiori, reſinoſa, & parte admodum ſubtili, mobili, volatili, quæ *Spiritus rectoris* nomine venit, a quo eorum fragrantia & volatilitas dependent.

Quamvis probè ab exhalatione cuſtodita, Spiritum ſuum rectorem progreſſu temporis amittunt: hujus jactura ſpiſſeſcunt, inodora evadunt, priſtina volatilitate deſtituuntur, & tandem conſiſtentiam therebintinoſam, quin etiam reſinoſam induunt: in hoc ſtatu Olea eſſentialia amplius vocari nequeunt.

Sapor acris, cauſticus, quo gaudent cuncta Oleaætherea, pendet ab Acido quodam libero, quod ſat magna copia continent. Hujus Acidi exiſtentiæ convincunt 1mo ſubera, quæ lagenas Olea eſſentialia continentes obturant: ſubera hæc, ferè ùt ab Acido Nitri, colore flavo inficiuntur, quodammodo corroduntur, & 2do chartæ cæruleæ color a cujuſvis Olei eſſentialis vapore in rubrum converſus.

Quædam ùt *Oleum Aniſi* frigore coagulantur, & ſpecimen cryſtalliſationis offerunt; alia ex adverſo & quidem pleraque fluiditatem ſuam retinent.

Circa gravitatem ſpecificam quoque diſcrepantia obſervatur; alia ùt *Oleum cinnamomi*, in Aqua deſident; alia autem, quorum longè major numerus eſt, in ejus ſuperficie hærent.

OLEUM ESSENTIALE ABSINTHII.

Rec. Herbæ Abſinthii leniter ſiccatæ . . quant. placet: in Ahenum immiſſæ ſuperaſſunde

Aquæ ejuſdem ſtillatitiæ . . . . quant. ſatis, ut Herba innatare poſſit, &, apparatu ita diſpoſito, ùt in proceſſu *Aquarum ſimplicium* monitum, inſtituatur Deſtillatio, quam protrahe, quamdiu Aqua ſtillatitia Oleum ſurſum ſecum vehit: refrigeratis dein vaſis, Oleum ab Aqua ſepara.

Eodem modo deſtillantur

Oleum essent. Anisi.
- - - - - - - - - - Anthos.
- - - - - - - - - - Camomillæ.
- - - - - - - - - - Carui.
- - - - - - - - - - Caryophyllorum.
- - - - - - - - - - Cinnamomi.
- - - - - - - - - - Corticum Citri.
- - - - - - - - - - Fœniculi.
- - - - - - - - - - Juniperi.
- - - - - - - - - - Lavendulæ.
- - - - - - - - - - Ligni Rhodii.
- - - - - - - - - - Majoranæ.

OLEUM ESSENT. MENTHÆ.
- - - - - - - - - - - - - - - - - - PIPERITÆ.
- - - - - - - - - - - - MACIS.
- - - - - - - - - - - - ORIGANI.
- - - - - - - - - - - - RUTÆ.
- - - - - - - - - - - - SABINÆ.
- - - - - - - - - - - - SALVIÆ.
- - - - - - - - - - - - TANACETI.

Ignis ab initio ſatis intenſus Aheno ſubſtruatur, ut Aqua ſubitò ad ebullitionem deducatur.

Illæ Plantarum partes huic operationi aſſumendæ, quæ odorem præſtant fragrantiorem.

Subſtantiæ duriores, ut ſunt Ligna, Baccæ, Semina, & Aromata, macerentur, antequam deſtillationi ſubmittantur: Herbæ verò, Flores, & Cortices Fructuum recentium prævia maceratione non indigent.

Semina, Baccæ, & Aromata contundi, & Ligna in ſcobem radi debent ante macerationem.

Macerationis tempus non adeò determinari poteſt: variat ratione athmoſphæræ caloris, & objecti texturæ: ſi æſtas eſt, nychthæmerum ſufficit Baccis, Seminibus; biduum Aromatibus; triduum vel quatriuum Lignis: ſi aliud tempus, maceratio diutius protracta requiritur.

Sub Deſtillatione Oleorum eſſentialium frigore gelantium, Aqua dolii refrigeratorii tepida ſit.

Oleorum essentialium ab Aqua separatio sequenti absolvitur encheiresi: eligitur infundibulum angusto tubo instructum, cujus orificium epistomio vel vitreo vel subereo obturatur: Oleum Aquæ permixtum huic vitro infunditur, & postquam quiete Oleum ab Aqua secessit, amovetur epistomium: si Oleum sit Aqua specificè levius, decurrat Aqua in vas suppositum, donec ad orificium tubi pervenerit Oleum, quod, orificio digito occluso, in aliud vas derivatur. Si vero Oleum sit Aqua specificè gravius, id ex adverso inferius emittitur.

Olea essentialia, quæ longa asservatione Spiritum suum rectorem pro parte perdiderunt, rectificationem postulant, quæ in eo versatur, ut vetusta Olea recenti vegetabili adjiciantur, & sufficiente quantitate Aquæ rursus destillentur; quo efficitur, ut pars Olei vetusti, quæ adhuc calore ebullientis Aquæ volatilis subsistit, novo Spiritu rectore imbuatur, & cum Oleo, quod recens vegetabile suppeditat, in Excipulum transeat.

Quemadmodum pleraque Olea essentialia exigua obtinentur copia, ac inde sat magno venduntur pretio, fraudulenti, & lucri majoris avidi sæpissime, ut quantitatem augeant, additamentis vilioribus ea infucant; solentque huic scopo adhibere vel Oleum quoddam expressum, insipidum ferè & inodorum, quale *Oleum Bëen* & *Amygdalarum* est, vel *Alkohol Vini*, vel Olea ætherea ignobiliora.

Olei essentialis cum Oleo expresso adulteratio facilè detegitur, si hujusmodi Olei gutta chartæ albæ instillata & leni

leni calori expoſita maculam oleoſam relinquit : ab Oleo enim eſſentiali genuino eodem modo tractato nullum veſtigium chartæ remanet : idem fucus detegi poteſt affuſione Vini Alkoholis puri, qui liquor Olea eſſentialia ex toto diſſolvit ; Olea verò craſſa expreſſa non aggreditur.

Olei cujuſdam ætherei copia Alkohole Vini aucta Aquæ puræ additione detegitur : in hoc caſu miſcela lacteſcit, quoniam Vini Alkohol Aqua diſſolvitur, & Oleum eſſentiale admodum diviſum per totum liquorem ſuſpenſum hæret: aliter ſe res habet reſpectu Olei eſſentialis genuini ; dividitur quidem ſic in minimas particulas & Aquæ, quacum concutitur, lacteſcentiam conciliat ; verùm hæ particulæ continuò in maſſulas aggregantur, quæ Aquæ ſuperficici innatant, vel ejus fundum petunt, ratione Olei eſſentialis adhibiti gravitatis ſpecificæ. Alia quoque encheireſi hæc fraus manifeſtari poteſt ; nimirum ſi talis Olei cognita quantitas cum Aqua pura concutiatur, poſtmodum ab ea ſeparetur, & denuo ponderetur; ratione enim Alkoholis copiæ, quæ ante admixta erat, diminutum pondus invenietur.

Adulteratio per Oleum eſſentiale vilius omnium difficilimè detegitur : attamen, cum cuncta Olea ætherea viliora e ſubſtantiis therebintinaceis eliciantur, & eorum odor tenacior ſit, cognoſcitur is fucus, ſi linteum tali Oleo immerſum, & calori expoſitum, ut Oleum in auras avolet, therebintinæ odorem ſervat.

Omni Oleo eſſentiali vires medicæ magis activæ, illi ſimplici, e quo deſtillatur, propriæ, paſſim adſcribi ſolent: ita

Oleum Anisi carminativum, Juniperi diureticum, Sabinæ emmenagogum, abortivum, Menthæ stomachicum &c. creditur. Aliquod præjudicium receptæ huic opinioni subesse non immeritò tamen suspicabitur, qui consideraverit, non omnes vires medicas simplicium ab Oleo essentiali pendere, & aliquas etiam eminentes simplicium dotes in eorum Oleo essentiali desiderari, ut V. G. Absynthii amarities in ejus Oleo. Non veremur itaque asserere particulares cujuslibet Olei vires necdum satis evictas esse, & generales passim pro particularibus imposuisse: cum enim omnia calida sint & stimulantia, omnia quandoque carminativa, stomachica, cardiaca, nervina, diuretica, emmenagoga &c. esse possunt: ita ut vix miraremur, si, sine præjudicio institutis experimentis, concluderetur, ea non differre nisi odore & acredine. Posterior revera, teste Oleo Cinnamomi, in quibusdam tanta est, ut gutta una non diluta linguæ imposita eamdem adurat, exulceret, & denti carioso instillata nervum adurendo odontalgiam curet. In genere tam acria sunt, ut pro usibus internis numquam nisi diluta præscribantur: in hunc finem vel Spiritu Vini solvuntur, vel, quod frequentius, multo Saccharo aut Mucilagine subacta Aquæ miscibilia redduntur. Dosis est a gutta una ad octo

APPENDIX.

BUTYRUM ET OLEUM CERÆ.

Rec. Ceræ flavæ incisæ . . . . quant. satis,
Ut repleat Retortam vitream ad dimidium: superinfunde arenam purissimam usque ad altitudinem colli: tum com-

mitte Retortam Balneo arenæ, applica recipiens, & commissuris luto ex farina lini firmatis, fiat Destillatio per gradus. Exit primò parva quantitas Aquæ unà cum Spiritu acido valde volatili, ingrato nidore fœtenti: ubi hoc ignis gradu nihil amplius prodit, augeatur ignis, ascendet Oleum spissum in Excipulo instar Butyri concrescens: perge sic destillare, donec ascendat amplius nihil: frigescat tum apparatus, & Aqua acidula decantetur ab Oleo concreto, quod *Ceræ Butyrum* exhibet.

Infundatur Butyrum hoc leni igne liquatum per infundibulum in retortam priùs calefactam, ut ejus dimidia pars tantum sit repleta: retorta imponatur furno arenæ, & agglutinato recipiente puro, fiat Destillatio; ignem ita gubernando, ut guttatim destillet ad finem usque: ascendet hac ratione omne Butyrum ferè sine ulla fœce, hærebitque in excipulo Oleum spissius, quod eadem lege, iterata Destillatione, rectifica, donec limpidum subtile Oleum referat, quod sub nomine *Olei Ceræ* vasis vitreis probè obturatis serva.

Pro viribus vide in Materia Medica, CERA.

OLEA EMPYREUMATICA.

Olea empyreumatica sunt liquida spissiora, inflammabilia, empyreuma redolentia; saporis acris, amaricantis; coloris ex fusco rubicundi, aut penitus nigri; intensiori quam ebullientis Aquæ calore de quacumque substantia animali, vel vegetabili prolicita.

Subſequuntur hæc Olea ſub Deſtillatione vel Spiritum urinoſum, ùt in analyſi Cornu Cervi, vel Spiritum acidum, ut in analyſi Tartari.

Repetita rectificatione limpidiora, fluidiora evadunt, & tandem omni ferè odore empyreumatico ſic orbantur.

OLEUM, SAL VOLATILE, ET SPIRITUS CORNU CERVI.

Rec. Cornu Cervi in fragmenta majora confracti, vel ejuſdem raſuræ . . . . quant. vis:
inde Retortæ vitreæ, quam in Furno arenæ colloca; agglutina amplum Excipulum, & ignem per gradus excites: calore illo ebullientis Aquæ paulò intenſiore exit phlegma inſipidum, odoris ingrati; aucto igne, prodit phlegma Alkali volatili fœtum, *Spiritus Cornu Cervi* nuncupatum: hunc inſequuntur Oleum fœtidum tenuius, Alkali volatile concretum, tamdemque Oleum fœtens, craſſum, nigricans, quod ſeſe priori immiſcet: dum nullæ amplius nebulæ apparent, ab operatione deſiſte: refrigeratis vaſis, Sal volatile concretum exime; cum arena vel terra quadam abſorbente aliquoties ſublima, donec album evaſerit, & Spiritum ab Oleo ſeparatum leni calore deſtilla ad medias.

Prudentiæ eſt adhibere Excipulum foramine inſtructum, obturaculo luteo vel cereo clauſo, quod nonnumquam amoveatur, ne vapores elaſtici nimis expanſi vaſa rumpant.

Sit collum Retortæ ſatis largum, ne a Sale volatili concreto obſtruatur.

Si loco Retortæ vitreæ ferream huic operi aſſumere placeat, hæc in furno appropriato immediatè igni exponi poteſt.

Carbones ab hac operatione reſidui igne nudo calcinentur, donec albeſcant, & ſub nomine *Cornu Cervi uſti* reponantur.

Olei *vires vide infra :* Sal Volatile *alkalinum eſt :* Spiritus *idem diſſolutum tenet, & ab eo vires habet.*

Olim Sal alkali volatile pro varia ſubſtantia, e qua obtinetur, viribus diſcrepare credebatur : ita Sal viperæ ſpeciatim adversùs hujus animalis morſum &, riſibili præjudicio, Sal volatile cranii humani adversùs obſtinatiſſimos capitis morbos laudabantur. Jam conſtat hoc Sal unum ſemper idemque eſſe, & undecumque proveniat, ab alio ſola fortè puritate differre.

Linguæ applicatum cauſticam prodit acrimoniam : naribus admotum nervos olfactorios fortiter ferit, & totum quaſi nervoſum ſyſthema concutit, erigit; ut ſic adhitum promptiſſimè ſæpe animi deliquio & aſphyxiæ medeatur.

Introſumptum primò leni, volatili, electrico quaſi ſtimulo in ſtomachum agit, & ſubitò ſæpè ejus ſpaſmum ſolvit. Ob hanc rationem tanto cum ſucceſſu in colica flatulenta, malo hyſterico, cephalalgia ab ſtomacho pendente, &c. præſcribitur.

Circulo postea traditum leni stimulo systhematis vasculosi motus reduplicat, calorem auget, & diaphoresim excitat: hinc tamquam potentissimum alexipharmacum commendatur & tamquam tale viperæ morsui opponitur.

Ob binos dictos effectus, quibus scilicet spasmos solvit & diaphoresim juvat, exhibitum ante frigoris febrilis stadium, idem brevius, mitius & minus periculosum reddit. Quin ejus usus aliquandiu protractus, vi humores attenuandi, hinc potentissimè resolvendi, multiplici observatione probata, quandoque intermittentes ad omnia rebelles sustulit.

Ex dictis judicari potest præsertim convenire in subjectis & morbis frigidis, ubi solida exstimulare & viscida incidere remedio esse potest. In senum gangræna feliciter Cortici peruviano & Opio additur.

Sal præscribitur dilutum a grano uno ad decem, etiam pluries de die; spiritus a guttis decem ad sexaginta.

Externè resolvit: præsertim commendatur ad tumores albos ac arthriticos articulationum.

OLEUM ANIMALE DIPPELII.

Rec. Olei fœtidi Cornu Cervi . . . . quant. placet: infunde per infundibulum longo tubo instructum in Retortam vitream nitidissimam, cavendo ne parietes interni ejus colli inquinentur ab infuso Oleo: tum appende Ex-

cipulum mundum, & commiſſuris lutatis, inſtituatur leni igne rectificatio, reiteranda, donec Oleum obtineatur excolor, tenue, fragrans, ſapore non ingrato, dulcique, & velut aromatiſato præditum.

Opus hoc quatuor ad ſummum Deſtillationibus abſolvetur, ſi quaque vice nova Retorta, & prima pars ſolummodo prodeuntis Olei ſequenti rectificationi adhibeantur.

Oleum hoc, quamvis optimè rectificatum, facilè ſubfuſco rurſus colore tingitur, ac tenuitatem amittit, ubi vitrum, quo continetur, neque perfectè repletum, neque exactè obturatum eſt; item ubi illud aperitur ſæpius: tum Deſtillatione nova, ſemel vel bis reiterata, ut ad priſtinam puritatem, ac limpiditatem reducatur, opus eſt: obviam autem iri huic vitio quam optimè poteſt, ſi Oleum hoc exiguis vitris obturaculis vitreis arctè clauſis aſſervatur.

DIPPELIUS olim præſcribebat hoc Oleum conficere e ſanguine cervino: hodiè conſtat, omnes partes animales id ipſum Oleum largiri; verùm cornua præcipuè cervina huic operi cæteris præſtare.

Olea empyreumatica ita reiteratis Deſtillationibus rectificata vires habent antiſpaſmodicas, & ſpeciatim adverſus Epilepſiam commendata ſunt: non videntur tamen in dirum hunc morbum plus valuiſſe, quam reliqua antiſpaſmodica. Dantur ad guttas decem, viginti & ultra.

Externè tam potenter ſcribuntur reſolvere, ut etiam ad tumores oſſeos & cataractam laudentur. Tamquam anodina partibus ſpaſmo affectis applicantur.

OLEUM PHILOSOPHORUM, ſive DE LATERIBUS.

Rec. Olei Olivarum . . . . quant. vis,
Cretæ, aliuſve Terræ calcariæ . . . quant. ſatis,
ut cum Oleo fiat maſſa, ex qua formentur globuli, quos in Retortam Balneo arenæ committendam injice; adjunge receptaculum capax, &, commiſſuris obſeratis, igne gradato deſtilla: prodit primò pauca quantitas Phlegmatis, poſt hanc aſſurgit Oleum fœtidum, acre, Alkohole Vini partim diſſolubile, quod, Deſtillatione finita, a Phlegmate ſecretum Rectificationi ſubmittas.

Ad Olea empyreumatica accedit: externè tamquam reſolvens ad paralyſim & rheumatiſmum laudatur.

OLEUM ET SPIRITUS TARTARI.

Rec. Cryſtallorum Tartari . . . . . . quant. placet:
eas contunde, & immitte in Retortam ad duas tertias ſolummodo replendam; tum impone furno arenæ, &, applicato Recipiente capaci, perforato, eoque etiam ad commiſſuras lutato, primò ignem adhibe moderatum, poſtea gradatim auctum, quo Spiritus omnis, unà cum Oleo empyreumatico, quod ultimo loco ſub vaporum denſorum ex albo griſeorum forma exit, expellatur: labore finito,

finito, Spiritum depurationi ſervandum ſepara ab Oleo, quod cum Aqua rectifices.

Reſolvitur ſub hac analyſi ingens fluidi elaſtici incoërcibilis copia; hinc obturaculum recipientis foramen occludens ſæpius amoveatur.

Deſtillationis hujus reſiduum præparationi *Salis Tartari* vaſis clauſis vitreis ſerva.

Tamquam incidentia, attenuantia, reſolventia laudata ſunt. Jam vix præſcribi ſolent.

OLEUM, SPIRITUS, ET SAL VOLATILE SUCCINI.

Rec. Succini groſſiuſculè contuſi. . . . . quant. vis: immitte in Retortam vitream largioris orificii; eam impone Balneo arenæ; adapta Receptaculum ampliſſimum foramine inſtructum; commiſſuras luto communi ſcilicet ex farina lini firma; tum deſtilla igne primò leni, qui gradatim augeatur: prodibunt Spiritus acidus, Sal volatile acidum concretum, Oleum tenuius, flaveſcens, odoris penetrantis, ad inſtar Olei Petræ; tamdem Oleum ſpiſſius, nigricans, fœtens: refrigerato apparatu, Sal volatile concretum Retortæ collo & Receptaculi parietibus adhærens exemptum, & Spiritum ab Oleo ſeparatum depurationi ſerva; Oleum verò repetitis Deſtillationibus rectiſica, donec limpidum, ſubtile excolor evaſerit, & ſub nomine *Olei Succini rectificati* repone.

Oleum, *non obſtantibus ſummis encomiis, quibus etiam a magno* BOERHAAVIO *celebratur, viribus ab aliis Oleis empyreumaticis non recedit.* Spiritus *copiam Salis diſſolutam tenet, & ab eo vires habet.* Salis *vires vide infra.*

SALIA ESSENTIALIA.

Salis eſſentialis nomine veniunt materiæ ſalinæ omnes, quæ nonnullas proprietates ſubſtantiarum, unde eductæ ſunt, retinent.

Vegetabilia & animalia, nec non quæ ab iis procedunt, ſolummodò hoc Salis genus largiuntur.

Plurimi vegetabilium ſucci Salia mineralia, ùt Sal marinum, Tartarum vitriolatum, Sal mirabile Glauberi &c. ſuppeditant: verùm hæc nequaquam Salibus eſſentialibus accenſenda ſunt; primò enim Salia hæc mineralia, quemadmodum cl. BAUMé aſſerit, in prædictis Plantis tantum obtinent, ubi ſolum, e quo nutrimentum hauriunt, ea poſſidet. 2do Si parte extractiva, qua obducta ſunt, orbantur, nullam ampliùs proprietatem vegetabilis, unde educta ſunt, monſtrant; 3tio denique carent principio oleoſo, quod Salium eſſentialium compoſitionem conſtanter ingreditur. Idem de Salibus mineralibus in animalium ſuccis obviis cenſendum eſt.

Vires horum Salium eſſentialium necdum ſatis probatæ ſunt: præter acida & dulcia, omnia videntur ad Nitrum ſapore accedere, & vix inter ſe viribus differre.

SAL ESSENTIALE ACETOSELLÆ.

Rec. Herbæ Acetoſellæ recentis . . , . quant. vis: contuſam ſubjice Torculari, & exprime ſuccum, qui trajectus per manicam vaporet igne leni ad conſiſtentiam Syrupi liquidioris: inſpiſſatum ſuccum infunde urinali mundiſſimo, ut uſque intra collum plenum ſit: ſuperaffunde Oleum purum Olivarum ad lineæ altitudinem, & repone in cella, aliove loco frigido: aliquarum hebdomadum ſpatio concreſcent Cryſtalli, quas, decantato liquore, collige, & ſicca: evaporationem & cryſtalliſationem repete, donec exhauſeris Cryſtallos omnes reiterata diſſolutione & cryſtalliſatione depurandas.

Eadem encheireſi e cujuſvis Plantæ ſucco Sal eſſentiale præparatur.

Oleum Olivarum ſucco inſpiſſato affuſum aërem excludit: hinc fermentationem, putrefactionem, mucilaginis generationem prohibet.

Succi ſpiſſiores cum Aqua pluviali diluantur, ut faciliùs Colum tranſeant.

Difficulter determinari poteſt, quouſque evaporatio protrahenda ſit; cum id a Salis eſſentialis copia quæ ſuccis depuratis ineſt, dependeat, hæcque in eadem Planta ratione ætatis, vigoris, anni tempeſtatis, & ſoli qualitatis variet.

Sal Acetoſellæ gratum acidum exhibet, quod tamen, cum acida multa vegetabilia æquè efficacia breviori via obtineri poſſint, vix ad uſus medicos præſcribitur. Multum adhibetur ad maculas atramentoſas delendum.

SACCHARUM, ſive SAL ESSENTIALE LACTIS.

Rec. Seri Lactis coagulo vitulino præparati . quant. placet: vaporet blando igne in vaſe vitreo vel terreo ad trium quartarum Seri Lactis adhibiti conſumptionem, & repone in loco frigido, ut concreſcant Cryſtalli, quas poſtera die ſepara: evaporatio atque cryſtalliſatio iterentur; obtinebis Cryſtallos prioribus ferè ſimiles: lixivium ſuperſtes projice, & omne obtentum Sal in Aqua pluviali diſſolve, liquorem dein filtratum evapora ad cuticulam & cryſtalliſationi ſubmitte; evaporationes & cryſtalliſationes repete, quamdiu coaleſcant Cryſtalli, quas ſuper chartam bibulam ſicca.

Lixivium, quod tanquam inutile abjicere præcepimus, continet, præter materiem gelatinoſam parum cognitam, ſubſtantiam extractivam coloratam, & Sal febriſugum ſylvii.

Sal hoc, ſeu Saccharum ob dulcedinem ita nuncupatum, depuratione indiget, ut flavedinem dimittat, qua a parte Seri Lactis extractiva inquinatum eſt.

Tamquam antiſpaſmodicum, anodinum & præſtantiſſimum demulcens in morbis pectoris, & ipſa etiam phtiſi, laudatum eſt: ſine præjudicio tentaminibus ſubjectum nihil horum omnium præſtare obſervabitur.

FLORES BENZOINI.

Rec. Benzoës minutim confractæ . . . . libr. duas: immitte in concham figulinam vitreatam, patulam, minimè profundam, quam simili non vitreata inversa tegas; commissuras luto communi firma, & vasa furno committe capaci satis, ut inferior concha usque ad marginem ferè eum intret; fiat tum sublimatio calore illo ebullientis Aquæ paulò majori: perge sublimare eodem ignis gradu per duas horas: deinde frigescant vasa, ac Flores penna anserina abstersos exime: sublimatio iterum atque iterum repetatur; donec residuum Flores exhibere recuset.

Margines utriusque conchæ terreæ huic sublimationi adhibendæ porphyritæ sabuli ope atterantur, donec sibi invicem applicatæ se in omni superficie tangant; lutum hac ratione commune, scilicet ex farina lini seu amylo confectum, commissuræ probè obserandæ sufficiet.

Requiritur Benzoës liquatio, ut Flores suos largiatur; hanc liquationem caloris gradus in hoc processu præscriptus præstat; si ignis admoveatur intensior, tum elevantur Flores Oleo Benzoino inquinati: si verò remissior sit, nihil sublimatur; hinc felix operationis successus ab ignis regimine dependet.

Flores flavescentes sublimatione secunda, tertia, &c. obtenti depurationem postulant: hæc duplici ratione absolvitur: crystallisatione scilicet, vel nova cum vigecuplo arenæ albæ lotæ instituta sublimatione: prior tamen encheiresis

præferenda eſt, quoniam Flores ita tractati albedinem ſervant, quam ſublimati tractu temporis amittunt: cryſtalliſatio autem ſequenti modo inſtituitur: flores ſublimati flaveſcentes in Aquæ puræ bullientis ſufficiente quantitate diſſolvantur, lixivium filtretur per chartam emporeticam, & reponatur in loco frigido; ſic refrigeſcente Aqua, concreſcent Cryſtalli Floribus ſublimatis non abſimiles, quas ſuper chartam bibulam ſicca.

Flores Benzoini verum Sal eſſentiale, volatile, acidum, inflammabile ſiſtunt.

Vires habent balſamicas. Infarctus mucoſos pulmonum ſolvere, & ſudores movere ſcribuntur. Necdum ſatis probati ſunt.

SAL VOLATILE SUCCINI DEPURATUM.

Rec. Salis volatilis ex analyſi Succini obtenti . quant. placet: injice in Cucurbitam vitream humilem; ſuperaffunde arenæ puriſſimæ . . . . tantumdem: impoſito Capitello cæco, commiſſuriſque glutine communi obſeratis, fiat miti calore ſublimatio: aſſurget omne Sal tenui parte Olei Succini præditum, relicta parte craſſiori: refrigeratis vaſis, Sal ſublimatum abrade, ac vaſis vitreis ritè obturatis ſerva.

Sal Succini exhibet acidum concretum ex toto volatile.

A lucripetis ſæpiſſime adulteratur, ſolentque ei immiſcere Sal ammoniacum, Cremorem Tartari, Saccharum,

Sal marinum, imò Succinum ipſum pulveriſatum: ut hos fucos detegas, recipe ſuſpecti Salis quantum vis, divide in duas partes, quarum una teratur cum Alkali fixo vegetabili, altera in cochleari ferreo exponatur igni: ſi Sal Ammoniacum continet, miſcela cum Alkali fixo vegetabili odorem ſparget Alkali volatilis: ſi quid ex reliquis memoratis ſubſtantiis ipſi ineſt, altera pars igni expoſita materiem fixam relinquet.

Hoc Sal tamquam princeps remedium adversùs morbos hyſtericos laudatum eſt. Si quid revera in his morbis poſſit, id adhærenti Oleo empyreumatico tribuendum videtur. Per ſe penetrantiſſimum aperiens, diureticum eſt, quod, dum purum obtineri poteſt, etiam ad ſcrupulum & ultra ſine noxa præſcribitur.

SPIRITUS ACIDI.

Spiritus acidi ſunt ſalia naturaliter fluida, vel Menſtruo aquoſo diſſoluta, Syrupi Violarum colorem cæruleum in rubrum mutantia, cum Salibus alkalinis, & Terris obſorbentibus efferveſcentia, ac cum iiſdem in Sal neutrum tranſeuntia.

Subjecta, quæ tales liquores præſtant, ſunt tam corpora mineralia, quam vegetabilia, atque animalia: Spiritus acidi verò omnium fortiſſimi eliciuntur e corporibus mineralibus; inter hæc Vitriolum, Sulphur, & alumen acidum largiuntur, quod, dum concentratum, ejuſdem planè naturæ eſt.

ACETUM DESTILLATUM, ſive SPIRITUS ACETI.

Rec. Aceti Vini . . . . quant. vis: mitte in Cucurbitam terream, vel vitream, quam colloca in furno arenæ: impone Capitellum vitreum, cujus Roſtro adjunge Excipulum, & commiſſuras chartæ fruſtis, quibus paſta farinacea illita eſt, obſera: tum illo ignis gradu, quo Acetum leviter bulliat, fiat Deſtillatio, protrahenda, donec tres quartæ adhibiti Aceti prodierint.

Acetum aggreditur ferè omnia Metalla, eaque partim corrodit, partim diſſolvit: hinc vaſa deſtillatoria metallica ab hac operatione excludantur.

Deſtillatione Acetum ſua parte extractiva, & Olei ac Acidi portione orbatur.

Ob puritatem ad multos uſus Aceto præfertur: ab illo tamen viribus medicis non recedit. Aſſumptum itaque leni ſtimulo os, œſophagum, ſtomachum irritat, & excretionem glandularum harum partium provocat: hinc cardiaci vires agit, dum eodem tempore ſitim ſedat. Præſtantiſſimum præterea antiphlogiſticum & antiſepticum eſt, quod in gangræna inflammatoria, eryſipelate bilioſo & morbis putridis maxima cum utilitate præſcribitur. In magna doſi V. G. ad unciam unam omni bihorio datum certò & tutò, ſine aucto motu, ſudores movet: hinc in morbis malignis, exanthematicis & in ipſa etiam peſte tot laudes nactum eſt. A multis plurium venenorum

venenorum antidotum ſtatuitur : exceptis tamen alkalinis, quibuſcum ſalia neutra, innocua, penetrantiſſima conſtituit, illi ſoli, ſine ſtrenuè adhibitis generalioribus, non arbitramur fidendum.

Externè reſolvens, antiphlogiſticum, antiſepticum eſt : inflammationem, præſertim a cauſa externa, ut a contuſione, fractura &c., natam, feliciſſimè fugat. Ejus vapor tumores duros, etiam ſcirrum teſticuli, ſolvit, & aërem putridum corrigit, ut etiam in peſte tamquam prophylacticum laudetur. Pulmonibus hauſtus eoſdem exſtimulat, eorumdemque infarctum atque hinc natam orthopnœam curat.

Naribus admotum aut injectum nervos olfactorios ferit, & meliùs plerumque, quam multò fortiora, ab animi deliquio, aſphyxia & lethargo excitat.

SPIRITUS NITRI.

Rec. Nitri puriſſimi ſicci pulveriſati . . . libr. duas: immitte in Retortam vitream; ſuperaffunde

Olei Vitrioli rectificati . . . . . unc. quindecim: locetur dein Retorta in furno arenæ; applicetur ingens Receptaculum perforatum, in quod priùs immiſſa ſit

Aquæ deſtillatæ . . . . pint. ſemis, & commiſſura obturetur luto pingui ex argilla & oleo lini facto, quod linteo, calcis vivæ in aëre in pulverem delapſæ & albuminis ovi miſcela obducto, firmetur; tum ſubdatur ignis moderatus ſenſim augendus, donec reſiduum ſiccum ſit, prodeatque ampliùs nihil: refrigerato

apparatu, Acidum Nitri transfundatur e Receptaculo in lagenam epiſtomio vitreo claudendam.

Cavendum inter effuſionem hujus Spiritus ne ejus vapor corroſivus ad pulmones perveniat.

Deſtillationis reſiduum *Arcanum duplicatum* conſtituit, quod ſuperfluo Acido Vitrioli junctum eſt: hinc priuſquam in Cryſtallos redigatur Alkali fixo vegetabili ſaturetur.

Nunnumquam Spiritus Nitri inquinatus eſt pauca quantitate Acidi Vitrioli, quæ unà cum Spiritu ſub Deſtillatione in Excipulum tranſiit: detegitur hæc labes præcipitatione, quæ obtinet, dum aliquibus talis Spiritûs drachmis inſtillatur gutta diſſolutionis Argenti: Argentum enim ſe conjungit cum Acido Vitrioli, & *Vitriolum Lunæ* conſtituit, quod ſub forma albæ nubeculæ fundum petit; in hoc caſu ſuper aliquot uncias Nitri ſicci pulveriſati rectificetur.

Acidum nitri concentratum, ut etiam Salis & vitriolicum, quorum præparatio infra deſcribitur, cauſticum venenum eſt. Cuti vel leviter tantum applicatum eam macula flava, non delenda niſi ſublata epidermide, inficit. Continuato uſu eamdem corrodit, exulcerat, deſtruit: hinc ad verrucas alioſque parvos tumores non inflammatos eradicandum & ad oſſium cariem extus quandoque adhibetur.

Ad uſus internos vix præſcribitur: aliorum tamen Acidorum mineralium vires habet: hæc in genere ſitim ſedant; ſolida conſtringunt, denſant, roborant; ſanguinem coagulant,

ejuſdemque æſtum compeſcunt; potentiſſima antiſeptica ſunt. Conveniunt in laxitate, debilitate primarum viarum; ſanguinis diſſolutione; febribus putridis, verminoſis, & a reſumpto pure: ut Acidum vitriolicum etiam antiphtiſici famam habeat. Per ſe multâ Aquâ diluta, ut gratè acidum, innocuum potum præſtent, vel Alkohole Vini dulcificata ad guttas triginta vel quadraginta, pluries etiam de die, præſcribuntur. Poſteriori modo præparata, qualia hic infra etiam tradentur, vim præterea antiſpaſmodicam acquirunt. Omnia tamquam diuretica laudantur. Nimia doſis primis viis præſertim moleſta eſſe ſolet, & cardialgiam, tormina ac colicos dolores producere.

SPIRITUS SALIS.

Rec. Salis cibarii . . . . libr. duas:
immitte in Retortam vitream, & affunde miſcelam ex
Olei Vitrioli rectificati . . . . . . libr. duabus,
Aquæ deſtillatæ . . . . libr. una ſemis:
deinde reponatur Retorta in Balneo arenæ; adjunge Excipulum capax perforatum, cui priùs indita ſit
Aquæ deſtillatæ . . . . libr. ſemis,
& commiſſuras luto ſimili illi, quod in præcedenti proceſſu præſcriptum eſt, claude: tum ignis adminiſtretur lenis per tres quatuorve horas; dein augeatur gradatim, donec tandem Olla ferrea candeſcat, nihilque ampliùs prodeat liquoris: omnibus ſpontè refrigeratis, aufer Excipulum, ac Spiritum Salis effunde in vitrum Epiſtomio vitreo obturandum.

Si maſſa ſalina in Retorta reſidua igne valido calcinetur, donec nulli ampliùs vapores inde exſurgant, ut Acidum Vitrioli liberum, quod continet, & Acidum Salis concentratius, quod ſub Deſtillatione elevari non potuit, diſſipentur, in Aqua pura dein diſſolvatur, & poſt debitam evaporationem cryſtalliſationi ſubmittatur, dat *Sal mirabile Glauberi.*

SPIRITUS SUCCINI RECTIFICATUS.

Rec. Spiritus ex analyſi Succini obtenti . quant. placet: inde Retortæ vitreæ; mundum admove excipulum; commiſſuras luto communi obſera, & igne moderato ex Balneo arenæ duas tertias avoca, quas lagenis bene obturatis ſerva.

Eodem modo rectificatur

Spiritus Tartari.

Spiritus Succini conſtat Succini parte aquoſa, ejus Salis volatilis acidi portione, & Olei parte ſubtilliſſima.

Spiritus Tartari ſiſtit Acidum oleoſum empyreumaticum, illi, quod cuncta vegetabilia largiuntur, dum igne nudo Deſtillationi ſubmittuntur, analogum.

Horum vires vide ſupra.

OLEUM VITRIOLI.

Rec. Vitrioli viridis ad albedinem calcinati . quant. ſufficit, ut repleat Retortam terream ad duas tertias; repone eam in Furno Reverberii; adjunge Receptaculum amplum,

vitreum; commiſſuram luto ex argilla, arena, & calce viva in aëre in pulverem delapſa, aqua ſubactis circumclude: tum lenis admoveatur ignis gradatim augendus, in candefactionem Retortæ uſque: primò exibit Phlegma acidulum, dein Acidum ſulphureum volatile, tandem Acidum Vitrioli concentratum nigricans: ubi hoc deſtillare ceſſat, operatio finiatur: habebis ſic Acidum Vitrioli impurum Rectificationi ſubmittendum, & confracta Retorta, invenies reſiduum, quod Calcem Ferri, *Colcothar Vitrioli* nuncupatum, exhibet.

OLEUM VITRIOLI RECTIFICATUM, ET SPIRITUS SULPHURIS.

Infunde impurum Acidum Vitrioli præcedenti Deſtillatione obtentum per infundibulum longo collo inſtructum in Retortam vitream, quam Balneo arenæ committe; applica recipiens, & igne moderato inſtituatur Deſtillatio protrahenda, donec omne Phlegma Acido ſulphureo junctum avocaveris: manebit in fundo Retortæ Oleum Vitrioli excolor, concentratum ac rectificatum, quod in lagenas obturaculis vitreis muniendas transfuſum, ſub nomine *Olei Vitrioli rectificati* repone: liquorem Excipulo contentum ſub *Spiritus Sulphuris* titulo aſſerva.

Acidum Vitrioli concentratum eſt Aquæ avidiſſimum, eamque ex athmoſphæra attrahit: hinc vaſa, quæ id continent, arctè occludenda, & quidem obturaculis vitreis: ſi enim ſubera huic ſcopo aſſumantur, Acidum, præ magna

affinitate cum Phlogiſto, primò fuſcum, ac tandem nigrum induit colorem.

Spiritus Sulphuris hoc proceſſu impetratus ſimilis eſt illi, qui tædioſa operatione e Sulphure ardente per campanam vitream deſuper ſuſpenſam colligitur.

Solent hoc Acidum nomine *Olei Vitrioli* vulgariter inſignire, non quod Olei naturam habet; ſed quod conſiſtentia ſaltem Oleum aliquantulum æmulatur.

SPIRITUS VITRIOLI.

Rec. Aquæ deſtillatæ . . . . pint. unam: immitte in Cucurbitam terream; inſtilla cautè

Olei Vitrioli rectificati . . . . unc. quatuor ſemis, & mixta infunde in lagenam vitream.

Simulac Acidum Vitrioli cum Aqua in contactum venit, auditur ſtrepitus, vas magis magiſque incaleſcit; hinc Cucurbita terrea vaſi vitreo, quod ſæpiſſime ſub hac mixtione diſſilit, præferenda.

SPIRITUS ACIDI DULCIFICATI ET ÆTHER.

Spiritus acidi dulces ſunt liquores ſtillatitii, inflammabiles; odoris jucundi, fragrantis; orti e connubio Acidorum mineralium cum Alkohole Vini.

Si Alkoholi applicantur juſta copia Acida concentratiora, productum erit *Æther*, liquor tenuiſſimum oleum referens,

qui, ratione aſſumpti Acidi, *Æther Vitriolicus*, *Nitroſus* &c. appellatur: præcipuæ hujus liquoris proprietates ſunt ſequentes: ſapore gaudet aromatico, odore fragrantiſſimo: in Alkohole Vini penitus diſſolvitúr, eoque volatilior atque inflammabilior exſiſtit: eſt omnium notorum liquorum leviſſimus; guſtu & tactu frigidiſſimus: Aquæ innatat, & ex ea flammâ candelæ, tribus adhuc digitis remotâ, accenditur: Reſinas tandem qualeſcumque diſſolvit. Dictas dotes in eminenti gradu poſſidet Æther Vitriolicus, iſque ſolus ferè in uſus medicos recipitur.

SPIRITUS NITRI DULCIS.

Rec. Alkoholis Vini . . . . pint. duas: mitte in Retortam vitream; ſenſim ſuperaffunde

Spiritus Nitri . . . . unc. quinque,

&, Retorta in gyrum agitata, ut ambo liquores accuratè miſceantur, fiat digeſtio frigida per biduum: dein committe Balneo arenæ, agglutina Excipulum perforatum veſicæ madefactæ ope, & deſtilla, liquore leviter bulliente, donec tres quartas avocaveris, quas vitris obturaculis vitreis muniendis reconde.

Vapores valde elaſtici, præſertim ſub operationis finem, apparatum replent; hinc obturaculum, quo Excipuli foramen occluſum eſt, tum ſæpè amovendum, ac ignis remiſſior adhibendus.

Cavendum, ne quis ſub Deſtillationis decurſu candela accenſa apparatui propinquet, præcipuè, dum Excipuli

foramen patet: prodiens enim vapor facillimè inflammatur, & inde apparatus displosio inevitabilis foret. Eadem cautela observanda circa reliquos hujus generis Spiritus.

SPIRITUS SALIS DULCIS.

Rec. Spiritus Vini Alkoholis . . . . . . pint. duas: committe vasi circulatorio capaci; affunde

Spiritus Salis . . . . unc. quatuor semis: digere leni calore per tres, quatuorve dies; fiat dein Destillatio eadem lege, ùt in præcedenti processu.

ÆTHER VITRIOLICUS, sive SPIRITUS FROBENII.

Rec. Alkoholis Vini . . . . pint. duas: immitte in Retortam vitream, superaffunde

Olei Vitrioli rectificati . . . . unc. quadraginta, atque Retortam leniter & sæpius move, ut Acidum Vitrioli cum Alkohole bene permisceatur; deinde committe eam Balneo arenæ; admove Receptaculum perforatum, & commissuras vesica madefacta obsera: instituatur tum Destillatio igne sat intenso, ut liquor leviter bulliat: perge eodem ignis gradu, obturaculum, quo Receptaculi foramen clausum est, sæpè amovendo; donec odor suffocans Acidi sulphurei volatilis se manifestet: aufer tum Excipulum; liquorem in eo contentum effunde in lagenam vitream probè obturandam; instilla tantillum Olei Tartari per deliquium, ac digere frigidè, donec odorem Acidi sulphurei amiserit: dein e Retorta vitrea siccissima

ſicciſſima igne lampadis deſtilla ſerè ad medias. Liquor hac rectificatione obtentus eſt *Æther Vitriolicus*, quem committe puriſſimo vitro, cujus os epiſtomio vitreo ad capacitatem oris accuratè expolito claudatur.

Dum Acidum Vitrioli concentratum cum Alkohole in contactum venit, auditur ſtrepitus; erumpunt vapores penetrantes, odoris non ingrati, nec nocivi; miſcela valde incaleſcit: hinc ſi abſoluta mixtione mox Deſtillationi ſubmittantur, arena balnei priùs calefiat, ne Retorta diſſiliat.

Primus, qui prodit, liquor eſt pars Alkoholis Vini, quæ vix ullam mutationem ſubiit: inſequitur per ſtrias Æther, ac tandem cum ultima Ætheris portione aſcendit parum Acidi ſulphurei orti ex Acido Vitrioli & Alkoholis Vini parte oleoſa: ab his autem liberatur Æther præſcripta rectificatione cum Alkali fixo: hoc enim cum Acido ſulphureo concreſcit in Sal polychreſtum, quod cum Alkohole, quod Æthere minùs volatile eſt, in Retorta remanet.

Si prioris Deſtillationis reſiduum nigricans, odoremque ſuffocantem Acidi ſulphurei ſpirans, Aqua dilutum, & filtratum, rectificetur, Oleum Vitrioli purum exhibet.

Cardiacum, nervinum, antiſpaſmodicum, anodinum eſt promptiſſimum. Acida mineralia Alkohole dulcificata hunc liquorem continent, & ab eo vires habent. Laudatur præſertim in affectionibus ſpaſticis primarum viarum, in quas electrica quaſi vi agit. Ad guttas decem, viginti & ultra cum pauxillo Sacchari, & meliùs adhuc in parca Aquæ

copia exhibetur. Ad magnam doſim, V. G. dragmam dimidiam, pluries repetitam laudatur in gangræna.

Extus commendatur tamquam efficaciſſimum anodinum, quod cephalalgiam, non ſolùm ſpaſmodicam, ſed etiam rheumaticam & inflammatoriam, curat, ac buccæ illitum pluries odontalgiam ſuſtulit. Pars, cui applicatur, illico manu tegenda eſt; ne volatilis liquor in auras avolet; ſed penetrare cogatur. Teſte celeb. AITKEN *ulcera exſiccat eademque cicatrice tegit.*

LIQUOR ANODYNUS MINERALIS, ſive SPIRITUS VITRIOLI DULCIS.

Rec. Alkoholis Vini . . . . pint. quatuor: ſuperaffundantur

Olei Vitrioli rectificati . . . . libr. tres: fiat dein Deſtillatio eadem lege, ùt in præcedenti proceſſu: deſtillatum liquorem cum ſufficiente quantitate Olei Tartari per deliquium digeſtum Rectificationi ſubmitte, eamque ad ſiccitatem ferè uſque protrahe.

Liquor anodynus mineralis nil niſi diſſolutionem Ætheris in Alkohole ſiſtit: ſi enim ei ſufficiens addatur Aquæ copia, hæc ſeſe commiſcet cum Alkohole, & fit Ætheris ſeparatio: hinc hic liquor ex tempore paratur, ſi Æther vitriolicus cum duplo Alkoholis vini miſcetur.

Carminativus, antiſpaſmodicus, anodinus eſt. Datur in doloribus ſpaſticis primarum viarum, paſſione hyſterica, vomitu, ſingultu &c. Doſis eſt a guttis decem ad ſexaginta.

SALIA ALKALIA.

Alkali eſt Sal ſaporis acris, urinoſi; Florum Violæ ſuccum cœruleum in viridem mutans, & cum quovis Acido in Sal neutrum concreſcens.

Alkali dotibus adnumerari ſolet proprietas efferveſcendi cum acidis: verum hæc tantùm obtinet, dum Alkalia adhibentur aërata: hinc a ſolo aëre fixo, qui ſub eorum cum Acidis combinatione extricatur, dependet: ſi namque ab hoc applicatione Calcis vivæ orbantur, nullam ampliùs efferveſcentiam monſtrant. Alkali porrò in genere conſideratum ſubſtantias metallicas & terras Acidis unitas præcipitat.

Dividitur Alkali in *Fixum* & *Volatile*.

Fixum eſt Alkali intenſum ignis gradum abſque diſſipationis nota ſuſtinens, & Mercurium e Sublimato Corroſivo colore aurantio præcipitans. Cum Sulphure combinatum conſtituit *Hepar Sulphuris*, quod omnia Metalla, ne Auro quidem excepto, diſſolvit, eaque Aquæ miſcibilia reddit, &, præſertim ſi ope Calcis vivæ cauſticum reddatur, cum oleoſis & pinguibus in Saponem coit.

Volatile eſt Alkali miti calore avolans, & Mercurium e Sublimato corroſivo præcipitans colore lacteo: vel ſicca vel fluida forma obtinet; illud *Alkali Volatile concretum*; hoc *Spiritus Urinoſus* audit.

Alkali volatile combinatum
cum Acido Vitrioli dat Sal ſecretum GLAUBERI.
- - - - - - Nitri --- Nitrum ammoniacale.
- - - - - - Salis --- Sal ammoniacum.
- - - - - - Acetoſo --- Spiritum MINDERERI.

Alkali fixum dividitur in *Foſſile* ſive *Minerale*, & in *Vegetabile* ſive *Lixivioſum*: illud Cryſtalliſationem patitur, in aëre ſiccum perſtat, quin imò Aquam Cryſtalliſationis amittit; hoc nullam formam cryſtallinam exhibet, & in aëre in deliquium abit.

Alkali fixum foſſile combinatum
cum Acido Vitrioli dat Sal mirabile GLAUBERI.
- - - - - - Nitri --- Nitrum cubicum.
- - - - - - Salis --- Sal commune.
- - - - - - Acetoſo --- Terram foliatam cryſtalliſatam.
- - - Tartaro --- Sal polychreſtum ſolubile.
- - - Sale ſedativo --- Boracem.

Alkali fixum vegetabile combinatum
cum Acido Vitrioli dat Tartarum vitriolatum.
- - - - - - Nitri --- Nitrum.
- - - - - - Salis --- Sal digeſtivum SYLVII.
- - - - - - Acetoſo --- Terram foliatam Tartari.
- - - Tartaro --- Tartarum tartariſatum.

Utrumque Alkali fixum, tam vegetabile quam minerale, in igne funditur, & cum terra vitreſcibili in pellucidum

vitrum confluit: hoc tamen, adhibito Alkali minerali, soliditate majori gaudet.

Alkalium Volatilium *vires vide pag.* 325. fixa, *modò pura sint, undecumque proveniant, vix viribus medicis inter se differunt. Omnia in majori dosi assumpta rodentia, caustica venena sunt, quibus Acida & Olea expressa, tamquam antidota, opponi debent. Ad grana quinque, decem, vel scrupulum unum, & præsertim multâ Aquâ diluta, efficacissimum in quibusdam morbis remedium constituunt, quod ab agyrtis quibusdam pro arcano divenditur. In primis viis Acidum domat, glutinosa solvit. Venis receptum humores attenuat, & resolvens est potentissimum, quod etiam rachiticos tumores & podagricos tophos legitur curasse. Omnes excretiones & plerumque diuresim promovet. Vi solvente humores ad putredinem disponit: hinc nocet in Scorbuto calido, febribus putridis &c.*

Externè tumores frigidos & præsertim indurationes lacteas resolvit. Hìc etiam, ne cutem erodat, multùm dilutum adhiberi debet.

SAL ABSINTHII.

Rec. Herbæ Absinthii leniter siccatæ . . quant. placet: comburatur in aëre aperto in cineres, quos humili vase figulino non vitreato exceptos in Furno Reverberii ad albedinem calcina: deinde in olla ferrea intus polita cum quadruplo Aquæ pluvialis ebulliant: lixivium per chartam bibulam filtra, & evapora; donec Sal alkalinus sic-

ciſſimus ſuperſit, quem ferventem adhuc immitte in lagenam calidam ſubere ſiccisſimo quam ocyſſimè obturandam.

Eodem modo parantur

Sal Arthemisiæ.
---- Cardui benedicti.
---- Centaurii minoris.
---- Genistæ.

Cavendum ſub cinerum calcinatione, quæ ideo ſolummodo inſtituitur, ut materies pinguis oleoſa, qua inquinati ſunt, uratur, ne iis nimis intenſus ignis applicetur, tum enim fluerent in maſſam vitriformem, quæ vix aliquid Salis daret.

Poſſunt quoque ſine prævia calcinatione elixari cineres, modò Sal, quod hac ratione fuſco nigricante colore tinctum ex evaporato lixivio acquiritur, ad albedinem calcinetur, in Aqua pura denuò diſſolvatur, atque diſſolutio dein per chartam bibulam filtrata ad ſiccitatem evaporetur.

Lixivium progreſſa evaporatione ſpiſſeſcens ſpatula ferrea aſſiduò agitetur, ne Sal ollæ accreſcat: tandem areſcens maſſa ſalina piſtillo ligneo redigatur in pulverem, ut ultima humiditas faciliùs exhalet.

NITRUM FIXUM.

Rec. Nitri ſicci pulveriſati . . . . . . quant. vis: repleas eo Crucibulum fortiſſimum ad dimidias: repone in furno, & appone tantum ignis, quantum requiritur, ut Nitrum fluat inſtar Aquæ: injice tum parvam quanti-

tatem pulveris carbonum, fiet deflagratio: deflagratione peracta, aliam portionem ingere, fiet deflagratio, ùt priùs: continuetur patienter talis injectio, donec Nitrum tandem non ampliùs incenditur ab injecto pulvere carbonum: supererit massa albescens, viridescens, Alkalina, in aëre sponte deliquescens; quare, dum adhuc calet ab igne, fracto Crucibulo, illico eam exime, ac vase puro vitreo reconde.

Ignis sub finem paulò intensior administrari debet, cùm Nitrum eò difficilius fluat, quò Alkali copia magis increscit.

Nitrum licet fusum & penitus ignitum non incenditur, priusquam in contactum venit cum Phlogisto: simulac verò ei injicitur pulvis carbonum, fit subitò vivida & strepitans inflammatio, *Detonatio* dicta, quæ tamen consumpto Phlogisto mox cessat, neque renascitur, nisi pulveris carbonum alia portio Nitro addatur: hinc liquet, Nitrum inflammabile per se nequaquam dici posse. Acidum nitrosum sub detonatione ab Alkali fixo vegetabili avellitur, & Acidum ipsum decomponitur: resolvitur sic multum aëris dephlogisticati, cui, quum carbo ignitus ab illo aëre circumdatus vivida scintillatione, sæpissime in flammam erumpente, & sensibili decrepitatione consumitur, detonatio adscribenda videtur.

LIQUOR NITRI FIXI.

Rec. Nitri fixi . . . . quant. vis: immitte in vas vitreum amplè patens: repone in cella subterranea, aliove loco humido: Aquam ex ambiente

athmoſphæra attrahet, ac inde brevi in liquorem colliqueſcet, qui filtratus *Liquor Nitri fixi* audit.

Eodem modo fit e *Sale Tartari*

OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM.

SAL TARTARI.

Rec. Tartari crudi, vel carbonis reſidui ex analyſi Tartari . . . . quant. placet:
ingere in concham figulinam non vitreatam furno Reverberii commiſſam, & igne primò moderato, dein gradatim aucto calcina, donec Sal penitus albeſcat, nulloſque ampliùs fumos edat: diſſolve tum in ſufficiente quantitate Aquæ puræ, Lixivium per chartam bibulam filtra, atque ad ſiccitatem evapora: ſupererit Sal Tartari, quem adhuc calidum vaſis vitreis probè obturandis conde.

Alia quoque encheireſi paratur hoc Sal: nempe, ſi Tartarus, chartæ madefactæ involutus, & cum carbonibus ſtratificatus, igne aperto ad albedinem calcinetur: verum, cum ignis gradus hìc non adeò accuratè determinari queat, Sal nimio calore ſæpiſſime funditur, fuſus carbones perfluit, & ab iis eorumque cinere ſic inquinatur.

Sal Tartari ſuggerit Alkali fixum vegetabile omnium puriſſimum.

SAL TARTARI EXTEMPORANEUM, ſive FLUXUS ALBUS.

Rec. Nitri puri,
Tartari crudi . . . . ana part. æquales:
ambo

ambo ſiccata, pulveriſata, & mixta ingere in mortarium ferreum, & admove prunulam ardentem: fiet deflagratio; qua peracta, maſſam diſſolve in Aqua pura, atque procede, ùt in proceſſu præcedenti.

Si ratione Nitri recipiatur duplum Tartari, obtinetur Sal alkalinus multo Phlogiſto & Tartaro non decompoſito inquinatus, *Fluxus Niger* dictus, qui Calcium Metallorum reductioni adhibetur.

LAPIS CAUSTICUS.

Rec. Cineris clavellati . . . . libr. duas,
Calcis vivæ . . . . libr. tres:
immitte in vas terreum, ac ſuperaffunde
Aquæ pluviæ fervidæ . . . . . . pint. novem:
relinque hæc ita per biduum, ſubinde agitando: lixivium dein per linteum denſum filtratum vaporet in olla ferrea ad ſiccitatem: obtentam maſſam ſalinam ingere in Crucibulum inter carbones ardentes collocatum, & igne modederato funde: materies primò intumeſcit, dein fuſa ſubſiſtit: effunde tum ſuper laminam cupream calefactam priùs, &, dum adhuc calet, ſcindatur in fragmenta variæ magnitudinis vaſe vitreo probè obturato ſervanda.

Eligatur Calx viva ſicciſſima, neque hactenus fiſſa, neque in pulverem delapſa, ſitque cinis clavellatus ab omni Sale alieno purus.

Lapis cauſticus incredibili vi humiditatem attrahit: hinc, ſi vas, quo continetur, aperiri debet, id ſiat in loco ſicco, nec non ſubitò dein claudatur.

Alkali causticum concentratissimum constituit. Parti animali applicatus eamdem rodit, & in tabum solvit: hinc tamquam escharoticum a Chirurgis adhibetur. Cum humiditatem tam potenter attrahat, notari debet, eum a loco, cui applicatur, facilè diffluere.

SAL SODÆ, sive ALKALI FIXUM MINERALE.

Rec. Sodæ hispanicæ pulverisatæ . . . quant. placet: immitte in ollam ferream, & ebulliat cum sufficiente quantitate Aquæ unam alteramve horam: dein per chartam bibulam filtra, & lixivium evapora, donec parva portio inde desumpta crystallos monstret frigefacta: transfunde tum lixivium in vasa fictilia, atque in loco frigido ad crystallisandum repone: postridie crystallos exime: evaporationem & crystallisationem repetas, donec lixivium superstes crystallos exhibere recuset: crystallos sic obtentas altera instituta crystallisatione purifica & super chartam bibulam leniter sicca.

Si crystallis exhaustum lixivium evaporetur ad siccitatem, exhibet Alkali fixum vegetabile: verùm cum id valde impurum sit, & haud facilè, quamvis adhibeatur calcinatio, depuretur, lixivium residuum ferè abjicitur.

Sal Sodæ aëri libero sicco expositum in pulverem fatiscit: hinc, si velis crystallorum formam conservare, eas needum planè siccas vasi vitreo probè claudendo committe.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS, ſive ALKALI VOLATILE CAUSTICUM, VULGÒ SPIRITUS SALIS AMMONIACI CUM CALCE VIVA.

Rec. Calcis vivæ in aëre in pulverem delapſæ . libr. duas: immitte in Retortam vitream, & ſuperinjicias

Salis ammoniaci pulveriſati . . . . libr. unam: his affunde

Aquæ puræ . . . . pint. unam ſemis: Retortam committe Balneo arenæ, & ſubitò adaptato Receptaculo amplo perſorato; juncturiſque luto pingui firmatis, fiat deſtillatio per gradus, protrahenda, donec pinta una liquoris, in vitro epiſtomio vitreo munito aſſervandi, prodierit.

Aër Alkalinus volatilis, qui ipſum eſt Alkali volatile omni aëre fixo orbatum, & non alia quam fluida forma obtinendum, ab Aqua abſorptus hunc Spiritum conſtituit. Fluidum id aëriforme magna copia ſub deſtillatione extricatur, & ſenſim tantùm a prodeunte liquore diſſolvitur: hinc obturaculum, quo Excipuli foramen occluditur, ſubinde amoveatur, ne vaſa rumpat, & ignis initio ſubſternatur valde moderatus, vel, quod tutius, apparatus per aliquot horas abſque igne relinquatur: ſolo enim calore, qui in miſcela exoritur, primi Spiritus prodeunt.

Reſiduum Sal marinum baſi terrea ex Acido Salis & Terra calcaria coalitum continet, quod indè prægreſſa cal-

cinatione, per deliquium obtinetur, nec non valde impropriè *Oleum Calcis* nuncupatur.

Alkalium volatilium vires pag. 325. dictas habet; ſed ope Calcis multùm acuatus, & cauſticus redditus eſt. In animi deliquio, aſphyxia &c. naribus admovetur, ut volatili forti ſtimulo nervos olfactorios feriat. Ad fricanda membra paralytica unguentis nervinis additur, & a quibuſdam Chirurgis ad conſumendum ſaccum tumorum cyſticorum laudatur. Ob cauſticitatem internè non ſolet adhiberi: poſſet tamen in hunc finem ſufficienter dilui.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI TARTARISATUS, ſive SPIRITUS SALIS AMMONIACI CUM SALE TARTARI.

Rec. Salis ammoniaci . . . . libr. unam,
---- Tartari . . . . libr. duas;
ſeorſim pulveriſata & mixta injiciantur in Retortam vitream, & affunde
Aquæ pluvialis . . . . pint. unam:
apparatu dein ita diſpoſito, ùt in proceſſu præcedenti, fiat deſtillatio ad ſiccitatem.

Alkali volatile concretum vaſorum lateribus adhærens unà cum Spiritu lagenæ committatur: liquor ſic Sale volatili ſuperſaturatus diutiùs ſalvis viribus aſſervatur.

Reſiduum in Aqua diſſolutum, dein filtratum, & ad pelliculam evaporatum dat cryſtallos ex Acido Salis, quod alteram partem Salis ammoniaci conſtituit, & adhibito Alkali

fixo vegetabili concretas, quæ *Salis digestivi* vel *Febrifugi* SYLVII nomine veniunt.

Alkali volatile purissimum vehit, & ab eo vires habet.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI VINOSUS.

Rec. Spiritus Salis ammoniaci caustici . unc. quatuor,
Alkoholis Vini . . . . unc. octo:
misceantur exactè.

Ita Spiritus Salis ammoniaci minùs causticus & ad usus internos accommodatior redditur. In affectionibus fridigis, præsertim primarum viarum, à guttis quinque ad scrupulum unum in appropriato vehiculo, præscribitur.

SAL VOLATILE SALIS AMMONIACI.

Rec. Salis ammoniaci sicci non fuliginosi . libr. unam,
Cretæ albæ . . . . libr. tres:
ambo in pulverem redacta & mixta immittantur in Retortam terream: repone eam in furno Reverberii, & agglutina Excipulum perforatum: deinde fiat sublimatio igne primò leni, dein gradatim aucto; donec ultimò Retorta candeat, prodeatque ampliùs nihil, quod Excipuli partis superioris refrigeratio indicabit: soluto apparatu, Sal volatile ab Excipuli parietibus ferreo instrumento separa, & in lagena accuratè obturata serva.

Residuum ab illo, quod Spiritus Salis ammoniaci causticus relinquit, non differt.

Sal alkalinum volatile purissimum constituit. Ejus vires vide supra pag. 325.

SALIA BASI ALKALINA ET TERREA.

ARCANUM DUPLICATUM, ſive SAL DE DUOBUS.

Rec. Nitri puri,

Vitrioli viridis . . . . . . ana part. æquales: pulveriſata & mixta injiciantur in Crucibulum, atque igne valido calcinentur, quamdiu vapores exhalent: maſſam refrigeratam diſſolve in Aqua calente, & poſtquam fœces ſubſederint, inſtilla guttulam Olei Tartari per deliquium, notando an fiat præcipitatio, quæ ſi obtineat, perge inſtillare, donec ea ceſſet: tum ſiltra, vaporet ad pelliculam, & cryſtalliſationi committe.

Acidum Vitrioli hìc excutit Acidum Nitri, arripiens Nitri Alkali, quocum Arcanum duplicatum conſtituit, Tartaro vitriolato haud diſſimile: ferrum verò, quod Vitrioli baſim efficit, calcinatur, atque in filtrò remanet.

Ad ſcrupulum unum ſingulis tribus vel quatuor horis exhibitum efficax ſolvens eſt, quod in ſaburra tenaci ac glutinoſis humoribus ſeliciter adhibetur, & tamquam ſpecificum in tumoribus lacteis laudatur. Ad dragmas tres vel quatuor mite purgans eſt.

LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS.

Rec. Salis volatilis Succini depurati . . . unc. unam: diſſolve in

Aquæ calidæ lagena vitrea contentæ . unc. ſexdecim, & addatur

Salis volatilis Cornu Cervi depurati . quant sufficit ad punctum saturationis, quod hujus Salis uncia una ferè obtinetur: liquorem saturatum tum promptè per chartam emporeticam filtra, & vase vitreo obturaculo vitreo munito asserva.

Laudatur tamquam antispasmodicus, diureticus, diaphoreticus. Præscribitur præsertim adversùs morbos convulsivos infantum, hemicraniam hystericam &c. Dosis a guttis quatuor ad quadraginta.

SAL MIRABILE GLAUBERI, sive SODA VITRIOLATA.

Rec. Salis Sodæ . . . . quant. vis: dissolve in

Aquæ bullientis . . . . suffic. quantitate: lixivium immitte in vas vitreum, & instilla, accedente liquoris agitatione, Spiritum Vitrioli: fiet effervescentia: perge instillare ad punctum saturationis; scilicet, donec effervescentia cesset: lixivium dein, præmissa filtratione, atque sufficienti evaporatione, quietum in loco frigido repone, ut concrescant crystalli, super chartam bibulam leniter siccandæ.

Sal mirabile Glauberi aëri libero expositum, sicuti Sal Sodæ, in pulverem fatiscit: hinc, ut crystallorum forma servetur, simulac charta bibula crystallis adhærens lixivium imbiberit, vasis rite obturandis condi debet.

Viribus ab Arcano *duplicato vix differt.*

SAL POLYCHRESTUM.

Rec. Nitri puri ſicci pulveriſati,
Florum Sulphuris . . . . . ana part. æquales:
fiat accurata miſcela, cujus parvam portionem injice in Crucibulum candens: fiet deflagratio, qua peracta, aliam portionem adjice, deflagrabit ùt prior: perge ita, donec omnis materia huic operi deſtinata detonaverit: maſſam dein diſſolve in Aqua bulliente: lixivium per chartam emporeticam filtra, & evapora, donec pellicula cryſtallina in ejus ſuperficie appareat: tum ab igne remove: frigeſcente lixivio, concreſcent cryſtalli, quas ſuper chartam bibulam ſicca: evaporationem & cryſtalliſationem repete, donec omnes cryſtallos exhauſeris.

Si ultimæ cryſtalli non candeant, altera inſtituta cryſtalliſatione depurentur.

Sal polychreſtum conſtat Acido Sulphuris & Alkali fixo vegetabili, quod Nitri baſim conſtituit: Sulphuris Phlogiſton ac Nitri Acidum deflagrando diſſipantur.

Ergo in hac præparatione alia methodo, quam in compoſitione Arcani duplicati, acidum vitriolicum jungitur Alkali nitri. Vires porrò eædem ſunt.

SAL POLYCHRESTUM SOLUBILE, VULGÒ DE SEIGNETTE.

Rec. Salis Sodæ . . . . quant. vis:
diſſolve in ſufficiente quantitate Aquæ & ebullienti liquori immitte

immitte tantum Cremoris Tartari in pollinem redacti, quantum requiritur ad ſaturationis punctum: lixivium tum filtra, & evapora, donec parva ejus portio in laminam vitream effuſa parvulas, poſtquam refrixerit, exhibeat cryſtallos; dein in loco frigido ad cryſtalliſandum repone: magnas obtinebis cryſtallos ſæpiſſimè obductas pulvere tenuiſſimo Cremoris Tartari, qui aqua frigida auferatur: Lixivio autem ſuperſtiti calefacto iterum immitte Cremorem Tartari, donec efferveſcentia ceſſet: tum evapora: frigore concreſcent novæ cryſtalli: perge eadem ratione; donec cryſtalli fiant ampliùs nullæ.

Authores quidam vaſa terrea & cuprea intus ſtanno obducta indiſcriminatim ad hujus Salis confectionem præſcribunt: verùm, cum cuncta Salia Cuprum diſſolvant, ac cruſta ſtannea, qua Cuprum obducitur, eorum actionem non prorſus impediat, cuprea vaſa ab opere Salium excludantur.

Ad ſcrupulum unum pluries de die exhibitum antiphlogiſticum, aperiens eſt. Ad unciam dimidiam pro doſi datum etiam alvum laxat.

SAL PRUNELLÆ, ſive CRYSTALLUS MINERALIS.

Rec. Nitri purificati . . . . libr. duas: mitte in Crucibulum inter prunas collocatum, ut fundatur: fuſo injice

Florum Sulphuris . . . . unc. ſemis:

finita deflagratione, effunde in pelvim, quam subitò in gyrum agita, ut fusum Nitrum totam superficiem percurrat, & frigescendo constituat lamellas.

Sistit hoc præparatum nihil aliud quam Nitrum Aqua sua crystallisationis orbatum, quod paululum Salis Polychresti immixtum habet.

Ex dictis vires erui possunt.

SAL SEDATIVUM CRYSTALLISATUM.

Rec. Boracis purificatæ . . . . libr. unam: mitte in vas figulinum non vitreatum, affunde Aquæ communis quantum satis est, & Salem coctione dissolve: dein ferventi lixivio instilla, accedente agitatione spatula vitrea, Oleum vel Spiritum Vitrioli, donec Acidum nonnihil abundet: lixivium tum filtra: frigore concrescent crystalli levissimæ, parvæ, splendidæ, attactu, ùt Talcum, pingues: crystallisationem evaporando lixivio repete, donec tales crystalli fiant ampliùs nullæ: crystallos omnes collectas altera instituta crystallisatione ab adhærente Acido purifica, & super chartam bibulam sicca.

Superstes lixivium continet *Sal mirabile Glauberi* ex Acido Vitrioli atque Boracis basi (Alkali fossili) concretum, quod ulteriori evaporatione inde obtinetur.

Non solummodo Acidum Vitrioli, verùm quodvis Acidum, sive minerale, sive vegetabile, Sal sedativum e Borace separat; ea tamen lege, ut, quodcumque assumatur

Acidum, id paululum abundet, ac inde lixivio conciliet proprietates acidas: alioquin Sal ſedativum cum Sale neutro, quod ultimò acquiritur, & pro diverſo adhibito Acido variat, promiſcuè cryſtalliſatur.

Conſtat experimentis cl. EXSCHAQUET & STRUVE, quibus ſalis ſedativi analyſim debemus, illud ſiſtere combinationem Acidi phoſphorici cum Terra vitreſcibili.

SAL SEDATIVUM SUBLIMATUM.

Rec. Salis ſedativi cryſtalliſati . . . . . unc. tres: immitte in Cucurbitam vitream humilem in Balneo arenæ collocatam, & affunde

Aquæ puræ . . . . tantumdem: impoſito Capitello, ei adjuncto Excipulo, commiſſuriſque luto communi obſtipatis, fiat deſtillatio igne gradatim aucto ad ſiccitatem: tranſit primò Aqua ſola; dein cum ultima Aquæ portione ſublimatur pars Salis ſedativi exiguarum cryſtallorum forma: ceſſante ſublimatione, frigeſcat apparatus, Sal ſublimatum exime, Aquam deſtillatione obtentam reſiduo denuo affunde, atque deſtillationem repete: ſublimabitur Sal ſedativum, ùt priùs: perge eadem lege, donec nihil ampliùs elevatur.

Sal ſedativus ſolus igni expoſitus fixum ſe præbet: fit hìc volatile intermedio Aquæ: ubi enim hæc omnis aſcendit, nihil ampliùs ſublimatur: ea quæ prodiit igitur denuo affunditur, ut ſublimatio continuetur; cùm verò, quotieſcumque nova inſtituitur ſublimatio, expectandum ſit, donec

apparatus refrixerit, antequam possit Aqua denuo affundi, operatio valde tædiosa evadit: hanc ob causam monitu cl. BAUMÉ præserri meretur Cucurbita ex Argento cupellato conflata, qua operatio multùm abreviatur.

Sublimatum hoc Sal ab eo per crystallisationem parato non differt, nisi paulò majori levitate.

In febribus inordinatos sanguinis motus compescere, delirium avertere, & antispasmodicas vires habere passim creditur. Aliqui a granis duobus ad decem id præstare; alii magnam dosim, etiam dragmæ, ad id requiri contendunt. Ex hoc solo facilè concludi potest ejus vires necdum satis probatas esse.

SPIRITUS MINDERERI.

Rec. Salis volatilis Salis ammoniaci . . . quant. vis: in vas vitreum capax immisso affunde, vas subinde agitando, Acetum destillatum, donec effervescentia cesset: liquor dein Balneo arenæ calefiat, ut intimior fiat combinatio, & rursum instilla aliquot guttas Aceti destillati, attendendo an adhuc fiat effervescentia, quæ si obtineat, perge instillare, donec ea cesset; quo peracto, liquor filtretur, & in vitro epistomio vitreo instructo servetur.

Antisepticum, penetrantissimum aperiens & tutum sudoriferum est, quod, cum calorem non intendat, etiam in febribus sine periculo exhiberi potest. Dosis est uncia dimidia, etiam pluries de die.

Externè, tamquam præſtans & penetrans reſolvens, ad tumores frigidos & ſarcocele laudatur.

TARTARUS TARTARISATUS, ſive TARTARUS SOLUBILIS. tartris potassæ

Rec. Salis Tartari . . . . quant. vis: immitte in vas figulinum; diſſolvatur in duodecuplo Aquæ puræ, & ebullienti diſſolutioni injiciatur Cremor Tartari tenuiſſimè pulveriſatus ad punctum ſaturationis: lixivium dein filtratum leni calore ad ſiccitatem evapora, & obtentam maſſam ſalinam in vaſe vitreo probè obturato ſerva.

Viribus a Sale polychreſto ſolubile vix differt.

TARTARUS VITRIOLATUS.

Rec. Salis Tartari . . . . quant. placet: diſſolve in ſufficienti quantitate Aquæ ferventis, & inſtilla Spiritum Vitrioli ad punctum ſaturationis; ſcilicet, donec ab inſtillata gutta nulla ampliùs exoriatur efferveſcentia: lixivium dein filtratum vaporet ad pelliculam, & ad cryſtalliſandum reponatur.

Vires Salis mirabilis Glauberi poſſidet.

TERRA FOLIATA TARTARI.

Rec. Olei Tartari per deliquium . . quant. volueris: immitte in Receptaculum vitreum capax, & affunde, vas ſæpè concutiendo, Acetum deſtillatum ad ſaturationis

punctum, quod obtinueris, si Syrupus Violarum Aqua dilutus ab instillato lixivio non ampliùs tingatur virore, sed cœruleus persstet: lixivium tum filtra, ac vaporet e concha vitrea vel figulina non vitreata ad remanentiam unius tertiæ: lixivium tum denuo Syrupo violarum explora, an etiamnum saturatum sit: sin minùs, perge instillare Acetum destillatum ad perfectam saturationem; qua obtenta, vaporet leni calore ad siccitatem: supererit massa salina alba Aquæ avidissima, quam calentem adhuc vase vitreo calefactato priùs, optimè obturando conde.

Sæpè evenit, ut lixivium sub evaporatione fuscum colorem induat, & Terra foliata consequenter plùs minùs nigricans obtineatur, quod maximè fit ab actione Alkali in Aceti destillati partem oleosam, quæ sub progressa Aceti destillatione unà cum eo ascendit: hinc, ut Terra foliata constanter alba acquiratur, illa tantùm pars Aceti, quæ sub destillatione primò prodit, assumatur, & Alkali purissimum adhibeatur.

Si loco Aceti destillati recipiatur Acetum Vini simplex, obtinetur *Terra Foliata Tartari minùs laboriosa*: si autem lixivium Salis Sodæ cum Aceto destillato saturetur, ac crystallisationi submittatur, consequimur *Terram foliatam crystallisatam*, seu *siccam*.

Mitissimum, efficacissimum resolvens & aperiens est, quod ordinariò in nimis parca dosi præscribitur. Sal Tartari, sufficienti quantitate Aceti saturatum, sine evaporatione aut

ulteriori labore, non minùs efficax est. Ad dragmas aliquot exhibitum felicissimè per alvum, vel diuresim operatur.

SALIA BASI METALLICA.

BUTYRUM ANTIMONII, five CAUSTICUM ANTIMONIALE.

Rec. Reguli Antimonii . . . . unc. sex,
Mercurii sublimati corrosivi . . . unc. sexdecim:
seorsim pulverisata misceantur exactè in mortario vitreo cavendo ab exhalante vapore, & immittantur retortæ siccissimæ, breviori atque ampliori instructæ collo, triplumque continendo capaci, respectu materiæ: retortam tum pone in furno arenæ, applica recipiens perforatum, & commissuras pasta ex calce & argilla Aqua subactis firma: fiat dein destillatio, ignem prudenter per gradus augendo, donec Butyri prodit ampliùs nihil: refrigeratis omnibus, aufer Excipulum; idque admove igni, ut liquescat Butyrum: dein effunde in concham vitream: frigore denuo concrescet: concretum in frusta seca, ac vase vitreo optimè claudendo conde.

Ferè sit, ut inter destillandum Butyrum Antimonii concrescat in collo retortæ, eo in casu, ne id obstruat, unde vasorum displosio necessariò exoriretur, collo admoveantur cautè prunæ candentes, ut Butyrum liquescat, & in recipiens defluat.

Excipuli foramen identidem aperiatur; verùm caveas ne vapor summè corrosivus, qui tum erumpit, ad pulmones perveniat: eadem utere circumspectione, dum Butyrum Antimonii e receptaculo effundis.

Acidum Salis in hac operatione deserit Mercurium, ac sese combinans cum Regulo Antimonii constituit Antimonii Butyrum, Sal metallicum, facilè deliquescens. Remanet in Retorta Mercurius cum parva quantitate adhibiti Reguli, linteo expeditè ab eo separabilis.

Si loco Reguli assumatur Antimonium crudum, ejusque pars una cum partibus duabus Sublimati corrosivi eodem modo tractatur, præter Butyrum Antimonii, nascitur sub finem operationis è combinatione Mercurii cum Sulphure, quod alteram partem Antimonii constituit & a vulgari non differt, *Cinnabaris, Antimonii* dicta.

Butyrum Antimonii in aëre libero deliquium passum *Oleum Antimonii* audit.

Causticum est potentissimum, quod a Chirurgis ad delendum callos ulcerum, ad cariei limites ponendum, & ad venenum hydrophobicum cum ipsa demorsa parte destruendum optimè adhibetur. Ope penicilli illinitum & illico lacte ablutum ab aliquibus laudatur ad corneæ staphylomata.

Internè assumptum promptissimum venenum est, quod alcalinis & tutissimè sapone cicuratur.

CRYSTALLI

CRYSTALLI LUNÆ.

Rec. Argenti cupellati in tenues laminas extenſi & conſciſſi . . . . unc. unam:
immitte in cucurbitam vitream humilem, & affunde
Spiritus Nitri . . . . unc. duas:
cucurbita in Balneo arenæ collocata, fiat leni calore diſſolutio, qua obtenta, frigeſcant omnia; concreſcent cryſtalli, quas decantatione ſepara: cryſtalliſationem dein, evaporando liquorem, repete, donec omnes cryſtallos exhauſeris.

Argentum cupellatum rite paratum dat diſſolutionem excolorem; ſi verò Cuprum contineat, diſſolutio plùs minùs in cœruleum vergit.

Sit Spiritus Nitri puriſſimus, ne fiat Argenti præcipitatio: vid. animadv. in Spiritus Nitri deſtillationem.

Pro viribus vide infra, Lapis Infernalis.

EXTRACTUM SATURNI, ſive ACETUM LITHARGYRI.

Rec. Ceruſſæ pulveriſatæ . . . . libr. unam:
immitte in Cucurbitam vitream, & affunde
Aceti deſtillati . . . . pint. quatuor:
repone Cucurbitam in Balneo arenæ, & coque modico calore, bacillo ligneo ſæpius agitando, ad medias: liquorem dein filtra & in lagena vitrea aſſerva.

Loco Cerussæ ad hanc præparationem recipi potest Lithargyrum, vel Minium: si verò adhibeatur Cerussa commercii, eligatur in laminis, ea scilicet, quæ vulgò *Schulp-Wit* appellatur, quippe quæ purissima est.

Aqua vegeto-mineralis exsurgit, si Aceti Saturni uncia una atque Spiritus Vini gallici unciæ duæ misceantur cum Aquæ puræ pintis duabus. Decomponitur Extractum Saturni ab omni Sale vitriolico: hinc si, ùt fieri solet, ad Aquam vegeto-mineralem recipitur Aqua putealis, quæ nonnumquam Seleniten continet, fit, ratione selenitici Salis copiæ, Vitriolum Plumbi, quod sensim fundum petens liquorem reddit lacteum: si verò Aqua fuerit pura, liquor erit excolor.

Extractum Saturni internè assumptum, ùt reliqua Plumbi præparata, diros & venenatos effectus edit. Externè adstringit, repercutit. D. GOULARD, *qui hoc præparatum præsertim celebre reddidit, candelas ex eodem & cera factas adversùs incurabilia alioquin uretræ vitia commendat.*

Multa Aqua dilutum, ùt in Aqua vegeto-minerali, *tamquam tutum & præstantissimum antiphlogisticum a Chirurgis adhibetur.*

LAPIS INFERNALIS.

Rec. Crystallorum Lunæ . . . . . . quant. placet: mitte in Crucibulum e materia terrea, vel ex Argento cupellato confectum, & leni calore funde: materies primò

tumet, vaporat, dein fusionem tranquillam subit: tum effunde in modulos ferreos cylindricos sebo illitos; frigore concretam massam exime & vase clauso asserva.

Fit Lapis infernalis æquè bonus, ubi argenti dissolutio in concha vitrea ad siccitatem evaporatur, atque dein massa superstes sicut Crystalli Lunæ tractatur.

Quum terrea Crucibula valde porosa sint, & hinc multum materiæ imbibant, argenteum Crucibulum utique præferri meretur.

Causticum est efficacissimum, & tamquam tale multùm Chirurgis in usu. Adhibetur præsertim ad carnes luxuriantes, spongiosas, & ulcerum callum absumendum: nævos, verrucas aliosque tumores, qui ob loci difficultatem cultro auferri nequeunt, eradicandum; virus venereum, hydrophobicum cum ipsa parte, in qua hæret, destruendum; abscessus vel lentè suppurantes, vel in hominibus ferrum abhorrentibus aperiendum &c. Cum Aquæ avidissimus sit & ab ea solvatur, difficulter intra præscriptos limites tenetur.

Multa Aqua dilutus ulcera exsiccat, & laxas partes roborat: ut etiam in hos fines in fistula lacrymali per puncta lacrymalia injiciatur.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

Rec. Spiritus Nitri . . . . unc. quinque:
in iis dissolve
Mercurii puri . . . . unc. quatuor,

vel quantum ſufficit ad Spiritus Nitri ſaturationem: diſſolutioni inſtilla muriam ex Salis marini parte una in ſeptem octove partibus Aquæ factam, donec ceſſet præcipitatio: tum quieſcat aliquamdiu vas, ut excuſſus pulvis fundum petat: ſupernatantem dein limpidum liquorem decanta, præcipitatum Aqua pura frigida multoties ablue, & ſuper linteum denſum in umbra ſicca.

Quamprimum binæ diſſolutiones commiſcentur, Acidum Salis adgreditur Mercurium, quocum majorem affinitatem habet, quam Acidum Nitri, ſicque naſcitur Sal parum ſolubile, quod hinc forma præcipitati excutitur: Acidum Nitri verò ſe combinans cum Alkali minerali, baſi Salis marini, conſtituit Nitrum cubicum.

Quamvis omnis Mercurius in hac operatione ſeparetur ab Acido Nitri, non ex toto tamen præcipitatur; ſed pars ejus Acido Salis unita in liquore præcipitato ſupernatante unà cum Nitro cubico diſſoluta hæret, atque ex eo, per evaporationem concentratiori reddito, Salis alkalini adfuſione dejici poterit.

Alia & valde uſitata Præcipitatum album parandi methodus hæc eſt: recipiuntur Salis ammoniaci, & Mercurii ſublimati corroſivi ana partes æquales, diſſolvuntur in Aqua deſtillata, & diſſolutio filtratur per chartam emporeticam: fit dein præcipitatio Oleo Tartari per deliquium, & ad fundum dejectus pulvis eluitur tamdiu, donec planè inſipidus evaſerit. Monendum circa hanc præparationem, quod,

ſi plus alkalini Salis, quam ad Mercurii excuſſionem neceſſarium eſt, adhibetur, Præcipitatum flaveſcat: obſervatio verò maximè eſſentialis in præparatione Mercurii præcipitati albi per additionem muriæ Salis in eo verſatur, ut Acidum Nitri Mercurio eatenus ſit ſaturatum, ut ejus nihil ampliùs diſſolvere queat.

Ex mox paulò inferiùs dicendis patebit, hoc præparatum eſſe ſpeciem Mercurii dulcis. Internè tamen vix præſcribitur: externè cum axungia in Unguentum redactum commendatur ad ſcabiem, ad carnes ſpongioſas abſumendum, & ulcera exſiccandum.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

Rec. Vitrioli Mercurii,

Salis marini ſiccati . . . . ana part. æquales:

in mortario vitreo pulveriſata & mixta immittantur in matratium brevi collo inſtructum, tantæ capacitatis, ut duæ tertiæ vacuæ remaneant; idque tunc repone in furno arenæ ita, ut cavum ollæ ferreæ ferè tangat, & circumponatur illi arena ad altitudinem ſuperficiei materiæ contentæ: tum, collo matratii convoluta charta clauſo, inſtituatur ſublimatio igne primò leni, dein ſenſim augendo, donec tandem olla ferrea rubeſcat ab igne: continuetur talis ignis per tres circiter horas, quo tempore omnis Mercurius elevabitur: vitrum refrigeratum diſſringatur, & Mercurius ſublimatus exemtus in vaſe ſicco adſervetur.

Methodus hæc facillima præparandi ſublimatum corroſivum primò propoſita eſt a cl. BOULDUC in *Mem. de l'Acad. des Sc. de Paris*, *ann.* 1730. *pag.* 359., & ſecundùm cl. DEMACHY nunc apud Hollandos, atque Anglos, qui id majori quantitate præparant, reliquis methodis præfertur.

Acidum Vitrioli in hac operatione excutit Acidum Salis communis, ſeque combinans cum ejus baſi conſtituit Sal mirabile GLAUBERI, quod poſt operationem in fundo matratii invenitur: Acidum Salis verò aſcendit cum Mercurio, & concreſcit in ſublimatum corroſivum, in quo Acidum Salis ita abundat, ut adhuc tres quartas Mercurii ad ſaturationem poſtulet.

Si reſiduum fortè aliquid Mercurii contineat, id ſeparetur inſtillando guttatim reſidui diſſolutioni Oleum Tartari per deliquium, donec præcipitatio ceſſet, & liquor accuratè filtretur antequam ad cryſtalliſandum reponatur.

In majori copia aſſumptus promptiſſimum corrodens venenum eſt, cui, præter generalia, Alkalina & omnium tutiſſimè multa ſolutio Saponis, tamquam Antidota, opponi debent. In parca doſi adversùs luem veneream obſtinatiſſimoſque morbos cutaneos optima medicina eſt, cujus uſum jam a ſæculis tentatum & ab ipſo magno BOERHAVIO *commendatum, neglectum tamen, celeb.* BARO VAN SWIETEN *denuo reduxit, & ferè univerſalem reddidit. Cl. hic vir grana duodecim hujus Medicamenti in libris duabus Spiritus frumenti ſoluta præſcribebat, & quotidie ægris unum, duo, vel*

tria coclearia, ſingula vice uncias aliquot decocti emollientis ſuperbibendo, exhibebat. Hæc præparatio multis nauſeoſa eſt, & in ea particulæ rodentiſſimi veneni fortè minus bene dilutæ. Meliùs paſſim fertur, & tutior videtur dilutiſſima ſolutio aquoſa. Granum V. G. dimidium ſublimati in libra Aquæ deſtillatæ ſolvitur, & ſolutio Syrupo amygdalino edulcorata quotidie exhibetur. Doſis hæc, prout res exigit, & æger fert, augeri poteſt. Hæc, ùt omnis luem veneream curandi, methodus ſæpe fallit; quandoque ſola medetur. In morbos pectoris proni, ùt & illi, quibus valde ſenſiles nervi ſunt, eam minùs bene ferunt.

Sublimatus corroſivus externè a Chirurgis quandoque tamquam cauſticum adhibetur: ſed & ſic diras egiſſe tragœdias hinc indè apud Obſervatores legitur. Ulcera venerea mali moris forti ſolutione V. G. granorum duorum in unciis tribus vel quatuor Aquæ bene lavantur. Granum unum in Aquæ deſtillatæ libris duabus vel tribus ſolutum ſummo cum fructu in gonnorrhœa & fluore albo urethræ & vaginæ injicitur. Tutum præterea & præſtantiſſimum eſt coſmeticum, quod in herpete & tinea mira quandoque præſtat, ac omni ulceri, omni tumori venereo imponi poteſt.

MERCURIUS SUBLIMATUS DULCIS, VULGÒ MERCURIUS DULCIS, AQUILA ALBA, CALOMELAS, ſeu PANACEA MERCURIALIS.

Rec. Mercurii ſublimati corroſivi . . . . unc. octo,
- - - - - vivi depurati . . . . unc. ſex:

ambo, adjecta drachma una ſemis Aquæ puræ, terantur in mortario vitreo, donec pulverem gryſeum exhibeant, ac Mercurius non ampliùs appareat: peragatur tum ſublimatio eadem lege, ùt in præcedenti proceſſu: confracto dein matratio, Mercurium ſublimatum dulcem exime, & ſuper porphyritem in pulverem ſubtilem redige: immitte tum in pelvim ſigulinam non vitreatam; Aqua bulliente, quæ Sal ammoniacum ratione duarum drachmarum ad pintam diſſolutum tenet, pluries ablue, & tandem, omni decantato liquore, pulverem ſuper linteum denſum ſicca.

Aqua miſcelæ adjecta Mercurii extinctionem accelerat, & nocivi pulveris ſublimati corroſivi aſcenſum impedit.

Abundans in ſublimato corroſivo Acidum Salis Mercurio perſectè ſaturare operationis ſcopus eſt: ea, quam præſcripſimus, Mercurii quantitas in hunc finem ſufficit: ſi plus aſſumatur, id poſt operationem Mercurio dulci incruſtatum reperitur, ac difficulter inde ſeparatur: attamen ſublimatum dulce, quamvis hæc juſta adhibita ſit Mercurii quantitas, ſemper continet aliquid ſublimati corroſivi, neque ab eo reiteratis, quas omnes præſcribunt Pharmacopœæ, ſublimationibus liberatur: quin imò cl. MUSSCHENBROEKIUS obſervavit Mercurii dulcis gravitatem ſpecificam poſt quamvis ſublimationem decreſcere; quod phœnomenon ſublimati corroſivi incremento attribuendum videtur: conſtat enim experimentis cl. BAUMÉ, Mercurium dulcem quaque ſublimatione partim decomponi volatiliſatione portionis Mercurii,
&

& ratione dissipati Mercurii generari sublimatum corrosivum: ita ut Mercurius dulcis duodecies sublimatus, qui tunc *Panacea Mercurialis* audit, non rarò plus sublimati corrosivi contineat, quam is prima sublimatione obtentus: id circo statuit cl. Auctor, unicam sublimationem sufficere, si sublimatum dein eo, quem præscripsimus, modo abluitur: Aqua enim omne sublimatum corrosivum aufert: sublimatum dulce verò, siquidem Aquæ bullientis unciæ quatuor ejus granum unum tantùm dissolvunt, ferè intactum relinquit: Sal ammoniacum, quod Aquæ additur, sublimati corrosivi dissolubilitatem auget, & impedit, quominus Mercurius dulcis flavescat. Ex dictis videtur concludi posse, *sublimatum dulce, Calomel*, quo nomine notatur Mercurius dulcis sexies sublimatus, nec non *Panaceam Mercurialem* unum idemque præparatum constituere, si modò exacta instituta sit ablutio.

Ad grana decem vel quindecim exhibitus purgans, antihelminticum est, quod etiam quandoque vomitum producit. Ad grana duo, tria, quatuor quotidie & per aliquot septimanas assumptus potentissimè resolvit, luem veneream curat, & omnes Mercurii virtutes ac noxas habet; ut sæpe post aliquot dierum usum etiam salivationem excitet.

Cl. Clare *Chirurgus anglus, non sine ratione suspicatus vasa lymphatica, sola resorbtionis organa, nullibi in majori quantitate patere, & promptiùs officio suo fungi, quam in ore, æsophago, stomacho & intestinis tenuibus, nuper novam & facilem methodum hoc medicamentum adhibendi, & eodem*

luem veneream curandi excogitavit : ægrum ſcilicet grana duo, tria, quatuor & etiam plura oris internæ ſuperficiei digito aſſricare, idque, donec omnia luis ſymptomata diſparerent, vel ſalivatio pauliſper deſiſtere ſuaderet, quotidie repetere juſſit. Plures Medicos anglos, inter quos celeberrimus HUNTERUS *eminet, feliciſſimarum ſanationum teſtes & inventi approbatores adducit. Ob majorem diviſionem in hunc uſum ſequens præparatum preferri debere videtur.*

MERCURIUS DULCIS, ſive CALOMELAS SCHEELE, vel MERCURIUS DULCIS VIA HUMIDA PARATUS.

Rec. Spiritus Nitri puri,
Mercurii depurati . . . . ana unc. ſex:
immittantur in matratium longo collo, convoluta charta claudendo, inſtructum, & exponantur in Balneo arenæ leni calori, donec ceſſet efferveſcentia: ignis tum adeò intendatur, ut diſſolutio ferè ebulliat: perge hoc ignis gradu per tres vel quatuor horas matratium ſubinde agitando; diſſolvetur adhuc notabilis Mercurii copia; nulla tamen ampliùs obſervabitur efferveſcentia, quum jam non decomponatur Mercurius, ſed integer ab Acido Nitri arripiatur: deinde per quadrantem horæ ebulliat: tum præſto ſit ebulliens diſſolutio ex unciis quatuor ſemis Salis communis cryſtalliſatione depurati in tribus quatuorve pintis Aquæ puræ facta: huic in cucurbitam vitream, calefactam priùs, immiſſæ ſub aſſidua agitatione ſenſim infundatur ebulliens diſſolutio mercurialis, ſic, ut indiſſo-

lutus Mercurius in matratio remaneat: fiet præcipitatio colore lacteo: ubi omne præcipitatum ſubſederit, ſupernatantem liquorem decanta, & Aqua calida præcipitatum ſæpius ablue; donec tandem affuſa Aqua inſipida perſtet, qua decantata, præcipitatum ſuper chartam bibulam leni calore ſicca.

Mercurius hic dulcis, uti is qui ſublimatione obtinetur, Acidum Salis Mercuriali calce & Mercurio ſub forma metallica ſaturatum exhibet: ùt ille, inſipidus eſt, & vel in Aqua calcis, vel in Lixivio cauſtico nigro colore tingitur: hinc differt a *præcipitato albo:* hoc enim in dictis reagentibus flaveſcit, quia non continet Mercurium ſub forma metallica; ſed Acidum Salis in eo ſolummodo calci Mercurii junctum eſt. Cæterùm Calomelas SCHEELE Mercurium dulcem ſublimatum, etiam probè trituratum, partium diviſione multùm antecellit.

SAL, vel VITRIOLUM MARTIS.

Rec. Spiritus Vitrioli . . . . quant. vis: committe cucurbitæ vitreæ, & injice limaturæ Ferri non rubiginoſæ, nec particulis cupreis inquinatæ aliquam portiunculam: fiet effervefcentia; ferrum diſſolvetur: diſſolutione peracta, denuo limaturæ Ferri quid injiciatur, ſicque pergatur, donec Ferri injecta pars in fundo vaſis indiſſoluta remanet: lixivium tum filtra; evapora ad cuticulam, atque ad cryſtalliſandum repone.

Limatura Zinci eodem modo cum Spiritu Vitrioli tractata exhibet *Vitriolum album*, ſeu *Zinci.*

Sal Martis in catino ferreo vel figulino igni moderato expositum liquescit, fervescit, aquam crystallisationis, quæ plus quam dimidium ejus ponderis constituit, sensim amittit, & tandem abit in massam solidam e griseo albam, quæ *Vitrioli ad albedinem calcinati* nomine venit.

Vires vide pag. 216.

SAL, sive SACCHARUM SATURNI.

Rec. Aceti Saturni . . . . quant. placet: vaporet in vase vitreo vel argenteo ad consistentiam Syrupi liquidioris: liquor tum filtretur: frigore concrescent crystalli, quas super chartam emporeticam sicca: evaporationem & crystallisationem repete, donec crystalli fiant ampliùs nullæ.

Ad pauca grana quotidie assumptum potentissimè adstringit, & ob hanc vim a quibusdam adversùs hæmorrhagias, fluorem album, gonnorrhœam chronicam, sudores colliquativos &c. commendatum est: sed, ut alia saturnina, semper suspectum medicamentum sistit. A granis duobus quotidie per aliquot dies sumptis omnia colicæ pictonum symptomata producta vidimus. Nec omnino tutæ videntur saturatiores injectiones in urethram vel vaginam.

Externè adstringit, repercutit. Multâ Aquâ dilutum ab Aqua vegeto-minerali *vix differt & antiphlogisticum, cosmeticum est.*

TARTARUS EMETICUS, five TARTARUS STIBIATUS.

Rec. Vitri Antimonii pellucidi in pulverem tenuiffimum triti,
Cremoris Tartari pulverifati . . ana part. æquales:
mixta in Aquam bullientem vafe figulino non vitreato five argenteo contentam partitis vicibus injice: omni injecto pulvere, protrahatur ebullitio, donec nulla ampliùs, accedente agitatione fpatula lignea, fiat efferveſcentia: liquorem dein filtra, evapora ad pelliculam, & ad cryftallifandum repone: evaporationem & cryftallifationem repete, donec lixivium cryftallis exhauftum fit.

Acidum Tartari hìc ad faturationem ufque combinatur cum Antimonii Vitro, quod partem ejus metallicam fiftit phlogiftò fuo partim orbatam; ficque acquirimus emeticum antimoniale fub ftatu falino; hinc non obnoxium incommodis, quæ oriri folent ab emeticis antimonialibus non folubilibus.

Cùm faturationis punctum ex plenaria efferveſcentiæ cesfatione facilè determinetur, patet, longiorem decoctionem, quam quidam ad duodecim horas protrahi volunt, planè inutilem effe.

Variant codices medicamentarii circa hujus præparati bafim: hi volunt decoctionem Tartari cum Antimonii Hepate, alii cum ejus Vitro, alii denuo & Vitrum & Hepar fimul adhibendum præcipiunt: quum verò inter illa Vitrum & emeticum maximè & ab Acido Tartari facillimè folubile fit, utique præferri meretur.

Remanet in filtro parva quantitas materiæ sulphureæ mixta cum illa parte Vitri Antimonii, quæ dissolutionem non subiit.

Decomponitur Tartarus emeticus ab omni substantia metallica, quæ majorem cum Acido Tartari habet affinitatem, & præsertim a Ferro: hinc instrumenta ex eo metallo confecta ab hoc opere excludenda: decomponitur quoque ab Aqua non exquisitè pura: quin imò cl. MACQUER existimat, eum decomponi ab Aqua purissima, si ea calida & magna copia, ut usui medico plerumque præscribitur, adhibetur: eo in casu a præcipitata terra metallica eædem, quæ a Vitro, aliove quocumque præparato Antimonii emetico & non dissolubili, expectandæ noxæ: hæc tamen decompositio, ait cl. Vir, evitatur Cremore Tartari, si modo ejus pugillus Aquæ Tartari emetici dissolutioni destinatæ adjicitur.

Titulus vires exprimit: ad grana scilicet quatuor, quinque, sex exhibitum, emeticum est efficacissimum, quod partim etiam per alvum solet agere. In refractis dosibus, V. G. quartæ partis grani, omni trihorio vel quadrihorio repetitis, optimum alterans est, quod plerumque per sudores agit, & laxum, debilem, obrutum pulmonem ad expectorandum excitat. Stimuli gratia in multis casibus grana aliquot enematibus adduntur, & in eumdem scopum granum unum alterumve radici Ipecacuanhæ solet adjici.

TINCTURA MARTIS ACETOSA, five ACETUM CHALYBEATUM.

Rec. Limaturæ Ferri non rubiginofæ, puriffimæ . unc. duas: immitte in vas vitreum, & affunde

Aceti Vini . . . . pint. unam: digere leni calore, donec Ferro faturatum fit Acetum, quod tum ex fufco rubrum induerit colorem: dein per chartam bibulam filtra, & adjecta uncia una Alkoholis Vini, in vitro bene claufo afferva.

Admixtum Alkohol mucorem arcet.

Ferri limatura, quæ ab artificibus id metallum tractantibus comparatur, plerumque cupreas particulas intermixtas habet: hinc eam ipfe ex Ferro puriffimo præpara.

Calx Ferri, quæ in filtro remanet, abluta, ficcata, ac lævigata *Crocum Martis* exhibet.

Hoc, ut & fequens, præparatum a ferro vires habet. Vide page 75. Maximè debilibus præfertim conveniunt. Dofis guttæ quadraginta, fexaginta & ultra.

TINCTURA MARTIS TARTARISATA.

Rec. Cremoris Tartari pulverifati. . . unc. fexdecim,

Limaturæ Ferri puræ non rubiginofæ . unc. fex: fiat cum fufficienti quantitate Aquæ pluvialis maffa, quam viginti quatuor horas repone: dein, additis Aquæ pluvialis pintis duodecim, ebulliant per plures horas in olla

ferrea, identidem agitando, & evaporatæ Aquæ bullientem subſtituendo; quo peracto, liquorem filtra, & evapora ad Conſiſtentiam Syrupi liquidioris: tum adde Spiritus Vini rectificati unciam unam, ut arceatur mucor, & in vaſe vitreo aſſerva.

VITRIOLUM CŒRULEUM, ſive VENERIS.

Rec. Cupri in tenues lamellas extenſi ſive ejus limaturæ . . . . libr. unam:
injice in cucurbitam vitream, & aſſunde
Olei Vitrioli rectificati . . . . . . libr. tres:
tum repone cucurbitam in Balneo arenæ, & fiat diſſolutio eo ignis gradu, quo acidum vitrioli ferè ebulliat: diſſolutione peracta, adde ſufficientem quantitatem Aquæ calidæ, ut natæ in diſſolutione cryſtalli, quæ nigricantis ſedimenti forma apparent, diſſolvantur: liquorem dein filtra, evapora ad pelliculam, atque ad cryſtalliſandum repone.

Vires vide pag. 216.

VITRIOLUM MERCURII.

Rec. Mercurii vivi depurati. . . . . . unc. octo:
immitte in retortam vitream, & aſſunde
Acidi Vitrioli concentrati . . . . unc. duodecim:
retortam repone in Balneo arenæ, adjunge receptaculum, atque commiſſuram chartæ fruſtis, quibus paſta farinacea illita eſt, obſtipa: dein fiat deſtillatio igne gradatim aucto, donec prodit ampliùs nihil: pars Acidi Vitrioli ſub forma vaporis

vaporis albi transit in excipulum, & Acidum Vitrioli sulphureum exhibet; pars altera cum Mercurio concrescit in massam salinam Vitriolum Mercurii constituens, quod, confracta retorta, eximatur, & in vase vitreo probè obturato asservetur.

Causticum est, quod ad usus medicos non præscribitur. Ejus usum chemicum vide supra pag. 373.

APPENDIX.

CUPRUM AMMONIACUM.

Rec. Vitrioli Cœrulei . . . . unc. unam: dissolve in sufficienti quantitate Aquæ bullientis, & instilla Spiritum Salis ammoniaci tartarisatum: fiet cupri præcipitatio: perge instillare, donec omne præcipitatum denuo solutum sit in liquorem cyaneum: tum filtra per chartam emporeticam, & evapora Balneo maris ad siccitatem: cyanei coloris crusta dein in pulverem trita in lagena vitrea obturaculo vitreo munita servetur.

Constat hoc præparatum Cupro, Vitrioli cœrulei basim constituente, parvæ quantitati Alkali volatilis juncto, unde ejus color cyaneus dependet, & Vitriolo Ammoniacali ex Alkali volatilis combinatione cum Acido Vitrioli exorto: superfluum verò Alkali volatile evaporatione unà cum Aqua in auras dissipatur.

Hoc medicamentum, quod ab aliquibus celeb. Boylii Ens Veneris *fuisse creditur, a* Tinctura Cœrulea Boerhavii

vix differt. Laudatur tamquam tonicum efficaciſſimum, & tamquam tale ab aliquibus annis adversùs epilepſiam commendari cœpit. Non deſunt obſervationes, quibus hæc virtus ſtabiliatur : in Comment. Medic. Edinburg. Vol. VII. *hunc morbum ac dyſphagiam ſpaſmodicam ſuſtuliſſe, & in* Caſibus Medicis *celeb.* DUNCAN *convulſiones præterea curaſſe legitur. Uni e quatuor epilepticis, in quibus celeb.* HOME *hoc remedium tentavit, dirus morbus ſublatus videbatur, ut etiam e noſocomio dimitteretur. Clar. Vir de tam modico ſucceſſu videtur conqueri ; nos ex eo pro Remedii efficacia concludimus.*

Præſcribitur ad granum dimidium manè & veſperi cum mica panis in Pilulam ſubactum, & ſenſim augetur doſis. In paulò majori, ut omnia Cupri præparata, promptè emeſim excitat ; ut etiam aliqui nullatenus ferre valeant.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.

Rec. Salis ammoniaci ſicci pulveriſati . unc. ſexdecim.
Limaturæ Ferri porphyriſatæ . non rubiginoſæ . . . . unc. unam:

mixta immitte cucurbitæ terreæ, eam repone in furno appropriato, & capitellum cæcum luto communi farinaceo agglutina: fiat tum ſublimatio igne tam intenſo, ut cucurbitæ fundus ferè rubeſcat ab igne : pergatur tali ignis gradu per quinque vel ſex horas: dein frigeſcant omnia; ſublimatos Flores exime, & in vaſe vitreo optimè clauſo aſſerva.

Ferrum ac Calces Ferri Sal ammoniacum decomponunt, & ejus Alkali volatile extricant: dum verò metallum illud tam exigua, ùt hìc præſcribitur, quantitate adhibetur, elevatur ferè omne Sal ammoniacum immutatum cum adhibiti Ferri portione, quæ huic Sali colorem citrinum conciliat: reſiduum, quod compoſitum e Ferro & Acido Salis conſtituit, aëri humido expoſitum deliqueſcit, & *Olei Martis* nomine venit.

Incidunt, reſolvunt, roborant. Doſis a ſcrupulo ad dragmam.

LAPIS DIVINUS, ſive OPHTALMICUS.

Rec. Vitrioli Cœrulei,
Nitri puri,
Aluminis rupei . . . . ana unc. ſex:
mitte in Crucibulum, & igne moderato liqua: dein adde
Camphoræ pulveriſatæ. . . . . drachm. duas:
liquefacta Camphora, effunde ſuper porphyritem parva quantitate Olei Olivarum illitam, & in fruſtula lagena vitrea bene obturata ſervanda ſeca.

Multa Aqua dilutus ad corneæ ulcera laudari ſolet. Drachma una ſoluta in unciis octo Aquæ conſtituit Collyrium Helvetii.

TARTARUS CHALYBEATUS SOLUBILIS.

Rec. Tartari Tartariſati . . . . . . unc. quatuor:
immitte in vas ferreum, vel terreum, & affunde

Tincturæ Martis tartarisatæ . . . unc. sexdecim: vaporent tum leni igne, accedente agitatione spatula ferrea ad siccitatem: concretas massulas pistillo ligneo contere, & Sal perfectè siccum vasi vitreo ritè obturando committe.

Convenit, ubi spissos, lentos humores incidere & laxa, torpida solida roborare fas est. Dosis scrupulus unus pluries de die.

S A P O N E S.

Saponis nomine venit substantia lubrica, mollioris vel solidioris consistentiæ; in Aqua pariter ac Spiritu inflammabili dissolubilis; cum ipsis agitata spumescens; ex Sale & Oleo conflata.

Sapo, qui pro parte salina Alkali recipit, decomponitur a Salibus ammoniacalibus, a quocumque Acido, & ab omni Sale, cujus basis vel terra est, vel substantia metallica.

SAPO ALBUS.

Rec. Sodæ hispanicæ pulverisatæ . . . libr. quatuor,
Calcis vivæ . . . . libr. octo:
bulliant per semi horam in olla ferrea cum sufficienti quantitate Aquæ: lixivium dein filtra, & evapora, donec in lagenula, quæ tantum octo drachmas Aquæ tenet, pendeat drachmas undecim: tum

Rec. Hujus lixivii . . . . libr. duas,
Olei Olivarum optimi fluidi . . . libr. quatuor:
mitte in mortarium marmoreum, & optimè misce agitando

piſtillo ligneo: protrahatur hæc agitatio ex intervallo per plures dies, donec lixivium cum Oleo combinatum ſit: obtentam maſſam immitte in formas ligneas, ibique relinque, donec conſiſtentiam ſatis firmam acquiſiverit: tum repone ſuper tegetem vimineam, ut firmior evadat, odoremque lixivii amittat: Saponem dein ſatis ſiccum pyxidi ligneæ include.

Si loco Olei Olivarum aſſumatur Oleum Amygdalarum, obtinetur *Sapo Amygdalinus*, qui tamen propter rancedinem, quam hoc Oleum citiùs contrahit, priori poſtponendus.

Alkali in hac combinatione cauſticitatem ſuam amittit, atque ita obvolvitur, ut ejus proprietates alkalinæ non ampliùs ſenſibiles ſint: notandum verò, Saponi recenter confecto aliquid adhuc ineſſe cauſtici: hinc ſcopo medico ille ſolummodo adhibeatur Sapo, qui jam menſes aliquot præparatus eſt.

Sapo albus commercii medicamina interna tutò ingredi nequit, quum conficiatur in vaſis cupreis, atque hoc metallo ordinariò inquinatus reperiatur.

Vires vide pag. 178.

SAPO STARKEYANUS, ſive TARTAREUS.

Rec. Salis Tartari ſicciſſimi calefacti . . unc. quatuor: tere ſuper porphyritem addendo per vices

Olei Terebinthinæ . . . . . . unc. duodecim: protrahatur trituratio, donec miſcelæ ſit opiatæ mollioris

conſiſtentia: immitte tum in cucurbitam vitream, eamque repone per tres hebdomades in loco humido: eo temporis intervallo Oleum Terebinthinæ ac Sal Tartari, quæ non combinata erant, a formato Sapone ſecedent: immitte dein omnia in linteum ſatis denſum: Oleum Terebinthinæ cum liquore alkalino illud tranſibunt, remanebit verò abſolutus Sapo, cui per triturationem in mortario marmoreo immiſce Saponis albi unciam unam, & in vitro clauſo aſſerva.

Penetrantiſſimum aperiens, vulnerarium, detergens creditur: commendatur præſertim in morbis viarum urinariarum; ùt etiam adverſùs gonnorrhœam chronicam multis laudibus extollatur. Præter has virtutes ab Authore STARKEY, *Chemico anglo, in Pilulis, quæ ipſi* Polychreſtæ *dicuntur, Opii & Hellebori acrimoniam ſcribitur corrigere. Monet interim cl.* MACQUER *hunc Saponem aliquandiu præparatum ſenſim alterari, & decomponi; hinc infidum Medicamentum ſiſtere. Addit cl. Vir, ſi quid in uſus medicos ab Alkalinis Oleo eſſentiali junctis ſperandum ſit, id meliùs & minori labore, Saponi communi determinatam quantitatem Olei eſſentialis ex tempore addendo, obtineri poſſe. Doſis grana decem, viginti, drachma dimidia.*

Externè non ſine fructu partibus rheumatiſmo frigido affectis affricatur.

PRÆCIPITATA TERREA.

MAGNESIA ALBA, five MAGNESIA ANGLICANA.

Rec. Salis Epſom . . . . quant. vis: diſſolve in ſufficiente quantitate Aquæ bullientis, ſolutionem filtra, & affunde Oleum Tartari per deliquium, donec omnis præcipitatio ceſſet: ſubſideat tum excuſſus pulvis: ſupernatantem liquorem decanta, & præcipitatum iterata affuſione Aquæ calidæ ablue, donec inſipidum evaſerit; dein ſuper chartam bibulam ſive linteum denſum in loco calido ſicca.

Sal epſom ſiſtit Sal terreum conſtans Acido Vitrioli & terra particulari *Magneſia* dicta: Sal Tartari eam excutit, ſe combinans cum Acido Vitrioli, quocum majorem affinitatem habet, & conſtituit Tartarum vitriolatum, quod cryſtalliſatione ex decantatis Aquis obtineri poteſt.

Genuina Magneſia diſſolvitur ab omni Acido: ſi verò terra calcaria adulterata fuerit, non ſolvetur ex toto in Spiritu Vitrioli, ſed remanebit materia gypſea.

Fit *Magneſia Calcinata*, ſi in crucibulo aperto per duas horas igne valido urgeatur: ab Aëre fixo & Aqua, quæ ſeptem duodecimas ejus ponderis efficiunt, ſic liberatur: talis Magneſia abſque efferveſcentia in Acidis diſſolvitur; nullam autem cauſticitatem hac operatione acquirit: hinc maximè

differt a *Magnesia Nitri*, quæ mera terra calcaria est, & ustulatione in Calcem vivam mutatur.

Præ reliquis substantiis terreis cum omnibus Acidis Salem maximè dissolubilem & in majori dosi catharticum constituit: hinc absorbens est præstantissimum, quod quidem per se non purgat; sed quod ad dragmam unam alteramve datum, si Acidum, cui uniri possit, in primis viis invenit, ratione exsurgentis Salis neutri per alvum agit. In minori dosi sub eisdem circumstantiis assumpta ob easdem causas alterantis vires habet. Absente Acido medicamentum iners est.

SUBSTANTIÆ METALLICÆ CUM SULPHURE COMBINATÆ.

ÆTHIOPS MINERALIS.

Rec. Mercurii vivi depurati . . . . . . unc. duas;
Florum Sulphuris . . . . unc. unam:
tere in mortario marmoreo, seu vitreo, donec pulverem nigrum exhibeant, & globuli mercuriales appareant ampliùs nulli.

Laudatur passim in lue venerea, glandulis induratis, scabie aliisque morbis cutaneis: plures tamen celebres Medici dubitant, an secundas vias subintret, & primis non sit inutile pondus: revera pluribus observationibus constat, ad plures dragmas quotidie assumptum nihil in corpore immutasse. Negari tamen nequit, eumdem in multò minori dosi præscriptum

præscriptum quandoque salivationem excitasse: si vim antihelminticam exceperis, omnium mercurialium debilissimum videtur. Datur ad grana decem, scrupulum unum, dragmam dimidiam.

CINNABARIS FACTITIA.

Rec. Florum Sulphuris . . . . . . unc. quatuor: fluant leni calore in ollula fictili non vitreata; adde

Mercurii vivi puri . . . . . . unc. sexdecim, & agita assiduè spatula ferrea, donec fiat Sulphuris inflammatio: tum præsto sit operculum, quo flamma, postquam per horæ minutum duraverit, extinguatur: massam dein pulverisatam immitte in phialam brevi instructam collo, & fiat sublimatio ex arena, ignem per gradus augendo, donec tandem rubescat ab eo phialæ fundus: sublimatione finita frigescant omnia, & Cinnabarim, confracta phiala, exime.

Ad operationis successum requiritur, ut Sulphur inflammetur, priusquam massa committatur phialæ: alioquin enim, cum hæc inflammatio, notante cl. Baumé, semper fiat ad determinatum Sulphuris cum Mercurio combinationis gradum, obtineret ea tempore sublimationis cum ruptura vasis.

Cinnabaris vase clauso ignis actioni exposita elevatur ex integro immutata: hinc repetitæ, quas plerique Auctores commendant, sublimationes superfluæ sunt.

Ejus pulvis, qui in commercio ſub nomine *Vermillon* proſtat, cum ſæpè Minio, Bolo rubra, imò & Auripigmento rubro ſophiſticatus reperiatur, pictoribus relinquatur.

Vires vide pag. 54.

KERMES MINERALE.

Rec. Olei Tartari per deliquium . . . libr. quatuor: ebulliat in olla ferrea cum Aquæ puræ pintis decem, & injiciantur

Antimonii ſubtiliſſimè pulveriſati . unc. duæ ſemis: protrahatur ebullitio per quadrantem horæ ſub continua cum ſpatula ferrea agitatione, & liquorem bullientem per chartam bibulam filtra: fiet præcipitatio ſpontanea Kermetis mineralis, quod, decantato ſupernatante liquore, Aqua primò frigida dein calida edulcora, & ſiccatum in vaſe vitreo aſſerva.

Alkali fixum arripiens Antimonii Sulphur conſtituit Hepar Sulphuris: hoc Antimonii Regulum, cujus pars ſub forma pulveris griſei abſque ulla additione reducenda ollæ ferreæ fundum petit, diſſolvit: naſcitur ſic Hepar Sulphuris antimoniatum: Alkali autem Aquæ bullientis ope plus Sulphuris & Reguli diſſolvit, quam quidem diſſolutum tenere valet in Aqua frigida: hinc liquor frigeſcens turbatur, & præcipitatur ſub forma pulveris rubicundi ſic dictum Kermes minerale, cujus drachma una ſecundum experimenta cl. GEOFFROY continet grana ſexdecim vel ſeptemdecim Reguli Antimonii, grana tredecim vel quatuordecim

Alkali fixi, & grana quadraginta aut quadraginta & unum Sulphuris: Kermetis species, quæ in lixivio superstiti dissoluta manet, inde excutitur quocumque Acido; dein abluta & siccata *Sulphuris aurati Antimonii* nomine venit: differt a Kermete in eo, quod non contineat Alkali, quod sit coloris aurantii, & majori gaudeat dote emetica.

Kermes minerale ritè præparatum cum sufficiente quantitate liquoris alkalini igni expositum totum dissolvitur. Alkohol Vini, quod plures supra illud deflagrare perperam præcipiunt, partem ejus fundit, & in Antimonii speciem reducit.

Vocatur etiam Pulvis Carthusianorum, *quia hi Monachi eumdem a Chirurgo* LA LIGERIE *acceptum aliquot annis in arcanis habuerunt, & primi celebrem reddiderunt. Ad unum, duo, tria grana præscriptum præstantissimum alterans, aperiens, resolvens est, quod pro variis circumstantiis per diaphoresim vel diuresim agit, & laxum, debilem, sputis obrutum pulmonem felicissimè ad expectorationem exstimulat. In majori dosi per emesim vel alvum agit. Perperam cum Acidis præscribitur; nam ab omnibus decomponitur. Sulphur auratum Antimonii easdem ferè vires habet.*

CALCES METALLICÆ.

Calcis metallicæ nomine venit substantia quæcumque metallica Phlogisto plùs minùs orbata.

Obtinentur hæ Calces pluribus modis: ùt calcinatione sive ustulatione in aëre libero, actione Acidorum, detono-

tione cum Nitro &c. quocumque verò modo hæc operatio fiat, ſubſtantia metallica ſub Phlogiſti amiſſione ſecum combinat ambientem aërem, cui incrementum ponderis Calcium metallicarum tribuendum eſt.

Forma earum pulverulenta eſt, color verò pro diverſa adhibita encheireſi & diverſo adminiſtrato ignis gradu variat: omnes ferè Acidis debilibus diſſolvuntur: igni fuſorio expoſitæ in Vitrum confluunt, vel addito Phlogiſto formam metallicam recuperant.

ANTIHECTICUM POTERII.

Rec. Reguli Antimonii jovialis . . . . part. unam,
Nitri puri . . . . part. tres:
pulveriſata & mixta injiciantur per vices in Crucibulum candens, ut detonent; detonatione peracta, maſſam e cinereo albam exime, in vaſe fictili cum ſufficiente quantitate Aquæ piſtillo ligneo aliquamdiu tere; ſuſpenſum in Aqua pulverem effunde in aliud fictile, & cum reſiduo eumdem laborem repete, donec Aqua tritura non ampliùs turbatur: omnem tandem pulverem ex aquis per ſubſidentiam collectum Aqua calida edulcora & ſicca.

Nitri Acidum detonat cum Phlogiſto ſtanni ac reguli Antimonii: ſuperſunt eorum calces commixtæ cum Alkali Nitri, a quo edulcoratione liberantur: reſiduum conſtituunt partes non rite calcinatæ.

Hoc Medicamentum ergo indiſſolubiles, inertes, ſtomachum gravantes Calces continet, & ideo, non obſtantibus encomiis,

quibus tamquam adstringens, roborans, Hecticorum sudores colliquativos præsertim cohibens a celebribus quibusdam viris extollitur, ejici meretur. Dari solet a granis decem ad dragmam dimidiam.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.

Rec. Antimoni crudi . . . . libr. unam,
Nitri puri. . . . . libr. tres:
pulverisata & mixta injice per vices in Crucibulum candens, ut detonent: detonatione peracta, adhuc leviter calcinentur: massa dein, ùt Antihecticum Poterii, lævigetur, & abluatur.

Acidum nitrosum hìc detonatione cum Phlogisto Reguli & Sulphuris Antimonii consumitur, sicque Regulus in Calcem vertitur; Nitri verò Alkali congrediens cum Acido Sulphuris producit Tartarum vitriolatum.

Adhibita pro edulcoratione Aqua continet 1°. dictum Tartarum vitriolatum, qui prima crystallisatione prodit; 2°. Nitrum, quod decompositionem non subiit, & *Nitri Antimoniati* nomine venit; 3°. portionem Alkali fixi, & 4°. aliquid Antimonii diaphoretici in prædicto Alkali dissoluti, quocumque Acido præcipitandi, cui edulcorato *Materiæ Perlatæ* nomen est.

Massa detonatione obtenta nondum edulcorata *Antimonium diaphoreticum non ablutum* dicitur.

Ad grana decem, viginti, triginta tamquam alexipharmacum & ſanguinem purificans in febribus cujuſcumque generis paſſim præſcribi ſolet : idem tamen de hac præparatione, quod de Antihectico Poterii, *judicium eſto : ablutum ſcilicet meram, indiſſolubilem, inertem Antimonii Calcem ſiſtit : non ablutum ſolas illorum ſalium, quæ in Aqua edulcorationis continentur, & ſupra memorantur, vires habet.*

Aliqui hoc Medicamentum purgantibus additum eorumdem vires acuere ; alii diu aſſervatum emeticum evadere contendunt : ſi hæc umquam præſtitit, imperfectæ præparationi, ſeu parti regulinæ non omnino calcinatæ debebatur, & a primo præparationis momento jam eas vires poſſidebat. Dum hic calcinationis defectus in debita proportione acquiri poteſt, remedium exſurgit alterans. præſtantiſſimum : ſic ſi tantum partes duæ nitri adhibentur, teſte celeberrimo CULLENIO, *ſit pulvis famoſiſſimus doctoris* JAMES, *quem Angli adversùs omnem ferè morbum aſſumunt, & qui revera pro variis ægri rebus varias evacuationes excitat, ac, quo natura vergit, videtur ducere. Quarta pars grani* Tartari Emetici *omni trihorio vel quadrihorio data eoſdem ferè effectus producit.*

CERUSSA.

Lamina Plumbi in ſpiram convoluta ſuſpendatur ſuper Acetum in fictili huic operi accommodato : vaſi operculum apta, & ſimi equini calori per tres ſeptimanas expone, ut Plumbum ab Aceti vapore corrodatur : abradatur dein nata ex Plumbo Ceruſſa, & cum eo, quod ex lamina plumbea

ſupereſt, idem, ſi lubet, labor repetatur: omnem tandem Ceruſſam Aqua ablue, & ſicca.

Si loco laminæ Plumbi adhibetur lamina Cupri, obtinetur Calx Cupri, quæ *Viridis Æris* vicem ſupplere poteſt.

Intus omnes omnium Plumbi præparatorum noxas habet; extus refrigerat, exſiccat.

CROCUS MARTIS.

Rec. Limaturæ Ferri puriſſimæ . . . . quant. vis: in vas amplè patens immiſſa reponatur in loco humido, ut fatiſcat in rubiginem, quæ in pulverem tenuiſſimum teratur.

Pro viribus vide in Materia Medica, FERRUM, *pag.* 74.

FLORES ZINCI.

Rec. Zinci indici . . . . libr. unam: in Crucibulo trigono, triplum continendo capaci, medias inter prunas collocato, tegulaque operto fundatur: fluens, igne folle incitato, & ablato operculo, luculentam viridis coloris flammam concipiet: tum aliud Crucibulum, æquè magnum, ejuſdem figuræ, inverſum priori cum in modum imponatur, ut tres inferioris Crucibuli anguli pateant, ſicque liber concedatur aëris acceſſus: ardens metallum elevabit Flores candidos, leviſſimos, partim cavo ſuperioris Crucibuli, partim lateribus inferioris ſeſe affigentes, partim quoque in ſuperficie Zinci hærentes: eos, ſuperiori Crucibulo remoto, cochleare ferreo exime, atque in patina ſigulina nitida repone: Crucibulorum ap-

paratu dein denuo in priorem positionem redacto, eumdem laborem repete, donec totum Zincum in Flores conversum fuerit.

Horum Florum elevatio actioni flammæ ardentis Zinci tribuenda est: semel enim formati in igne fixissimos sese monstrant.

Si qui inter Flores ob Phlogistum adhuc inhærens cinerei sunt coloris, ei sedulò a reliquis segregentur, in crucibulum candens parvis portionibus injiciantur, & spatula ferrea agitando calcinentur, donec penitus albescant.

Celeberrimus GAUBIUS, *cùm hos Flores arcanum anti-epilepticum famosi Empirici* LUDEMANNI *constituere detexisset, eosdem in* Adversariis varii Argumenti, *sub* Lunæ fixatæ Ludemanni *nomine, orbi medico notos reddidit. Ab eo tempore eorum usus internus invaluit. Videntur revera vi antispasmodica & tonica gaudere, ac imprimis epilepsiæ mederi. Præscribuntur ad grana aliquot quotidie. Celeb.* HOMIUS *a grano uno mane & vesperi ad dragmam integram sensim dosim auxit: monet tamen, ubi dosis duorum vel trium granorum nihil præstat, a majori vix sperandum esse. Frequentissimè nauseam producunt; raro alvum movent, quandoque sudores excitant. Celeb.* DUNCAN *adversùs epilepsiam & convulsiones eosdem Cupro ammoniaco jungit.*

Externè exsiccant, & in ophthalmia, lippitudine, excoriationibus, papillarum fissuris &c. adhiberi solent. A quibusdam Chirurgis nudo ossi pro juvanda exfoliatione insperguntur.

MERCURIUS

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

Rec. Mercurii vivi puri . . . . unc. ſexdecim: diſſolve in

Spiritus Nitri . . . . unc. viginti, & leni igne evapora ad ſiccitatem: ſupererit maſſa ſalina alba, quam in mortario vitreo in pulverem redactam, & phialæ vitreæ inditam calcina igne ſenſim aucto, donec ejus ſuperficies induerit colorem aurantium: frigeſcant tum omnia, calcinatam maſſam, ſtratis verſicoloribus diſtinctam, confracta phiala, exime, in mortario vitreo contere, ut diverſa ſtrata probè miſceantur, & in vaſe ſicco ſerva.

Tota ferè Acidi Nitri adhibita quantitas, vaporis rubri formâ, ſub calcinatione diſſipatur; id, quod Mercurii Calx retinet, hæret in ſtratis ſuperioribus: infimum verò ſtratum, quod ruberrimum, nihil continet Acidi: protracta calcinatione poſſet & omne quidem Acidum excuti; verùm, cum quædam cauſticitas requiratur in hac Calce, ſubſiſtimus, dum ſtratum ſuperius acquiſivit colorem aurantium.

Ex hoc præparationis modo patet, cauſticitatem hujus Remedii pro vario calcinationis gradu variam & ſic admodum incertam eſſe: ob hanc rationem, non obſtante celebrium Virorum authoritate, ad uſus internos idem non credimus adhibendum.

Externè corrodit, & adhibetur ad carnes ſpongioſas abſumendum, ac ulcera lardacea, præſertim venerea, deter-

gendum. Ad hos uſus Unguento Baſiliconis, vel Axungiæ immiſcetur. Grana octo, aut decem unciæ uni Axungiæ vel Butyri recentis inſulſi exactiſſimè immixta Unguentum Ophthalmicum *præſtantiſſimum conſtituunt.*

PLUMBUM USTUM.

Rec. Plumbi . . . . quant vis: cochleari ferreo immiſſum fundatur in igne: apparebit in ejus ſuperficie Calx griſea, quæ auferatur: protracta fuſione denuo apparebit talis Calx; eam adde priori; atque ſic perge, donec tibi ſit ſufficiens Calcis copia, quam cribro dein a particulis plumbeis non calcinatis ſegrega.

Tamquam exſiccans, adſtringens ad uſus externos adhibetur.

PULVIS ALGAROTH, ſive MERCURIUS VITÆ.

Rec. Butyri Antimonii . . . . quant. vis: committe vaſi vitreo, & affunde magnam Aquæ puræ copiam: præcipitabitur pulvis albus, quem Aqua calida ad perfectam edulcorationem ablue, & ſicca.

Ut Regulus Antimonii in Acido Salis diſſolutus maneat, poſtulat id valde concentratum: affuſâ Aquâ verò adeò debilitatur, ut nexus Regulum inter & Acidum tollatur: hinc Reguli ſub forma Calcis præcipitatio.

Emeticum eſt violentiſſimum, quod in medecina non adhibetur, & quod, cùm nequidem particulam Mercurii contineat, perperam Mercurius vitæ *appellatur. Cum Tartaro combinatus conſtituit* Tartarum Emeticum MACQUERI.

TURPETHUM MINERALE.

Rec. Vitrioli Mercurii . . . . quant. placet: redigatur in pulverem in mortario vitreo, & immitte in Aquæ tepidæ, vaſe terreo non vitreato contentæ, ſufficientem quantitatem: præcipitabitur pulvis flavus, quem, decantato ſupernatante liquore, Aqua ebulliente edulcora, dein ſicca, & in lagena vitrea aſſerva.

Quum Vitriolum Mercurii multùm ſaturationem excedens Acidum requirat, ut in Aqua diſſolvatur, ab ea hìc decomponitur, & Mercurius ſub forma Calcis præcipitatur: parvam tamen Vitrioli Mercurii non decompoſiti quantitatem, eo ſemper minorem quo magis hoc Sal exſiccatum fuerit, Aqua ablutionis continet, ex qua Mercurius præcipitatione obtineri poteſt.

Patet ergo incertæ virtutis Remedium eſſe: ab aliquibus tamen ad granum unum alterumve laudatur tamquam alterans. In majori doſi ordinariò emeſim producit. Tamquam præſtantiſſimum Remedium adversùs hydrophobiam commendatum eſt, & revera a granis ſex ad ſcrupulum unum, canibus preſertim, videtur ſe efficax præſtitiſſe: illi tamen ſoli in diro hoc morbo non fidendum; ſed ſemper demorſa pars cum nidulante veneno quantocyus cauſtico deſtruatur.

VITRUM ANTIMONII.

Rec. Antimonii pulveriſati . . . . . . libr. unam: extendatur in vaſe fictili non vitreato, parum profundo, &

eo ignis gradu, qui ſufficit, ut fumos ſulphureos eructet, ſub aſſidua agitatione calcinetur, donec Calcem exhibeat griſeam, fumos emittentem ampliùs nullos: hæc Calx dein indita crucibulo dupli capaci, operculo tegendo, igne primò leni, dein ſenſim aucto urgeatur, donec fluat in Vitrum, quod, omni ceſſante tumefactione, ſupra laminam æneam politam & calefactam effundatur.

Si Antimonium ſub calcinatione, fortè nimio adhibito calore, in grumos coëat, removeatur ab igne, & teratur denuo in pulverem, priuſquam calcinatio continuetur.

Legitimæ vitrificationis indicium habetur, ſi fuſa maſſa adhæreſcit virgæ ferreæ ei immiſſæ & Vitri vulgaris adinſtar in filum duci queït: porrò requiritur, ut pellucida ſit & dilutè hyacinthini coloris. Ut Antimonii Vitrum his dotibus inſtructum acquiramus, conveniens præviæ calcinationis gradus accuratè obſervandus eſt; quod verò non adeò facilè ſemper fit: ſæpè enim vel calcinatio nimis protrahitur, vel ex oppoſito juſto citiùs finitur, & tum Calx vel probam fuſionem renuit, vel materiem fluidam, opacam, nec in fila ductilem exhibet: in utroque caſu tamen bonum adhuc Vitrum obtineri poteſt, ſi nempe in priori adjiciatur parum Antimonii crudi, quo neceſſaria doſis Sulphuris & Phlogiſti Calci reſtituatur; in poſteriori verò ignis imminuatur, &, ablato operculo, vaporibus ſulphureis ſuperfluis exitus concedatur.

Per ſe non præſcribitur; nam emeticum eſt violentiſſimum & ob indiſſolubilitatem periculoſiſſimum. Hæc vis, ut etiam

color hyacinthinus, a Phlogiſto adhuc inhærente videtur pendêre; nam in foco ſpeculi ardentis calcinatum albeſcit, & fit iners Antimonium diaphoreticum. Quædam ejus præparata, ut Aqua benedicta Rulandi, *digeſtione cum vino facta,* Syrupus Emeticus &c., *olim in officinis proſtabant. Hæc omnia, cum illis tartaro emetico aliiſque facilè ſuppleri poſſit, ne entia ſine neceſſitate multiplicentur, e Pharmacopœa ejecimus, & hoc medicamentum pro ſola præparatione* Tartari Emetici *retinuimus.*

Si Ceræ dragmæ uni in cocleari ferreo fuſæ addatur uncia una hujus Vitri in Tenuiſſimum pulverem redacti; dein maſſa liquetur leni igne, & optimè miſceatur, naſcitur Vitrum Antimonii Ceratum, *ob interpoſitam Ceram priori mitius redditum, & quod aliqui, a grano uno ad quindecim datum, potentiſſimum alterans crediderunt, ac præſertim tamquam ſpecificum adversùs dyſſenteriam laudarunt.*

R E G U L I.

REGULUS ANTIMONII JOVIALIS.

Rec. Reguli Antimonii ſimplicis . . . . . unc. ſex:
Stanni malaccenſis . . . . unc. tres,
in Crucibulo optimè colliquata effundantur in conum fuſorium.

Soli præparationi Antihectici Poterii *inſervit.*

REGULUS ANTIMONII SIMPLEX.

Rec. Antimonii crudi . . . . unc. octo,
Tartari . . . . unc. ſex,
Nitri . . . . unc. tres:
pulveriſata miſceantur, & miſcelam Crucibulo candenti cochleatim ingerendo, fiat detonatio, qua peracta, intendatur ignis, ut maſſa fundatur: dein effunde in conum fuſorium ſebo illitum, vel frigeſcat materies in ipſo Crucibulo, eoque confracto, Regulum a ſuperſtratis ſcoriis ſepara.

Major inflammabilis Tartari pars vertitur in carbonem, qui Antimonii ſubſtantiæ regulinæ ſufficiens, quo forma metallica appareat, ſuppeditat Phlogiſtum; pars altera, & Sulphuris Antimonii portio, detonant cum Nitro: inde exoritur, præter Tartarum Vitriolatum, Alkali fixum vegetabile; hoc cum reliquo Antimonii Sulphure conſtituit Hepar Sulphuris, quod ſe Regulo Antimonii ſaturat: hinc patet ſcorias conſtare Tartaro vitriolato & Hepate Sulphuris antimoniato.

Stella, quam plures in hujus Reguli ſuperficie deſiderant, & quæ nihil aliud eſt quam hujus ſemimetalli cryſtalliſatio, perfecta materiæ fuſione atque ejus lenta refrigeratione conſtanter obtinetur.

Ad uſum Medicum non adhibetur; chemicum vide ſupra.

MEDICAMENTA QUÆDAM USUS TEMPORE PARANDA.

AQUA LAXATIVA.

Rec. Foliorum Sennæ . . . . . unc. unam ſemis,
Seminis Carui contuſi . . . . . drachm. unam:
infundantur per aliquot horas in vaſe clauſo cum
Aquæ bullientis . . . . pint. ſemis:
in infuſo dein diſſolve
Mannæ ſicilienſis . . . . unc. quatuor,
Cremoris Tartari . . . . . . drachm. duas,
& cola.

Ad uncias quatuor, quinque, ſex pro adulto mite & jam familiare purgans eſt.

SPECIES PRO CATAPLASMATE EMOLLIENTE.

Rec. Herbæ Malvæ,
Florum Meliloti,
Radicum Altheæ . . . . . . ana libr. duas:
fiat pulvis groſſus, cui adde
Farinæ Fœni græci,
- - - - Seminis Lini . . . . . ana libr. unam.

Titulus vires exprimit.

CATAPLASMA MATURANS PLENCKII.

Rec. Farinæ Lini . . . . unc. quatuor,
Gummi Galbani, Vitello Ovi ſoluti . . unc. unam,
Pulpæ Ceparum ſub cineribus aſſatarum . dragm. duas,
Fermenti Panis . . . . unc. duas,
Unguenti Baſilici . . . . unc. unam:
Olei Olivarum . . . . quant. ſatis,
fiat Cataplaſma.

Tumoribus frigidis lentè ſuppurantibus applicatur.

DECOCTUM ALBUM.

Rec. Raſuræ Cornu Cervi,
Micæ Panis albiſſimi . . . . ana unc. unam:
coque in
Aquæ pluvialis . . . . pint. tribus
ad . . . . pint. duas:
& in colatura diſſolve
Gummi arabici . . . . dragm. duas,
Sacchari . . . . unc. ſemis.

Demulcet, obvolvit; leve nutrimentum eſt. Convenit pro potu in diarrhæa, dyſſenteria & ubicumque acre obvolvi, ac partes ſolidæ ab ejus ſtimulo defendi debent.

DECOCTUM AMARUM.

Rec. Radicis Gentianæ . . . . . . dragm. duas:
coque cum

Aquæ

Aquæ pluvialis . . . . pint. duabus ſemis
ad . . . . pint. duas:
tum adde

Herbæ Chamædrys . . . . dragm. ſex,
Flavedinis Corticum Citri recentis . dragm. duas,
& infunde vaſe clauſo, donec Decoctum refrixerit, quod
dein cola.

Pro viribus hujus decocti, quod infuſione flavedinis Corticum Citri multò gratius redditur, vide pag. 80. GENTIANÆ RADIX.

DECOCTUM CARMINATIVUM PRO ENEMATE.

Rec. Baccarum Juniperi,
Seminum Aniſi,
- - - - - Carui. . . . . . . ana dragm. duas:
contuſa coquantur ex
Aquæ pluvialis . . . . unc. quindecim
ad . . . . pint. ſemis,
& in colatura diſſolvatur
Saponis veneti . . . . unc. ſemis.

Titulus uſum & vires exprimit.

DECOCTUM COMMUNE, ſive PTISANA COMMUNIS.

Rec. Hordei mundati . . . . unc. duas,
Radicis Graminis inciſæ . . . . . unc. unam:
coque in

Aquæ pluvialis . . . . pint. quinque
ad . . . . pint. quatuor:
ſub finem adde

Radicis Liquiritiæ raſæ & inciſæ . . unc. ſemis:
dein cola.

Potum demulcentem, in omnibus morbis utilem & familiarem, conſtituit.

DECOCTUM DIURETICUM.

Rec. Radicum Petroſelini,
- - - - - Fœniculi,

Fructuum Alkekengi . . . . ana unc. unam:
inciſa coquantur in

Aquæ pluvialis . . . . . pint. duabus ſemis
ad . . . . pint. duas:
ſub finem addatur

Radicis Liquiritiæ inciſæ . . . . . unc. ſemis:
in colatura dein diſſolvatur

Nitri depurati . . . . dragm. una.

Leni ſtimulo, non particulari vi in vias urinarias agere, & in quibuſdam caſibus titulum mereri poteſt. Saltem acribus, calidis, incendiariis, qualia in hunc finem plerumque adhibentur, utpote in omni caſu innocuum præferri debet.

DECOCTUM EMOLLIENS AD ENEMA.

Rec. Herbæ Malvæ,

Florum Chamomillæ . . . . . . ana unc. ſemis:

Seminis Lini contusi . . . . unc. unam:
coque in

Aquæ . . . . unc. octodecim
ad . . . . pint. semis:
in colatura dissolve

Mellis communis . . . . unc. unam.

Usus & vires in titulo exprimuntur.

DECOCTUM HORDEI.

Rec. Hordei perlati . . . . unc. tres,
coque cum

Aquæ pluvialis . . . . pint. quinque
ad . . . . pint. quatuor:
colentur.

Demulcet, obvolvit, leniter nutrit.

DECOCTUM LIGNORUM.

Rec. Rasuræ Ligni Guajaci . . . . . . unc. tres,
- - - - - - - - - Juniperi,
Radicum Bardanæ,
- - - - - - Chinæ,
- - - - - Sarsaparillæ . . . . . ana unc. unam:
incisa coquantur ex

Aquæ pluvialis . . . . pint. octo
ad . . . . pint. quatuor,
sub finem coctionis addantur

Rasuræ Ligni Sassafras,

Radicis Liquiritiæ . . . . . . ana unc. ſemis,
Seminis Aniſi . . . . dragm. duæ:
deinde colentur.

Vires vide pag. 52. Datur ad uncias quatuor, ſex, aut octo, bis vel ter de die.

DECOCTUM RESOLVENS HAËNII.

Rec. Radicum Graminis,
- - - - - Taraxaci . . . . . . ana unc. duas:
incisa coquantur ex
Aquæ pluvialis . . . . pint. tribus
ad . . . . pint. duas:
in colatura diſſolve
Salis polychreſti . . . . unc. ſemis,
& adde
Oximellis ſimplicis . . . . unc. quatuor.

In Viſcerum obſtructionibus, ad libras duas vel tres quotidie, pilulis ſaponaceis reſolventibus ejuſdem Authoris optimo cum effectu jungitur.

GELATINA CORNU CERVI.

Rec. Raſuræ Cornu Cervi . . . . . . libr. ſemis,
Aquæ pluvialis . . . . pint. tres:
coquantur in vaſe negligentiùs clauſo, donec parvæ ex decocto exemptæ & refrigeratæ portioni ſit conſiſtentia ſpiſſa, tremula, digitis non adhærens: fiat tum colatura, cui addantur

Syrupi e Succo Citri . . . . unc. tres,
Spiritus Corticum Citri . . . . . gutt. triginta,
& reponantur in loco frigido.

Demulcens & leve nutrimentum eſt, quod tamquam tale in omnibus ferè morbis olim adhibebatur; ſed ob rationes pag. 60. *dictas jam ferè eviluit.*

INFUSUM HÆMORRHOIDALE.

Rec. Foliorum Sennæ . . . . unc. unam,
Rhabarbari minutim inciſi . . . dragm. unam:
affunde
Aquæ bullientis . . . . pint. unam,
& fiat vaſe clauſo per aliquot horas infuſio: in infuſo dein diſſolve
Sacchari communis . . . . unc. duas,
& coletur.

Ad uncias ſex vel octo exhibitum alvum laxat: ſic canalem inteſtinalem evacuando circulum per ſyſthema venæ portarum liberiorem reddit, & infarctum vaſorum hæmorrhoidalium, qui ſæpe etiam à fæcibus in inteſtino recto accumulatis pendet, diminuit. Non alia vi titulum meretur.

LOCH ALBUM PECTORALE.

Rec. Pulveris Gummi tragacanthæ . . grana ſexdecim,
Syrupi Amygdalini . . . . unc. duas,

Syrupi Papaveris albi . . . . . . unc. ſemis: triturentur in mortario marmoreo ſenſim immiſcendo

Olei Amygdalarum dulcium . . . . unc. unam, donec Miſcelæ ſit conſiſtentia mucilaginis: dein ſub continua agitatione addantur

Aquæ puræ . . . . unc. quatuor.

Tamquam demulcens, obvolvens, paregoricum in morbis pectoris adhiberi ſolet. Has vires feliciùs in morbis primarum viarum exſereret.

MUCILAGO GUMMI ARABICI.

Rec. Pulveris Gummi arabici . . . . . unc. ſemis: teratur in mortario lapideo, ſenſim affundendo

Aquæ ferventis . . . . unc. unam, donec miſcela gelatinam referat: deinde prematur per linteum.

Eodem modo fit e Gummi Tragacanthæ dragma una & Aquæ fervidæ unciis duabus *Mucilago Gummi Tragacanthæ.*

Demulcent, obvolvunt, nutriunt.

MUCILAGO, ſive GELATINA SALEP.

Rec. Pulveris Radicis Salep . . . . . dragm. tres: coque leni calore, ut evitetur empyreuma, cum

Aquæ pluvialis. . . . . unc. octodecim

ad . . . . pint. ſemis,
& exprime per linteum.

Viribus à præcedenti non differt. Omnes ad libras aſſumi poſſunt.

TINCTURA RHEI SALINA.

Rec. Radicis Rhabarbari minutim inciſæ . dragm. tres,
Tartari tartariſati . . . . dragm. duas:
vaſi terreo immiſſis affunde
Aquæ bullientis . . . . unc. novem,
& digere leni calore horas quatuor: dein cola.

Aperiens, reſolvens, laxans eſt. Doſis pro vario Medici intento varia eſt & etiam ad ſex vel octo uncias extendi poteſt.

VINUM ANTISCORBUTICUM.

Rec. Radic. recent. Raphani ruſticani . . unc. quatuor,
Folior. recent. Cochleariæ,
- - - - - - - - - Naſturtii aquatici,
- - - - - - - - - Beccabungæ,
- - - - - - - - - Fumariæ,
Seminis Sinapi . . . . ana unc. duas,
Salis ammoniaci . . . . unc. unam:
inciſa & contuſa macerentur per octiduum in vaſe probè clauſo, ſubinde agitando, cum
Vini albi generoſi . . . . pint. ſex:
dein colentur.

Ad uncias tres vel quatuor, bis vel ter quotidie ſumptum in ſcorbuto frigido præſtantiſſimum remedium eſt.

VINUM SCILLITICUM.

Rec. Scillæ ſiccatæ, conſciſſæ,
Pulveris craſſi Cinnamomi . . . ana unc. unam,
- - - - - - - - Radicis Helenii . . ſcrup. quatuor:
digerantur leni calore horas viginti quatuor in
Vini albi generoſi . . . . pint. una:
dein colentur.

Vires præſertim habet a Scilla, quas vide in Materia Medica.

F I N I S.



INDEX.

Dictamnus

Galanga

Kamille

Cinnamomi,

Dubitari non poteſt, quin PHARMACOPŒA GANDAVENSIS ſolertiſſimo præſtantium virorum labore renovata, multiſque vigiliis concinnata, noſtratibus utiliſſima futura ſit.

Dabam Gandæ 1. Julii 1786.

Æ. F. DE GRAVE, *L. C.*

L. B. DE HAVESKERCKE, *L. C. R.*

E R R A T A.

Pag. 22. *lin.* 26. - - - colore *leg.* calore

Pag. 252. *lin.* 17. - - - pint. duas, *leg.* pint. tres,

Pag. 296. *lin.* 3. - - - unc. tres, *leg.* unc. quatuor,

Pag. 325. *lin.* 20. - - - adhitum *leg.* adhibitum

Pag. 420. *lin.* 5. - - - 307. *leg.* 305.

